



28,692/B

VALENTINI NOBILIS AB HILDENBRAND,
CAESAR. REG. AD REGIMENTUM AUSTRIAEC INFERIORIS CONSILIARIU,
PRAXEOS CLINICAE IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORIS,
DIRECTORIS NOSOCOMII UNIVERSALIS, BREPHOTROPHEI ETC.

INSTITUTIONES PRACTICO - MEDICAE.

EDIDIT,
REDEGIT, AC PROPRIIS LECTIONIBUS ADCOMMODAVIT

FILIUS

FRANCISCUS NOBILIS AB HILDENBRAND,
MED. DOCT. ARTIS OCULARIAE MAGISTER, PRAXEOS CLINICAE
IN UNIVERSITATE TICINENSI PROFESSOR, DIRECTOR NOSOCOMII
UNIVERSALIS ET BREPHOTROPHEI, ACADEMIAE CAESAREAE LEO-
POLDINO - CAROLINAE NATURAE CURIOSORUM, ET SOCIETATIS
PHYSICO - MEDICAE BONNENSIS SODALIS, ETC.

TOMUS QUARTUS.

CONTINENS:

DOCTRINAM DE FEBRIBUS EXANTHEMATICIS ET CONTA-
GIOSIS; DE INFILMATIONIBUS TOXICIS; DE FEBRIBUS
PUTRIDIS ET SEPSIBUS TOPICIS; DE FEBRIBUS NERVOSIS,
GASTRICIS ET HECTICIS.

VIENNAE AUSTRIAEC.

APUD J. G. HEUBNER.

1825.



309305

PRAEFATIO.

En quartum et ultimum operis, publico
commodo dicati volumen, quod universae
Pyretologiae colophonem addit. — Si jam in
praecedentibus partibus, quod quidem prae-
fari non neglexi, complura addere, alia ubi-
rius explanare, saeculique genio, indies ma-
gis adolescenti, adaptare alia debueram, eo-
rum in praesenti tanto major ursit necessitas,
spectata materiae dignitate et amplitudine.
Quam ob rem non solum singulae morbo-
rum febrilium monographiae, quas hinc inde
succinto tantum sermone et aphoristico ca-
lamo in Patris pie defuncti, ac nulla unquam
oblivione delendi Praeceptoris pugillaribus
adumbratas inveni, aliquantillas subire de-

buerunt metamorphoses et amplificationes, scientiae Machaonicae progressibus conformatas, — quin tamen inde aurearum experientiarum thesaurus, solidissimorumque praceptorum essentia minueretur; — verum etiam novos adjungere oportuit tractatus, quibus omissis imperfectum et mancum evasisset opus, illos quippe de contagiis et febribus contagiosis summatim consideratis, de variola tutrice, de rubeola et typho icterode, de inflammationibus toxicis, de sepsibus localibus, atque de febribus hecticis. Plurimum denique interfuit, ut variarum aegritudinum antiquitates, e melioribus duntaxat historiographorum pagellis derivatae, singulis capitulis praeponerentur.

Quod partem nosographicam, nosogeneticam ac therapeuticam adtinet, a tutissimo experientiae et observationis tramite nihilum deflexi; — theorematum et consectaria, quibus solis moles, suapte natura rudis, scientificam sortitur formam, eisdem adcommodare principiis sum adnixus, quae e puro

et illimi veritatis fonte haurire licuit, et quibus eximii aetatis nostrae Heroes speciosum Medicinae rationalis aedificium superstruxere.

Majorem sane, quam hucusque in didascalicis libris factum erat, adattentionem loimicorum malorum prosapiae dicare necessarium duxi, ideoque abstrusum hocce et intricatum argumentum, summae caeteroquin in medicina dignitatis, quantum mea pateretur mediocritas, in ordinem digerere ac illustrare studui. — Quae ad variolae tutoriae utilitatem, decursum et insitionis modum referuntur, e melioribus collegi scriptoribus, proprias interserens de prima origine et natura variolae brutorum, deque ejus cum variolis humanis analogia conjecturas. — Variolam humanam veram, varicellam et exanthema varioloides Anglorum simplices modificationes unius ejusdemque, quoad naturam, processus contagiosi esse, nuperrimis observationibus prorsus comper- tum habui. — Rubeolam nequaquam exan-

thema autonomum, sed modo morbilli, modo scarlatinae varietatem sistere, plures causas, sedulo animadversi, me convicerunt. — Typhi contagiosi nostratis monographia, — desideratissimi Genitoris jugis honos et perenne monumentum, — in compendium contracta invenietur; typhos exoticos adumbrare aliorum scripta juverunt, quin tamen proprias quaspiam de eorum natura ideas inserendi occasio defuerit. — Inflammationibus toxicis, quatenus causae efficientis in gratiam specificum offerunt characterem, ideoque peculiarem sibi vindicant medellationem, proprium consecravi caput, eo quidem libentius, quod tanti pretii objectum in Nosologorum scriptis protinus neglectum viderem. — Cum febre putrida topicas quoque sepses, eodem fraterno, quod inter febres inflammatorias et phlogoses locales vigeat, vinculo juntas, una connectere non displicuit. — Febrium nervosarum et gastricarum species in praxi obvias dilucidare, ad magis definitos cardines reducere, earum

nosogeniam observationi, nec non physiologiae et pathologiae purioris axiomatibus innixam explanare, ac fideliter huic amissi rationalem medendi methodum superstruere conatus sum, varios caute vitando errores, quos communis medicorum turma in dijudicandis et curandis hujus generis pyrexiiis hodieque committere videtur. — Hecticas febres per transennam tantum tetigi, quatenus, ceu cachexiarum comites, aliam sibi in systemate nosologico sedem expostulant.

Ab omni gloriolae aucupio alienus, illum unice laboris, qualiscunque demum fuerit, finem esse volui, ut Medicinae Hippocraticae, philosophicis physiologiae et pathologiae principiis copulatae et conditae, lux medias inter discordias contentionesque literarias tetra sublimium speculatorum phantasmata dispellere juvet, tironibusque tutam in sublevanda aegrorum sorte metam feliciter adtingere obveniat. — Patriae, scientiae, ac omni demum hominum societati aliquid emolumenti adtulisse, si nove-

rim, summa perfunderer voluptate, unde
aut vixisse non pudeat, aut mori non me-
tuatur.

Dabam Ticini Pridie Calendas Junias

MDCCCXXV.

FRANCISCUS AB HILDENBRAND.

FEBRES EXANTHEMATICAE

E T

EXANTHEMATA ACUTA.

FEBRES EXANTHEMATICAE
ET
EXANTHEMATA ACUTA.

- Lorry, Tract. de morbis cutaneis. Paris. 1777. — Aus dem Latein. von Held. Leipzig. 1778.
- Burserii de Kanilfeld, Anleitung zur Kenntniss und Heilung der Ausschlagskrankheiten. Aus dem Latein. von Hinderer. Marb. 1789—1790. 2 Thle.
- Plenk, doctrina de morbis cutaneis. Edit. 2da. Vienn. 1785.
- Jaubert, über die exanthematischen Fieber. Wien 1791.
- Jackson, Dermato-Pathologie. Aus dem Engl. Erfurt 1794.
- Willan, über die Hautkrankheiten und ihre Behandlung. A. d. Engl. von Friese. 4 Bde. mit Kupf. Breslau 1799—1817.
- Danzer, Synopsis der Hautkrankheiten. Landshut 1808.
- Kieser, über das Wesen und die Bedeutung der Exantheme. Jena 1812.
- Marcus, die Exantheme, ihre Erkenntniss und Heilart. Nürnberg 1812.
- Batemann, Practical Synopsis of cutaneous diseases. London 1814. 3. Edit. — A. d. Engl. von Hahnemann, mit Zusätzen von Sprengel. Halle 1815. — Traduzione italiana. Pavia 1821.
- Reuss, Wesen der Exantheme. 3 Thle. Aschafenb. 1814—1818.
- Nusshard, Skizze einer Dermato-Pathologie. Prag 1816.

GENERALIA.

1. Quidquid sensibiles qualitates superficie corporis cutaneae cum in modum alterat ac deturpat, ut ejus color, consistentia, forma, planities

aut laevitas pluribus in locis discretis, relictis interstitiis illibatis, plus minusve prominentium et circumscriptarum insularum ferme instar a normali deflectant statu, generali nomine eruptio-
nis, efflorescentiae, sive exanthemati-
cis insigniri solet, deprompto a graeco ἀπὸ τῆς
ἐξαυθεῖν, quod efflorescere, emergere, erumpere
significat (Germ. Hautausschlag, Hautblüthe).

2. Seperatos ab exanthematibus esse volumus omnes illos affectus morbosos, quos derma cum aliis organis communes habet, uti v. g. diversas tumorum species, non minus quam simplices cutis decolorationes (parachroreas), sive punctatas (Spilomata, Kelides), sive ad majorem plagam extensas (chloasmata, Melanoses, Ecchymoses), quae mox symptomata aliorum morborum (vibices, petechiae), mox vitia mere topica absque functione laesa (ephelides, naevi) sistunt.

3. Ut vastissima morborum exanthematicorum phalanx ad arctiores magisque definitos reducatur limites, illos, qui acute decurrunt, febrilibus turbis plerumque copulati, a chronicis passim distinguere solent pathologi, priores Exanthemata *natur'* ἐξοχην, et posteriores Impetigines compellando.

4. Exanthemata acuta, phlegmasiae exanthematicae Sauvagesii, rapidum plerumque tenent decursum, febri socia libenter stipatum, qui gradaria et typica ferme evolutione

et declinatione, florū metamorphosi analogā, distinguitur, atque manifestū in dermate agnoscunt statū phlogoseos, vel saltem congestionis activae, quapropter peculiarem constituunt dermatis modificationem, cujus prototypus in erysipelate (Tom. III. §. 1218.). — Febrē exanthemata comitantes, vel ab his comitatae, ita tamen, ut in aperto existant nexū causali, exanthematicae, sive eruptivae audiunt, quae specialia demum nomina sortiuntur pro diversa exanthematis natura et forma, unde febris urticata, miliaris, variolosa, etc.

5. Exanthemata chronica, Impetigines, Turpitudines, fors rectius Cacodermata dicenda (quatenus impetiginis significatu apud Celsum, Alexandrum Trallianum, Willanium et Batemannum, determinatum eruptionis diutinae genus indicatur), praesentiam inflammationis lentac, mox patentis, mox occultae, quidem non excludunt, essentiale tamen characterem in vegetatione et reproductione abnormi, nunc universalī, nunc mere topica reponunt, febrilibus turbis experte; quapropter morbis vitae plasticae, ac speciatim cachexiis merito inseruntur. — Ad priora tantum Pyretologiae specialis scopus adtentionem limitare jubet.

NOSOGRAPHIA.

6. Symptomata eruptionibus cutaneis propria, e quibus diagnosis eruitur, vel sunt idiopati-

thica, vel generalia, vel sympathica, quarum prima ad ipsam pellem, ceu morbi substratum referuntur, altera e generali sympathia et connexione cutim inter et cardinalia systemata organica, vasorum utpote et nervorum (quae simul partes integrantes sphaerae dermatiae consti-
tuunt) oriuntur, atque ultima e speciali philadel-
phia cum quibusdam organis, vel organorum sc-
riebus scaturiunt.

7. Praeter consueta opportunitatis phaenome-
na, anorexiā, lassitudinem, morositatem, etc.
exanthema erupturum praenunciare solent: pecu-
liaris inquietudo et anxietas, vel, ut Allenii
verbis utar, pectoris oppressio cum irrequie et
anxietate, suspiria, febricula irritativa horripila-
tionibus orsa, vel praesentis jamjam pyrexiae in-
crementum, calor fugax et ingratus, siccitas cutis,
sudores partiales, dolores vagi rheumaticorum
aemuli, digitorum torpor, sensus formicationis,
ardoris, tensionis, puncturarum, pruritus vel ti-
tillationis in diversis superficieī cutaneae locis,
subinde convulsiones, leipothymiae, pulsuum
irregularitas, quibus cunctis demum adhuc spe-
cialiora accedunt, in determinatis casibus provoca-
ta, et quidem vel a specifica natura causae oc-
casionalis aut processus morbosi in organismo
existentis (v. g. contagiosi), vel vero a contempo-
ranea passione alicujus systematis organici, vel
organi cujusdam, v. g. membranarum mucosarum,
tubi alimentaris, cerebri, pulmonum.

8. Eruptionem exanthematis (Ausbruch) indicat adparitio macularum rubrarum (Flecken), quae modo in definitis corporis provinciis, modo sine regula super cutem confertim, vel sparsim prosiliunt, interstitia relinquendo non infecta, plus minusve extensae, semper rotundae, nisi confluendo irregularem contrahant figuram, ultra cutis superficiem non prominent, ac ideo solo visu distingui possunt; — vel papularum (Knötchen), quae parvas, rotundas, plus minusve elevatas, rubicundas, vel cuti concolores (tubercula, phymata), subduras, copiosas, calentes, prurientes, vel etiam dolore expertes prominentias, sive aspredines cutis referunt, tactu facile discernendas, ac in apice haud raro quid humidi separantes.

9. Hae duae formae primitiae exanthematum, maculae videlicet ac papulae, quae tot segregatas et exiguae praesentant inflammationulas, quandoque per totum morbi decursum immutatae persistunt, numero tantum et extensione auctae, atque vel sine ullis visilibus reliquiis evanescunt, vel epidermidis furfuracea exfoliatione solvuntur. — Alias vero citius seriusve in secundarias abeunt formas, quarum differentia a diverso phlogoseos producto et exitu dependet, hypoclepsi potissimum aut suppuratione, unde vesiculae, pustulae, ulcscula, squamae; vel crustae efformentur.

10. **Vesiculae** (Bläschen, Blätterchen) nomine intelligimus prominentiam haemisphaericam in superficie corporis, inflammatorio halone plus minus manifesto cinctam, et productam ab effusione humoris serosi, lymphatici, cruenti, puriformis, epidermidem adtollentis, quae dum laticeum purulentum recludit, ex inflammata et dura, cui insidet, basi scaturientem, pustula, seu **cethyma** audit (Eiterblätterchen), cicatricem plerumque relinquere sueta.

11. Pro diversa liquidi effusi natura, et vario, quem inde contrahunt, colore dicuntur **vesiculae serosae, lymphaticae, cruentae, crystallinae, albae, lacteae**; pro magnitudine demum, ac privatis quibusdam proprietatibus diversa a medicis sortitae sunt nomina. Ita vesiculae minutae, granum milii vix superantes, **phlyctides** aut **phlyctaenae**, — majores **bullae**, — dum notabiliter urunt, aut pruriunt **psydrakia** (Juckblätterchen), vel **phlyzakia** (Feuerpustel) si simul intense rubent, — denique **achor** aut **favus**, prout pustula denso ac fere melliformi latice farcta plus aut minus acuminata fuerit, compellari solent; quae tamen nimis subtiles, nulliusque momenti distinctiones nonnisi confusionem augere juverunt.

12. **Squamae, furfures, crustae, escharae** veluti caput mortuum fracti processus exanthematici sistunt, quod secedens sub variis formis epidermis emortua, vel humores e

ruptis vesiculis et pustulis profusi, ac ab aëris contactu condensati et exsiccati largiuntur. -- Comparent ut plurimum sub declinatione exanthematum acutorum, separantur ea proportione, qua recens regeneratur cuticula, atque cutim nunc laevigatam, nunc cicatricibus defoedatam relinquunt, ita tamen, ut ista per sat longum temporis spatium, frigori praesertim exposita, maculosi ruboris vestigia retineat.

13. Quandoque contemporanea, vel successiva plurium specierum in diversis superficie cutaneae locis contingit eruptio, cuius ratio vel in concursu et compositione accidental, vel in gradaria maturatione ac per varias formas transitu exanthematis primitivi, diversas corporis partes successive peragrans, quaerenda est, unde diversissimae efflorescentiarum copulae et anomaliae, diagnosis persaepe difficilem reddentes.

14. Ab eruptione praenunci morborum exanthematicorum plerumque placantur, vel et prorsus evanescunt; topicae tamen molestiae lubenter increbescunt, praesertim tensio, ardor et pruritus, ad invincibilem seducens scalptum, cuius momentaneam voluptatem brevi molestiarum augmentum, veluti poena talionis subsequitur.

15. Febris, quae efflorescentias acutas comitantur, diversam ad istas relationem habere solet; quandoque enim antecedit, atque modo evanescit exanthemate superstite, modo hoc evanescente remanet, alias vero praegressae eruptioni

afebrili succedit, una cum exanthemate defatiscens.

16. Habito respectu nexus causalis febrem inter et efflorescentiam cutancam quadruplex occurrit casus: 1) Vel enim febris ortus determinatur unice a praesentia exanthematis, quod stimulo suo vividiorem in systemate vasorum accedit reactio-
nem; febris symptomatica, exanthematis effectus; (e. g. urticaria ab insolatio-
ne). — 2) Vel durante febre quadam eruptio evolvitur, ea tamen ratione, ut ad ejus essentiam non pertineat, quamvis ex ipsa febre prosiliat; febris primaria, exanthematis causa; (e. g. hidroa febrilis). — 3) Vel febrem inter et exanthema arctissima et essentialis viget relatio ita, ut hoc absque illa existere nequeat; febris et exanthema coeffectus ejusdem cau-
sae; (e. g. variola, morbillus). — 4) Vel tandem febris exanthemati, aut hoc illi cum in modum succedit, ut differens utriusque mali sit origo, nullusque obtineat nexus, ut ajunt, causalis, unde mere accidentalis nascitur complicatio (e. g. variola tutoria cum febre quartana). — Tali pacto intelligi poterit idea febris exanthematicae primariae et secundariac, substanti-
vae et symptomaticae, essentialis et accidentalis, quae differentiae etiam ad ip-
sum exanthema sunt adplicandae.

17. Etiamsi negari nequit, febres quasdam, exanthemate stipari solitas, hocce plus minusve es-

sentiali charactere in casu anomaliae quandoque destitui, absurdam tamen id nullatenus vindicat febris exanthematicae absque exanthemate coimpellationem.

18. Pro diversitate praemissae relationis reciprocae (§. 16.), atque systematis organici in primordio vel sub decursu adfecti febres exanthematicae varium offerunt, et induunt characterem, modo constantem, modo juxta stadiorum seriem variis mutationibus obnoxium. Febris, quae unice in gratiam exanthematis, aut unacum eo evolvitur, quoad indolem semper est inflammatoria, vel saltem irritativa; sub decursu tamen anomalo characterem nervosum aut putridum assumere potest, cuius quidem origo nunquam ab exanthemate, qua tali, sed vel a causa originaria, vel ab aliis sinistris circumstantiis dependet.

19. Dermatitidis exanthematicae gradus, extensio, ac sedes plus minusve profunda; indoles causae procatarcticae, vel morbi primarii; nec non concursus circumstantiarum lateralium sunt potiora momenta, quae febris ortum, vehementiam et characterem specialem determinant.

20. Symptomata consensualia, efflorescentias ordiri, comitari, vel sequi visa, in illis praesertim comparent sphaeris organicis, quae cum cute in relatione sympathica, vel antagonistica existunt. Communiora esse solent catarhalia, gastrica, et rheumatica, ceu manifesta industria concitatae reactionis morbosae in

membranis mucosis viarum aërearum, in tubo alimentari, in hepate, vel membranis serosis. Phænomena nervosa raro observantur, nisi specifica causæ natura (v. g. fomes contagiosus), vel particularis subjecti dispositio eorum origini faveat.

21. Sunt demum adhuc quaedam symptomata specialia, plus minusve constantia et pathognomonica, neutiquam cunctis exanthematibus propria, quae derivant a diversa causam morbiferam inter et organismum relatione, a diversa substrati, primitus adfecti, vel in sympathiam tracti, natura, atque individualibus tantum casibus competunt, quapropter specialem exanthematologiam spectant.

22. Decursus exanthematum acutorum, sive febrilia, sive apyretica fuerint, a paucis diebus ad tres quatuorve septimanas extendi consuescit, manifestis in primo casu exacerbationibus et remissionibus distinctus. Neque illico chronica dicenda essent ex sola ratione, quod interdum ultra mensem continuant, toties enim longior duratio a continuo renovata, veluti recidivante in diversis locis eruptione potius, quam a perpetuitate primitivae efflorescentiae pendet.

23. Quaedam exanthemata, in primis substantiva ac febri criticae nupta (uti contagiosa) in decursu regulari definitam stadiorum seriem percurrunt, cunctis febribus criticis familiarium, quorum nonnulla propter specialiores exanthematis, pedetentim maturantis, metamorphoses particularia apud

medicos sortiuntur nomina. — 1) Stadium opportunitatis. — 2) Stad. febrile, ebullitionis, irritationis, quod ab invasione phaenomenorum febrilium usque ad prima eruptionis vestigia extenditur, unius, duorum, aut trium dierum. — 3) Stad. eruptio-
nis (incrementi), tribus ad summum diebus absolutum. — 4) Stad. floritionis (acme), in quibusdam periodus suppurationis, cum priori saepius confusum ex eo, quod maturatio-
nem nonnulli flosculi jamjam sunt adepti, aliis ad-
huc in evolutione versantibus, ac ideo durationis difficulter determinandae et inconstantis. — 5)
Stad. criseos, in exanthematibus contagiosis
vera periodus dissemination. — 6) Stad.
deflorescentiae, exsiccationis, ex-
orescentiae, desquamationis, (decre-
menti). — 7) Convalescentia.

24. Singulorum stadiorum duratio quidem di-
versa, omnium vero simul sumtorum talis esse
consuevit, ut febres exanthematicae ordinario sep-
tem, novem, aut quatuordecim dierum spatio
suum absolvant cyclum.

25. Exanthemata symptomatica et afebrilia
duas praecipuas agnoscant periodos, quarum prior
a primo eruptionis vestigio ad perfectam morbi
evolutionem (floritio), altera ab hujus culmi-
ne ad plenariam extinctionem decurrit (marces-
centia); neutra tamèn determinato tempori ad-
stricta esse solet.

26. Potioribus anomaliis, quas morbi exanthematici in decursu contrahunt, adnumerari merentur: decursus nimis rapidus, vel ultra modum latus; stadiorum series interrupta; character febris nervosus aut septicus; symptomata insolita, vel consueta ad justo majorem vehementiae gradum erecta; eruptio imperfecta, vel prorsus impedita; exanthematis forma alterata, ejusdemque improvisa evanescentia; complicaciones varii generis.

VARIETATES.

27. Vasta exanthematum familia infinitas ferme offerre potest varietates, quas tamen respectu originis, decursus, extensionis, formae externae, naturae internae, relationis mutuae cum diversis systematibus organicis, nec non periculi, quod sua praesentia minantur, vel avertunt, definitis cancellis circumscribere atque in utilem quemdam ordinem redigere licet.

28. *Quoad originem* distinguuntur exanthemata in primaria et secundaria; in substantiva (idiaetata) et derivata, sive essentialia et symptomatica; in sporadica, endemica et epidemica; in spontanea et factitia; — *quoad decursum* in acuta et chronica, in simplicia, composita et complicata; in regularia et anomala; — *quoad extensionem et numerum* in topica et universalia; in discreta, conferta et confluentia; — *quoad*

ad formam externam in glabra et scabra; in maculosa, papulosa, vesiculosa, pustulosa et mixta; in pallida, rubra, livida, variegata; in minuta et ampla; in manifesta et occulta, sive sub cute latentia; — quoad naturam febris comitis, vel causae producentis in inflammatoria, gastrica, biliosa, nervosa, putrida; in communia et specifica; in contagiosa et non contagiosa; in hypersthenica et asthenica, aptius in exanthemata cum incitationis augmento et languore; — quoad relationem reciprocam, quae cutim inter et alia systemata organica viget, in idiopathica et sympathica; in afebrilia et febrilia, atque hacc denuo febri vel essentialiter, vel per accidentem nupta; — quoad periculum, quod includunt, vel excludunt, in levia et gravia; in maligna, benigna, salutaria et critica.— Distinctio in externa et interna erroneo innititur principio; omnia enim exanthemata, ceu morbi soli cuti, eique homologis membranis mucosis proprii, semper superficiales, sive externos sistunt affectus.

29. Quamquam diagnosis exanthematum in genere nulli prorsus subjacet difficultati, ex alteratis qualitatibus sensibilibus, visui et tactui obviis depromenda; — tanto magis ardua e con-

trario evadit haud raro cognitio singularum specierum, quas apte determinare incassum tentabit etiam versatissimus practicus, nisi omnia praemissa scrupulose perpendat momenta, quae tot tantasque familiae morborum adeo proteiformis variationes efficere juvant. — Peculiarem insuper adtentionem sibi postulant: individualis constitutio subjecti, morbi praegressi, causa occasionalis, atrium morbi, hujusque prodromi, febris comitis character, organa sympathice vel antagonistice affecta, exanthematis — modus erumpendi, forma, diffusio, decursus; epidemia regnans, climatis ratio, quae omnia rite perpensa et inter se conlata difficultem diagnoseos operam, praesertim in anomaliae casu, faciliorem reddere valebunt.

SUBSTRATUM MORBI.

30. Cutis, ejusque strata vasculosa, corium utpote ac rete Malpighii, opinante vero Bichat o in primis illud reticulum corii vasculosum, externum, e subtilissimis capillarium exhalantium ramificationibus contextum, quod epidermidem respicit (1), exanthematum sedem principalem largitur. Id non solum rubor insolitus, familiaris efflorescentiarum cutanearum comes, sub compressione evanescens ac cito iterum rediens suspiciari sinit, — quatenus vascula hyalina, limpido communiter latice repleta, cruorem admisisse indicat, — verum etiam experimenta confirmant celeberrimi Cruikshank, qui cutis variolis

obsessae portionem feliciter injecit, atque reticulum corii capillare massa cinnabarina repleri vidit, corpore Malpighiano intacto. — Ipsa contemporanea eruptio quorundam exanthematum in cute atque membranis mucosis ei homologis evincit, reticulum Malpighianum, quo posteriores destituuntur, multo rarius adfici, quam passim opinantur medici.

(1) Bichat, allgemeine Anatomie. 2. Thl. 2. Abth. S. 179.

31. Illa superficie corporis loca, ubi cutis delicatior, sensilior, magis vasculosa, inque salutis statu jam ad fugaces rubores et turgores magis prona cernitur, ergo ubi arteriosus, ut ajunt, character praedominatur, exanthematibus libentius obsidentur; uti vultus, praesertim genae, palpebrae et labia, collum, pectus, partes verendae et interna artuum facies; rarius contra capillitium, dorsum, vola manus et planta pedis.

32. Sedes exanthematis profundior in corio, vel magis superficialis, ad unum vel plura cutis strata extensa, formam plurimum variam determinat.

33. Alterum exanthematum substratum largiuntur membranae mucosae, quae cuti summe analogam habent organisationem, iisdem ferme componuntur stratis, atque immediatum cum natura externa tenent commercium. Nihilo tamen minus texturae major teneritudo, epidermidis tenuitas, atque continua ob mucum secedentem humiditas processui exanthematico particulares imprimunt.

modificationes, unde facilis ejus in excoriationem, hæmorrhoeas, aphthas et ulcuscula transitus.

C A U S A E.

Toemlich, Diss. de ortu exanthematum. Jenae 1785.

34. Dispositionem ad exanthemata suppeditant omnia illa momenta, quae erysipelatis ortui favent (Tom. III. §. 1252.), et quae partim in cute, partim in reliquo organismo variisque organis, cuti amicis, latent. Subjecta, quorum cutis delicata, succulenta, sensilis, rubicunda, parum hirta, infantes, adolescentes, feminæ, præsertim dum nimis solerti pellis cultu, balneis, lotionibus, aëris liberi et frigoris fuga insolitam adducunt teneritatem, multo crebrius efflorescentiis sunt obnoxia, quam senes decrepiti, vetulæ steriles et eunuchi. — Disponunt insuper evolutiones organismi periodicae, dentitio, pubertas, fluxus menstruus, puerperium, lactatio; proclivitas in sudores, diathesis rheumatica, saburrae primarum viarum, vitia hepatis, obesitas, atque ipsa demum exanthemata alias perpessa, contagiosis exceptis.

35. Quaedam eruptionum cutancarum genera specialem habent cum determinatis vitae periodis relationem, unde variolæ tenellis, morbilli pueris, adolescentibus scarlatina, atque typhus adulstis eminenter infensa observantur; alia denuo certas praediligunt corporis provincias, uti strophulus faciem, hidroa febrilis labiorum margines, zoster truncum.

36. Ad causas procatarticas quod adtinet, multiplex earum genus esse solet, aut saltem variabile non parum pro diversa exanthematum natura. Id vero indubitatum et perspectum existimamus, semper et ubique stimulos esse positivos, quorum nonnulli, extra corpus humanum geniti, cutem immediate, vel per consensum irritant, alii, in penetralibus parti, nisum expansivum in toto organismo sufflammndo majorem versus capillaria superficie retia carent sanguinis adfluxum.

37. Efflorescentias idiopathicas producunt: 1) Irritamenta mechanica, uti puncturae pulicum, pediculorum, morpionum, indumenta scabra, praesertim pannus niger, frictio cutis protracta, vel repetita, pulvres cuti pertinaciter adhaerentes. — 2) Irritamenta chemica, quae inter referri merentur omnes substantiae acres, gummiferulaceae, saline, resinosae; aquae cosmeticac, emplastrata, vel unguenta inde confecta, rubefacientia et epispastica e diversis naturae regnis deproponta, ranunculi, urtica, mezereum, cantharides, tartarus stibiatus, hydrargyrum; emanationes Rhois Toxicodendri et phalaenae processionae (Reaumur), morsus insectorum venenatorum, culicis pipiens, vesparum, apum, cimicum, aranearum; thermae sulfureae; paedor et sordes cutis quaevis non ablutae, fumus, fuligo; humores animales aciores, urina, sudor, lacrymae,

sanie; mutatae aëris atmosphaerici qualitates, imbris cum ardoribus et ventis australibus (Hippocrat. Epid. II.). — 3) Stimuli dynamici, uti lux, calor nimius, maxime aestivus, insolatio, vicissitudo temperie, refrigerium.

38. Symptomatica exanthemata ori-
ti videmus ab omnibus illis noxis, quae ener-
giā principii expansivi in organismo intendunt,
humorum orgasmum concitant, eorum impulsū
versus corporis peripheriam promovent, vel quae
universae vegetationis munus in organismo quali-
tative alterando talium elementorum evolutioni
farent, quae electivam quasi ad organon cuta-
neum adsinitatem habent, ibique abnormes exci-
tant reactiones. — Potioribus accensemus: va-
rias cacockymiarum species, scrofulosam, puru-
lentam, biliosam, venercam, scorbuticam; conta-
gia diffusibilia; abusum spirituosorum, pinguium
et diaphoreticorum; accessus febres vehe-
mentes; plethoram lacteam in feminis, et sper-
maticam in viris vegetis; evolutiones physiolo-
gicas, uti dentitionem, pubertatem, puerperium;
diathesin rheumaticam et arthriticam.

39. Sympathicas denique eructiones
provocant impuritates primarum viarum diversi
generis: pituita, bilis; vermes; saburra acida;
abusus ciborum aromaticorum, pinguium, salito-
rum, acriūm; esus quarundam substantiarum,
quae propter rapidum transitum in putrefactio-
nem, vel principia quaedam venenata saluti hu-

manae valdopere sunt infensae, uti ostreae, mituli, fungi; demum secretiones habituales suppressae, vel saltem imminutae, urinarum, bilis, menstruorum; obstructiones viscerum abdominalium.

Welt, Diss. de exanthematum fonte abdominali. Goetting, 1784. — In P. Frank Delectu Opuscul. Tom. IV.

NOSOGENIA.

40. Omnes prophases exanthematum (acutorum) in eo convenire diximus, quod stimulos si-stant positivos, absolutos vel relativos, genera-les vel specificos, quorum primus et princeps su-per organismum vivum effectus non aliis, quam adaucta systematis capillaris in superficie cuta-nea incitatio esse poterit. — Nonnulli eorum cu-tem immediate offendunt, alii, remota organa ex-stimulando, sympatheticam, vel antagonisticam in dermate irritationem sollicitant; alii, nisum expan-sivum promovendo, humorum aliorumque princi-piorum, praesertim phlogisticorum impetum a cen-tra versus ambitum determinant; ubi exitus ob-staculo invento, morbosam ciente reactionem, quae individualem organi integritatem conservare mo-litur; — alii tandem vegetationem universi cor-poris qualitate mutant, simulque efficiunt, ut sy-stema dermaticum, favente dispositione, per emi-nentiam in morbosae reactionis sphaeram trah-a-tur, ac abnormis metamorphoseos particeps fiat, pro cuius vario ingenio ipsa labes in cute pro-ducta variam naturam, variamque formam con-trahit.

41. Omne igitur exantheme in sua origine exhibet statum congestionis activae (non stagnationis), vel verae phlogoseos in pluribus et discretis superficie cutaneae locis obortae, quae tamen pro diverso gradu et extensione mox cunctos inflammationum characteres, a substrati natura modificatos, agnoscit; mox imperfecte evoluta adparet, vel prorsus dolose delitescit; mox in gratiam causac producentis, vel particularis diatheseos morbosae specificas quasdam induit notas. — Ad hanccce efflorescentiarum in prima jam origine differentiam, sub decursu tantum conspicuam, plurimum contribuit causarum indoles, earum relatio diversa ad organismum, agendique modus, prouti nempe vel ad solam quantitatem reducitur, vel vero definitis ac specificis qualitatibus innititur.

42. Exanthemata, quae a sola stimuli quantity determinantur, simplicis congestionis, siue irritationis cancellos nonniſi raro egredi solent, hujusque generalia tantum offerunt signa, eandem, utut a differentibus causis orta, formam retinent, stimulo morbifico ablato libenter evanescunt, atque nisum in specificas metamorphoses non agnoscant, nisi ad altiorem gradum evecto morbo status indifferentiae inter incitationem et vegetationem systematis capillaris tollatur, ac verac phlogoseos provocetur status.

43. Quamprimum vero talis fucrit inter causam et reagens sistema dermaticum conflictus et relatio, ut determinata qualitas prioris proces-

sum vitalem in posteriori determinato modo adficat, exanthemata proprium insuper induunt characterem, e simplici humorum congestione nullatenus explicandum; etenim praeter incitationis augmentum plus minusve notabile, vegetationis munus specifica ratione alteratur, sola causae amotione non represtinandum, unde particularis quoque inducitur ad specificas metamorphoses et productiones organicas nisus.

44. Si generalia irritationis et inflammationis praecepta ad efflorescentias cutaneas applicamus, harumque characteres, ab observatione desumtos, cum causis producentibus atque substrati affecti natura et destinatione rite conferimus, cum aliqua saltem verosimilitudine ad essentiam et causam proximam concludere licebit, quam igitur reponimus in vitalitate cutis, et praecepsertim in irritabilitate systematis capillaris cutanei ultra normam incitata, atque in sublata eam inter et vegetationem indifferentia ita, ut abnormis inducatur in secretionem uberiorum, vel etiam qualitate vitiata, nec non in productiones novas nisus.

45. Incitationis augmentum indicant rubor, calor, tumor, dolor, vel saltem molesta quacdam sensatio, in gratiam organicae dermatis texturee atque sensitatis specificae diverse modificata, uti pruritus, ardor, myrmekismus, atque febris vasorum, quae quidem signa, si non

omnia, saltem plurima, in cunctis exanthematum generibus occurunt, utut gradus diversi, ac interdum nonnisi in primordiis conspicua.

46 Alteratum processum formativum, sive vegetativum evincunt: transudatio seri aut lymphae in superficie papularum, vel similis laticis sub epidermide effusio; abnormis secedentis per fines, vel poros vasculorum liquoris qualitas, puriformis, purulenta, saniosa, cruenta, contagiosa, acris; productiones demum morbosaे ulcerum phagadenicorum, carnium fungosarum, callorum, cuticulae recentis, principii contagiosi, et s.p. — Longe tamen absumus, ut cuivis exanthemati facultatem contagia procreandi concedamus, a quibusdam neotericis immaturo, uti videtur, consilio propugnatam.

47. Qui cutem vasis capillaribus adeo divitem et injuriis externis continuo expositam perpendit, tantam exanthematum frequentiam in praxi non mirabitur. Conceptu vero difficilius est, cur irritamenta super totam superficiem radiatim diffusa, vel in majores saltem plagas agentia, non super toto cutis ambitu aequabilem concitent reactionem, sed segregatas provocent inflammatiunculas, intacta quaedam relinquendo interstitia? — Res non aliter sane, quam ex specifica cutis structura, ejusque partium integrantium inaequabili dispositione concipi poterit. Diversus gradus cohaesionis corium inter et epidermidem, et quidem major illis, ubi hacc ultima ducti-

bus exhalantibus perforatur; textura corii quasi porosa, areolis adiposis interstincta (1); retia vasculosa huc et illuc magis conserta et convoluta; papillae nerveae, glandulae sebaceae et bulbii pilorum, ceu tot solitaria ac diversimode coagminata corpuscula; exquisita systematis dermatici sensilitas, organica non solum, verum etiam animalis, — totidem praebent rationes, cur stimuli actio, utut aequabiliter super determinatam cutis plagam distributa, inaequalem concitet reactionem, et quidem eminentem illis in punctis, ubi major vasorum capillarium redundantia altiorem irritabilitatis gradum alit, intacta relinquendo intervalla, in quibus minor viget vitalitatis energia. — Cur vero eadem saepe potentia nociva nunc erysipelas, nunc exanthemata, in uno individuo papulas, et phlyctaenas in alio producat, hodieque ratione consequi non potuimus.

(1) Bichat Oper. cit. 2. Thl. 2. Abth. S. 173.

48. Forma exanthematum externa a diversis dependet momentis, quae inter ceu potiora notari merentur: gradus et vehementia congestionis activae vel phlogoseos, ejusque sedes plus minusve profunda, nunc ad plura strata extensa, nunc ad unum solum limitata; accumulatio humorum rubrorum, aut serosorum intra vasorum alveos, vel eorumdem exundatio sub epidermidem; dispositio individualis subjecti; diversimode alterata qualitas materiae perspirabilis; cau-

sarum producentium differentia. — Generalis tamen figura exanthematum, singillatim consideratorum, est semper circularis, vel haemisphaerica, et quidem genitricis inflammationis causa, quae constanter radiantem processus vitalis nisum in omnem directionem aequabili modo sollicitare consuevit.

49. Specifica tandem exanthematis, ejusque producti natura nonnisi e specifica processus plastici alteratione concipi potest, quae, licet ubivis prototypum massae organicae, chemicam elementorum miscelam, simulque dynamicam factorum vitalium relationem a tramite normali deflexa supponat, in singulis tamen casibus aliquid sibi primum habet, ita, ut ad generale quoddam principium, sive chemicum, sive dynamicum reduci nequeat. — Ubiunque igitur de specifico exanthematum charactere sermo est, eum nunquam toti familiae in concreto consideratae, sed individuis tantum speciebus competere subintelligimus, nisi excipere velimus characterem, quem cunctis exanthematibus natura et organisatio substrati imprimit.

50. Praeproperea igitur nobis videntur sententiae illorum medicorum, qui efflorescentiarum essentiam ad definitam quamdam et speciale rationem reducere admituntur, uti essent: status atoniae (Cullen et Jackson); acrimonia ad cutem deposita; laxa azotum inter et oxygenium copula; lymphae oxydatio excessiva (Auten-

rieth); laesa respiratio cutanea (Reil), reproductio abnormis (Henke); cachexia topica cutis (Harles); quarum singulas singulis casibus illustrandis fors adaptari posse non inficiamur. — Meret metaphorica exanthematum comparatio cum organismis propriis, parasiticam sumtibus cutis vitam, zoophytorum ritu ducentibus, quorum origo proxima in processu vegetationis pseudoplasticae reponitur (1), morborum cutanecorum pathologiam ne hilum locupletare juvit.

(1) Danzer, Synopsis der Hautkrankheiten. S. 17. — Dzondi, Aphorismi de inflammatione.

51. Id tamen cum aliquo certitudinis gradu proferre audemus, in cunctis exanthematibus tallem esse vitalitatis a norma deflexionem, ut factoris expansivi et principiorum phlogisticorum potestas praedominent. Adsertum corroborare juvat, quod exanthemata sint morbi peripheriae corporis; quod potentissimis inducantur vim expansivam et centrifugam carentibus, ac phlogistici elementi evolutioni faventibus, calore nimis, luce, aëre corrupto, remediis sudoriferis, contagii volatilibus, orgasmo humorum incitato, juventutis vigore; quod circumstantiis oppositis plerumque dissipentur; et quod potiora processus exanthematici producta, uti sudores olidi, fomites contagiosi, ad inflammabilem naturam inclinent. — Inde etiam aliquo modo conjicere licet, respirationem, seu dephlogisticationem cutanecam cam

esse functionem, quae sub exanthematum decursu per eminentiam laeditur, Reilio apprime docente (1).

(1) Reil, über d. Erkenntniss und Cur der Fieber. B. V. §. 2.

TERMINATIONES.

52. Exanthemata acuta sub consuetis conditionibus propitiis in salute m abeunt; et quidem 1) vel directe, obtenta felici symphoreseos aut phlogoseos localis resolutione, quam symptomatica et communia exanthemata omni die subire possunt, idiaetata vero et specifica nonnisi definitis diebus per urinas et sudores criticos adsequuntur; — vel 2) indirecte, superatis effectibus secundariis, hypoclepsi, suppuratione, gangraena, quorum nonnullos interdum, veluti cum essentia morbi intime connexos, nulla arte praecavere licet, vel si id tentetur, cum summo aegri periculo efficietur, quapropter certos exanthematum exitus pro salubribus et necessariis, a natura praefixis, purgamentis considerare oportet.

53. Desquamationem, ceu consuetum dermatitidis resolutae phaenomenon, exanthemata cum erysipelate communem habent, quam pro specie criseos idiostaticae, atque pro effectu processus vegetativi ad pristinum restituti, emortuae cuticulae separationem efficientis, considerari posse, jam alibi indicavimus (Tom. III. §. 1261.). — Varia exanthematum natura, sedes, intensio, et extensio efficit, ut pellis nunc forma pulveris fa-

rinosi , aut furfurum , nunc forma laciniarum majorum deglubatur.

54. Ut ut exanthemata sanata dici nequeant, quousque visibilia adparent vestigia in cute; non semper tamen , ratione inversa , a solo eorumdem abitu ad restitutam protinus salutem concludere fas est; nonnulla enim dissipantur superstite morbo primario , cuius comes fuerunt; alia ipso momento, quo evanescunt, recentis multoque insidiosioris mali favillam succendunt, quod, in penetrabilibus furendo, clandestinam ac improvisam saepe perniciem parat. De hacce jam fatali exanthematum metachoresi ($\mu\epsilon\tau\alpha\chi\omega\rho\epsilon\omega$, locum muto), quam practici passim fors minus idoneo retrocessionis, aut retropulsionis nomine indicant, necessarias notiones suppeditare juvabit, ut peculiaris omni intuitu phaenomeni ratio, atque periculum, sola saepe arte avertendum, patescat.

55. Si sub decursu febrium exanthematicarum, nondum solutarum, eruptio cutanea improvise evanescit, ac vel illico, vel paulo tardius insueta in aliis organis suboriuntur symptomata, a nullis aliis causis repetenda, exanthema retrocessisse, vel retropulsum fuisse dicitur.

Plass, Diss. de retrocessione exanthematum. Vienn. 1782.

56. Ratio proxima hujus phaenomeni, perperam olim migrationi humorum, in cute paratorum tributa, fundatur in particulari illo consensu reciproco (sympathia et antipathia), qui inter or-

gana mixtione, structura, vitalitatis gradu et qualitate, nec non functionis germanitate conspirantia, vel contra inter dissimilia viget; unde evenit, ut non solum munus unius sublatum ab altero libenter suppleatur, sed etiam, suppressus ante praefinitum maturationis tempus, processus in quadam parte morbosus vicariam in organis amicis, vel polari ratione oppositis suscitet reactionem, naturae semper ejusdem, formae tamen diversae, ab ipsa substrati, vices agentis, indole modificatae.

57. **Causae remotiores**, quae ejusmodi metachoreses, seu metaschematismos provocant, sunt vel **externae**, eaque semper tales, quae vigentem in cute expansionis nisum nimis repente et violenter reprimunt, ac inversa polaritate facultatem imponderabilia conducendi minuunt, uti frigus, remedia adstringentia, etc.; — vel vero sunt **internae**, intra organismum vivum extricatae, ac dupli modo infensae. Non nullae, vividiorem in organis, cuti sympathice nexit, reactionem ciendo, primigenum in dermate processum refringunt, uti v. g. diarrhoea tumultuaria; aliae ex adverso diu suppressis, prostratis, vel exhaustis vitae viribus necessarias tollunt conditiones, ut exanthematicus processus suam evolutionem adtingere queat, requisitum, ut ita dicam, alimentum subtrahendo, unde clanguescit ac fere emoritur, exemplo febriunt exanthematicarum illarum, sub quarum decursu character nervosus et astheniae status emicat.

Liquet ex hisce prolatis exanthematis suppressionem non esse semper causam morbi in pejus ruentis , sed saepe sacpius effectum et symptoma praevalens.

58.. Exanthemata idiopathica, recens orta, apyretica , localia, quae in simplici congestione activa cutis consistunt, vix unquam reciprocantes, dum evanescunt, in corporis interioribus concitant turbas , cuius quidem ratio absque difficultate intelligitur. Longe aliter vero se habent morbi cutis substantivi, autonomi, febre essentiali stipati, diutini, vel crebriori redditu habituales facti, qui specificum et cyclicum supponunt processum evolutionis in toto organismo , vel in sola cute, finem adsequi nequeuntis, nisi ad præfinitam producti cujusdam morbosi formationem pervenerit. Si ejusmodi abnormis metamorphosis, versus corporis peripheriam specialius reflexa, cutem pro organo elaborationis et despumationis selegit, inque suo munere interrumpitur , polaritate, ut neoterici ajunt, inversa et alienata; ad centralia trajicitur organa, quae cutis, in efformatione producti morbosi præpeditae, viccs agere moliuntur.

59. Diversa exanthematum, causarumque ea producentium natura, nec non individuales aegrorum dispositiones efficiunt, ut modo sympathicus, modo antagonisticus cutem inter aliasque organicas sphaeras consensus turbetur, unde processus metaphoreticus modo in partibus

homogeneis, modo in heteronymis exoriatur. In primo casu membranae mucosae, in secundo velamenta serosa poenam luunt. Viscera, quae utriusque prosapiae tunicis instruuntur, uti pulmones, ventriculus, intestina, creberrime funestis metaschematismorum similium sequelis succumbunt; inter membranas serosas vero arachnoidea, pericardii facies interna, et péritonaeum.

60. Processus vicarius, in interioribus evanidi exanthematis gratia suscitatus, non alias, quam primitivo (quoad naturam) analogus esse potest; quapropter exanthematum metaschematismi ubique statum symphoroseos activae, aut verae inflammationis producunt, modificatum tamen ab ingenio et organisatione sphaerae affectae, ac sub dupli ideo phlegmhy menitidis, vel orrhymenitidis forma in conspectum veniunt, specialioribus iisque variis phaenomenis, juxta sedem specialius electam, comitata.

61. Eosdem effectus, qui ab exanthematibus in flore suppressis sobolescunt, prima quoque eruptio praepedita haud raro provocare solet, ex iisdem principiis facile intelligendos, ac solo efflorescentiae proventu, sive spontaneo, sive arte promoto dissipandos. — Si vero dermatitis exitum jam petierit, uti in suppurantibus variolis est, metaschematismi cessat possibilitas, subinfratque illa metastaseos.

62. Ab exanthematum suppressorum, vel in

eruptione *praeeditorum metachoresibus*; quae nonnisi translocationem formae morbi, vel erroneam ejus evolutionem indicant, distinguere oportet *metastases*, febris eruptivis non minus familiares, quas ceu vicarias secretiones fomitis morbos, alicubi jam evoluti, ac in circuli massam resorpti, per organa, pro ejus eductione non destinata, consideramus. — Contingunt metastases nonnisi morbo maturo, plerumque tempore perturbationum criticarum, atque possunt etiam exanthemate rite florente, vel regulariter extincto enasci.

63. Eadem ratione, qua evanidum repente exanthema deleterios in penetralibus effectus concitat, vel saltem cum morbo, ob alias causas in pejus ruente, in arctissimo existit nexus; versa vice organorum internorum passiones subortis in ambitu eruptionibus persaepe levantur, quas ideo *salutares*, vel etiam *criticas* compellant.

64. Si processus exanthematicus in sua evolutione *praeeditus*, vel post evolutionem suppressus, propitiis circumstantiis ad cutem revocatur, — quo in casu semper eundem characterem, eandemque formam retinet, quae in principio obtulit, — *salutare* quidem dici poterit phaenomenon, quatenus liberatis organis nobilioribus periculum minuit, criseos tamen ideam nondum includit, quum morbus primitivus, utut mitior magisque regularis redditus, *præscriptum* sibi cyclum excurrere pergit. — Si vero in febris, e sua na-

tura non exanthematicis et maturationi proximis, eruptio ad ambitum cutis oboritur cum luculenta symptomatum imminutione, criticum sive judicatorium ejusmodi exanthema dici poterit, quamvis illud stricto in sensu potius pro criseos comite et effectu, cum pro crisi ipsa declarare fas sit. — Quatenus ejusmodi in casu meri symptomatis vices agit, specificos characteres nunquam praebet, sed ad generales tantum efflorescentiarum proprietates reducitur, atque pro diversitate formae externae, papulosae, maculosa^e, vesicularis, nec non pro similitudine adparente varia nomina, miliarium, hidroae, urticariae sortitur.

65. Mors in morbis exanthematicis nunquam ab efflorescentia, qua tali, sed ab aliis circumstantiis, cum morbi origine et natura nexus plus minusve essentiali habentibus, dependet; ergo semper indirecta ratione adducitur. — Praecipuum lethi culpam gerunt: 1) Character febris exanthematicae, praesertim nervosus et septicus, quorum primus virium vitalium sideratione, alter massae organicae liquatione vitam extinguit. 2) Passiones contemporaneae viscerum nobilium, cerebri, cordis, pulmonum, sive a specifica morbi natura, sive a fatali metaschematismo genitae sint, unde mors apoplectica, syncopalis, suffocativa, nulli diei adstricta. 3) Metastases funestae, sub infaustis moliminibus criticis obortae. 4) Posthuma diversa, morbo primitivo jamjam devicta.

66. Mala secundaria, in casibus minus improbis sequi sueta, pendent *a) vel ab exanthemate; b) vel a febris comitis diverso charactere; c) vel a specifica natura causae genitricis, ejusque diversa erga determinata systemata organica relatione; d) vel denique ab epigenemate fortuito.*

67. Quae ad exanthema ipsum referuntur con-sectaria, communes esse solent phlogoseos non resolutae effectus, uti suppuration, exulceratio, hypolepsis, secretiones vitiate, gangraena. Inde helcoses, phymata, serpiginos, herpetes, achores, aliaque cacodermatum genera. Nonnulli horum exitium quandoque cum natura primigenia adeo arcte nectuntur, ut ad regularem decursum, morbique essentiam spectent, nulla arte praecaveri possint, vel, si fortuito in sui evolutione perturbentur, notabile portendant periculum, uti esset suppuration variolarum; — alii a fortuitis provocantur circumstantiis, ac ideo semper insuetas anomaliae sequelas sistunt. — Notandum insuper, externas exanthematum formas variii generis vicissitudines subire posse, maculas utpote in papulas, hasque denuo in vesiculas vel pustulas abire posse; vel etiam in grave degenerare erysipelas sub concursu stimulorum, cutem vehementer irritantium.

68. Exanthematum suppressorum-metaschematismi varias quoque in diversis organis relinquunt labes, superstites haud raro, morbo prima-

rio prorsus soluto, uti essent amauroses, deliria, convulsiones, tusses chronicæ, asthmata, cardialgiae, hydropses, atrophiae.

69. Specifica tandem causae procatarcticae ac exanthematis, inde orti, natura particularem determinat in certa postuma nisum. Inde variolæ in cariem ossium et oculorum vitia, scarlatina in hydropem, morbilli in phthisin pulmonalem nituntur; quae tamen consectaria specifica, ut sponte liquet, ad specialem pertinent exanthematologiam.

PROGNOSIS.

Prognosis in febribus exanthematicis iisdem innititur regulis, quae in futuro eventu aliarum febrium rite praesagiendo cautiorem medicum ducant, oportet. Majus universim periculum portendunt: febris ardens, præsertim charactesis nervosi aut putridi si fuerit; isocrana gravium organorum passio; causa efficiens talis, quæ propter suam indolem, organismo nimis heterogeneam et inimicam, vires vitales succedit, pessumdat, sufflaminat, exhaustit, vel cuius agendi modus hucusque ignotus nonnisi summe indirectam admittit curam, solisque conatibus medicatricibus organismi totum sanationis opus committere jubet; major exanthematis, gregatim progerminantis, extensio; subjecti constitutio prava; complicationes et anomaliae; circumstantiac adversae, sive privatae, sive universales sint, uti calamitates, aerumnae, animi despensio, annonae cha-

ritas, praesidiorum medicorum defectus, epidemia funesta, intemperies atmosphaerae, clima insalubre. — Concursus momentorum oppositorum feliciorem, caeteris paribus, eventum pollicentur.

71. Exanthemata, utut per se spectata, morbos plerumque indifferentes ac periculi expertes sisstant, propter insignem tamen, quam cutis cum organis nobilissimis habet relationem, haud raro perfidos salutis hostes fieri, experientia omnium aevorum demonstravit; mox enim sub specie fucatae benignitatis clandestinas ac necopinas insidias struunt; mox, primos deserendo natales, inconstanti lege, et ambigua semper aegri sorte totam cutis superficiem serpendo peragrant; mox introrsum conversa immedicabili clade pretiosa depascuntur viscera.

ORDINATIO EXANTHEMATUM.

72. Quo magis proteiformes esse consuescunt morborum species, ad generalia principia aegre reducendae, ab accidentalibus circumstantiis libenter variatae, eo major, utut in essentia conspirent, sese obtrudit eas in determinatum systema coagmentandi et redigendi difficultas. Tantum vero abest, ut, recentiori magisque illuminato aevo gravis argumenti obstacula remota fuisse, credamus, ut plurium medicorum laudabilia caeterum conamina confusionem potius auxisse opinemur.

73. Exanthematum opinatae novitates, divi-

siones ac subdivisiones eorundem ex non necessariis et leviculis notis repetitae, superlata in nugis subtilitas, rerum contra majoris momenti contemptus, diversa interpretatio et promiscuus usus vocabulorum prisci aevi, recentiumque continua creatio mirum quantum hancce pathologiae partem turbarunt, aut verius, quominus ulla huccusque logica vel practica exanthematum classificatio condi potuerit, impediverunt.

74. Quae moderni aevi medicis maxime arrisit exanthemata ordinandi, methodus, praeeuntibus Plenkio et Petro Frankio, a Willanio et Batemannio potissimum perfecta, formam morbi externam pro partitionis cardine agnoscit, totque exstruit ordines, quot in praxi occurrunt eruptionum physiognomiae, uti papulae, maculae, vesiculae, pustulae, et s. p.

75. Quam insirmo autem ejusmodi dividendi ratio insistat talo, e sequentibus facile patebit argumentis: 1) Formam externam efflorescentiarum, sive modum, quo sensibiles qualitates cutis alienantur, saepe saepius inconstans ac variabile esse attributum, neminem latet; quapropter 2) ejusdem originis, naturae et nominis exanthema (v. g. hydrargyria) differentes contrahit formas, atque vice versa 3) eruptiones ejusdem formae (v. g. miliaria) indolem diversissimam offerunt, ac medelas toto coelo differentes sibi postulant. 4) Nonnulla exanthemata etiam in decursu regulari formam crebro mutant, superstite semper eodem

morbi charactere (uti variola). 5) Alia mixtum constanter praesentant schema, maculoso - papulosum, papuloso - phlyctaenodes, ita, ut duplarem sibi in addictato systemate vindicarent locum. — 6) Non omnes exanthematum formae adeo distinctis notantur characteribus, ut ad lectum aegrorum rite determinari, ac differentiae unius ab altera, v. g. papulae cum apice hyalino a phlyctaena, pustulae verae a vesicula puriformi, liquore referta, dignosci possint.

76. Ut morborum, proinde et exanthematum distributio et classificatio rationalis dici possit, simulque practicum pro medico valorem includat, saltem in sua radice firmo cuidam, et non fluctuanti, principio innitatur, oportet, quale unice in nosogenia et essentia morbi inveniendum erit. Habito igitur respectu differentis causarum occasionalium super organismum actionis, ac differentis, quae inde emicat, producti morbosi naturae, ipsam therapiam modificantis, exanthemata acuta commode in duos dispesci posse ordines, credimus, quorum primus **communia** sive **accidentalia**, alter **specifica** sive **essentia**lia includit.

77. **Exanthemata communia** compellamus illa, quae, praeter generales dermatitidis, segregatim pluribus in locis evolutae, notas, nullos speciales, sibi tantum proprios, ac in natura morbi diversa fundatos characteres habent, plerumque igitur ad quantitativam stimulorum actio-

nem reducenda; quae varias, licet ab eadem causa pendeant, in diversis subjectis et sub diversis circumstantiis exhibent formas; vel vice versa sub eodem occurrunt schemate, utut e diversis scaturiant injuriis; — quae plurimum symptomata inconstantia aliorum morborum, et in primis febrium diversae indolis constituunt, ipsisque exanthematibus specificis parasytice adhaerent, quin tamen determinato tempore oboriantur; — quae, si idiopathica fuerint, febricula mère symptomatica (irritativa) stipantur, duratio-
nis modo ephemerae, modo diuturnioris esse so-
lent, definito tamen cyclo nunquam adstricta.

Steininger, Diss. de exanthematibus non contagiosis.

Vindob. 1784.

78. **E**xanthemata specifica e determinatis causis (et non aliis) profiscuntur, processum vitalem non solum in quantitate, sed etiam in qualitate (et quidem eminenter) laudentibus; semper eandem et constantem conservant formam, vel saltem in gradaria sua evolutione constantes vicissitudinum series percurrent, donec praefixum maturationis fastigium adtingant; — comitem ha-
bent processum morbosum sui generis in toto or-
ganismo, vel in solo dermate evolutum, qui non
desinit, nisi praefinitus quidam absolvatur cyclus;
— nunquam sunt morbi simpliciter dynamici, sed
vegetationis munus peculiari ratione alteratum
supponunt, unde stricte classi febrium criticarum
inserenda.

79. Praemissa hacce generali exanthematum divisione, singulas, quae ad primam prosapiam pertinent, species et varietates secundum externam formam ultro subdividere non displicebit, ut saltem earum tanta copia in aliquem redigatur ordinem. Tali pacto quatuor stabilimus exanthematum genera, *mæculas* videlicet, *papulas*, *vesiculas* et *pustulas*, eisque singulas inseremus species, peculiari mentione dignas.— Negari tamen nequit, ejusmodi subdivisionem empiricam eousque censendam esse, donec causa proxima schematum differentium innotescat, pro partitio-
nis cardine satius amplectenda. Laudabili quidem exemplo praeiverunt nonnulli egregii Viri, praesertim Marcus et Nuss hard, ad diversa strata systematis dermatici in singulis exanthematicis eminenter, singillatim, vel promiscue affecta, nec non ad modum, quo patiuntur, maiorem, quam hucusque factum est, adtentionem dirigendo; inde enim diversas formas dependere, plus quam probabile est. — Argumentum vero nondum talem evidentiae et certitudinis gradum est adeptum, ut ei physiologica divisio exanthematum superstrui possit, posteris committenda.

80. Insigne, quod hucusque logicae eruptio-
num cutanearum divisioni obstitit, impedimentum in nomenclatura inconvenienti, e diversissimis, saepe absurdis, nulliusque momenti principiis pe-
tita, nec non in usu ejusdem nimis arbitrario qua-
rendum esse arbitramur. Nonnulla enim exanthe-

mata compellationem habent a colore (rubeola, purpura, scarlatina); alia a molesta, qua stipantur, sensatione (prurigo, eczema, uredo), a causa producente (sudamen, hydrargyria), vel a similitudine figurae (miliaria); alia denuo ambiguæ prorsus originis sunt (essera, strophulus, terminthus); quarum vocum incredibilis ad libitum permutatio et promiscuus usus non potuit, quin maximas gigneret disputationes, rixas et dissensiones. — Quousque haecce polynymia et vocabulorum, indies multiplicatorum, discordia unanimi medicorum consensu reformata, ac ad majorem uniformitatem reducta non fuerit, analogo principio innixam (quemadmodum in re herbaria maxima cum utilitate factum est), eousque vastam exanthematum cohortem in utilem, logicum, conceputaque facilem ordinem redigere frustra adlaborabimus.

31. Character generalis exanthematum specificorum, quae alteram componunt prosapiam, consistit in specifica causae producentis et producti morbosi natura. Singulae, quae huc pertinent, species in contagiosas et toxicas discriminae (juxta eadem principia, quibus inflammacionum partitionem Tom. III. §. 460. superstruximus) ac proprio capite pertractandae, ulteriore subdivisionem difficilius admittunt, propter occultas hodieque contagiorum et venenorum qualitates speciales, e solis effectibus conjiciendas.

EXANTHEMATA COMMUNIA.

*a. MACULAE,**ROSEOLA.*

82. Maculas plus minusve latas, discretas, vel confluentes, ac ideo figurae saepius irregularis, super cutem vix elatas, planas, interdum annulatas, coloris rosei, vel coccinei, quasi ignitas, a compressione pallescentes, ast pristinam, digito remoto, illico recuperantes rubedinem, modo indolentes, modo ardore ac levi pruritu junctas *roseolam* compellamus (Germ. Feuermasern, rothes Auffahren), nomine ab *Aurelio Severino* (1) et *Fullero* (2) jamjam usurpato, ac a Cel. Willanio rursus introducto. Aliis *erythema*, *phoenigmus*, vel simpliciter *rubor* (Hautröthe) compellatur.

(1) Lib. de Epinyetidibus et Roseolis.

(2) Exanthematologia; p. 128.

83. Exanthema hocce mere accidentale, fugax, non contagiosum, periculi expers, febres aestivas, biliosas et rheumaticas haud raro comitatur, in quibus varia corporis loca, collum, pectus, brachia, femora, adprime vero facies praerubra, quasi minio picta, vel ribesiorum succo illita comparent. Quandoque cum variola, vaccinia (a peripheriae pustulae insitae excentrice diffusum), vel miliaribus in connubio observatur, quin tamen ideo proprias constitutat species. Adparitio nunc ephemera, nunc paucorum saltē dierum esse solet; nunc improvise evanescit, nunquam

amplius redditura, nunc per vices recurrit, inconstanti lege diversas pervagando corporis provincias (roseolae saltantes Severini), absque ullis tandem desquamationis signis defatiscens.

84. Roseola quo ad essentiam cum erythema (levissimo erysipelatis gradu) omnino collimat, cuius meram constituit varietatem; quippe ab iisdem generatur potentissimis nocivis, eandem in superficiali vasorum exhalantium reticulo sedem agnoscit, ad simplicem tantum reducitur dermatitis symphoresin irritativam, dicto saepe celerius efflorescit, omnique momento, causa ablata, evanescere potest, ac nullum in morbosas productiones nisum fovet.

85. Potioribus hujus efflorescentiae causis accensentur stimuli locales, uti immundities, adtritus vestimentorum ruidum, sudores copiosi, ictus solis, calor aestivus, balnea nimis calida, si-napismi; porro sordes primarum viarum, in primis biliosae, potus calefacentes et spirituosi, aestus febrilis, pudor, irae vehementioris accessus; dentitio; haemorrhagiarum suetarum retentio, favente potissimum cutis teneritate, plethora et proclivitate in sudores; unde infantibus, juvenibus succulentis et feminis communis esse consuevit affectus. — Exstant insuper quaedam substantiae venenatae, quarum usus internus; vel externa applicatio ejusmodi rubores purpureos concitare dicitur. — Ita ab esu baccarum Atropae Belladonnae et hepatis frixi piscis, quem Cattum

marinum (*squalus canicula*) vocant, nec non ab exhalatione Rhois Vernicis Linn. rubedinem erysipelaceam ortam viderunt observatores (1).

(1) *Sauvages*, Nosolog. method. Tom. II. p. 595.

86. Primo adspectu roseola similitudinem offerit cum *scarlatina*, *rubeola* et *purpura typhosa*, neque fors quoad formam multum differt; — distinguitur tamen sine negotio, si ad syndromen symptomatum, quibus haecce exanthemata essentialia, specifica, et contagiosa stipantur, debita vertitur adtentio.

87. Differt demum roseola a petecchiis, sive *peticulis* (*Purpura Riverii*) non solum essentia, quatenus illa in statu levis dermatitidis, hae vero in effusione sanguinis extra vasorum alveos (*ecchymosi*) consistunt, verum etiam characteribus, qui inde pendent, externis; petechiae enim praesentant maculas circumscriptas, coloris rubri, purpurei, lividi, vel nigrescentis, quae lentis magnitudinem vix unquam excedunt (*vibicum forma excepta*), nullam prorsus molestiam provocant, sub compressione ne hilum disparent, atque immunia relinquunt superficie cutaneae loca, aëris influxui constanter exposita, faciem videlicet et manus. Hancee maculosam cutis decolorationem (*Spiloma*), in febris quidem haud infrequentem, utut plerumque accidentalem, putridis exceptis, nulliusque per se spectatam momenti, e familia exanthematum exterminavimus ideo, quod horum communi charactere, in statu

phlogoseos, vel activae saltem congestionis deposito destituantur.

β. P A P U L A E.

a) *STROPHULUS*.

88. Primis tenerae infantiae periodis haud raro papulae progerminant rubrae, vel albidae, subdurae, ad apicem limpido vel lacteo liquore repletae, ad basin leviter inflammatae, semen milii magnitudine vix superantes, coagmentatae aut segregatae et maculis rubris interstinctae, parum molestae, febri vel nulla, vel admodum levi stipatae, quae post paucos dies epidermidis furfuracea exfoliatione terminantur, quandoque tamen replicante aliis in locis eruptione per plures hebdomadas persistunt. — Hoc exantheme a recentioribus; praeceunte Willa-nio, *strophulus* nuncupatur; nomine originis sane ambiguæ (Germ. Schällblätterchen, Zahnausschlag; Anglis: Red-Gum), cuius apud prisci ævi scriptores nulla invenitur mentio.

89. In diversis equidem superficie cutaneae locis prorumpere potest *strophulus*, in antibra-chiis, manuum dorso, ad scapulas et lumbos, frequentissime vero faciem et collum tenellorum infestat, maxime genas et frontem, quae tunc aspre-dinem quasi miliaceam, rubrae basi inspersam, praesentant.

90. Praecipuae periodi, quibuscum *strophu-lis* evolutio plerumque coincidit, primus utpote nativitatis mensis, epocha dentitionis primæ, et

ab lactationis, quodammodo jam conjecturare sinnunt de potioribus hujus eruptionis causis, quas ad dentitionem difficilem, ad acidum primarum viarum e colostro, lacte indigesto, vel ventriculi languore, ac demum ad speciem dyscrasiae lacteae reducimus, quam tenellorum habitus, excrementorum et sudoris qualitas odore facile produnt. — Obsecundat pariter morbi ortui regimen nimis calidum, munditiae negligencia, maxime vero insignis cutis sensilitas, vasorumque ubertas, quare etiam vegetis et plethoricis magis familiaris esse consuevit. — Ipsae matres, praesertim candida pelle instructae; primis lactationis inchoatae diebus, quibus vix non undiquaque lactis praesentiam spirant, aspredines in vultu miliaceas, vel rubicundas offerunt, strophulo simillimas.

91. Strophulus sistit exanthema accidentale, indifferens, non contagiosum, vix molestum, plerumque symptomaticum, vel sympatheticum, quod, pro originis varietate, mox phaenomenis anomalae dentitioni propriis, mox illis saburrae acidae, in primis viis hospitantis, comitatum decurrit.

92. Peculiaris illa efflorescentia, quae in decursu hydrencephali acuti infantum ad genas, labra et brachia sub schemate papularum exiguarum, indolentium, siccarum prorumpit, ab eximio Formey (1) pro pathognomonico ejus morbi signo declarata, strophuli varietas esse videtur.

(1) Formey, vermischtte Schriften. Berlin 1821. 1. Bd.
S. 185.

b) URTICARIA.

Roch, Progr. de febre urticata. Lips. 1792.

93. Papulae laete rubentes, vel pene albidae, halone tamen profundioris coloris cinctae, discretæ vel confluentes, supra cutem notabiliter elevatae, interdum sat amplae et durae (phymata), molestissimum ac vix tolerabilem pruritum afferentes, a frictione et scalptu numerosius prolicienda, illis simillimac, quas urticarum punctura excitat, idque sibi privum habentes, quod ab aura frigida majus incrementum capiunt, et a lecti calore evanescere videntur, efflorescentiam constituunt in praxi frequentissimam, quae a medicis passim **Urticaria**, exanthema **urticatum** (Burscii), purpura **urticata** (Junckeri); Cnidosis (a greaco οὐρτίς, urtica), aliis **febris rubra pruriginosa**, Germ. **Nesselaußschlag**, Nesselsucht; Anglis: Nettle Rash appellatur.

94 Prouti hocce exanthema in sua origine primarium et idiopathicum, vel (quod crebrius accedit), secundarium et sympatheticum fuerit, febriles turbæ nunc praeceunt, nunc sequuntur erupcionem antea depictam, quae sinc regula, praevio plurimum pruritu, in diversis comparet ambitus locis, in primis ad faciem; pectus et membra, interdum super totum corpus, non secus ac si a culicibus homo demorsus, vel urticis caesus, esset. Plerumque unius nycthemeri spatio totum exanthema efflorescit, quo facto febriles motus

minuuntur, vel prorsus desinunt, nisi papularum major numerus et amplitudo, cuius gratia cutis subjecta haud raro insigniter intumescit, acriorem fovere juvet pyrexiam; viget per tres, quinque, septemve dies; marcescit demum ac dissipatur absque manifestis desquamationis signis.

95. Quandoque remissa sub decursu febri, papulae extenuantur et decedunt, cum aliquo inquietudinis et anxietatis augmento; facili tamen negotio, ni recrudescente ad vesperas febricula sponte redeant, potuum diaphoreticorum, frictionum, vel solius scalptus ope iterum revocantur. — Si quaedam graviora oboriuntur symptomata, a morbo primitivo, urticariae genitore, potius, quam ab exanthemate, per se insonti, erunt derivanda.

96. Urticaria apyretica, quae reiterata erupzione chronicum praesentat morbum, teste Heberdenio per septimanas, imo menses excurren tem (1), ab urticaria acuta sola febris absentia differt (2); eandem enim offert formam, easdem parit molestias, ac ab iisdem scaturit causis; quapropter, illam absque jure sub nomine *urticationis* ad propriae speciei dignitatem elevatam fuisse (3), arbitramur. — *Lichen urticatus* et *purpura urticans Willanii* pariter simplices urticariae anomalias et modificatio nes sistere videntur.

(1) Heberden, Medical Transactions II. Art. XI.

(2) Wichmann, Ideen zur Diagnostik. III. S. 78.

(3) Jos. Frank, Praecepta Praxeos med. univ. Part. I.

Vol. II. S. 599.

97. Rariorem urticariae varietatem, quae tamen excepta, phymatum majori amplitudine et morbi vehementia, nil sibi proprium habet, quo a communi exanthemate urticato differret, Cel. Petr. Frank nomine tuberosae describit (1). Emicant scilicet tumores palmae latitudinem habentes, colore rubro sed obscuro instructi, qui cum pruritu, ad animi deliquium usque intolerabili, universam corporis, sed femorum inprimis superficiem occupant, comite faciei rubore ac febre valida, horroribus orsa, sub cuius decursu prouerpentia exanthemata brevi in latas et fere informes offas increscunt, per vices imminuuntur, evanescunt, ac denuo revertuntur, donec septimo die omnis dispareat aegritudo.

(1) Epitome de curandis hominum morbis. L. III. §. 309.

98. Serapion senior primus inter antiquos fuit, qui seculo IX. hocce eruptionis genus nomine Aschara (quod idiomate arabico elevacionem indicat) descriptsit, unde Latinobarbari Esseram et Soram formarunt (1). — Etiamsi Sauvages, Sagar, R. A. Vogel, ipseque inter modernos Marcus Bambergensis compellatione Esserae efflorescentiam propriam indicare voluerant, quae figuram et magnitudinem foliorum cujusdam plantulae, a Gallis Porcellaine, a Botanicis Portulaca oleracea vocatae, refert (unde ipsum exanthema Porcellaine, Porzellanausschlag, aliis morbus porcinus compellabatur), et sola tuberculorum majori mole ab

urticaria communi discrepat; nihilo tamen secius differentia nequaquam adeo momentosa est, ut proprio indicetur nomine, et multo minus adhuc, ut ad dignitatem propriae speciei evehatur.

(1) Batemann, Pract. Darstell. der Hautkrankh. S. 152.
Not. 89.

99. Quoad formam externam exanthema, quod ab urticis nomen habet, cum morbillio insignem habet similitudinem; differt vero ardente pruritu, eruptione intra nycthemerum effecta, quin tamen constantem in sua evolutione observet regulam, atque defectu signorum pathognomonicorum, quae morbillis, ceu morbo contagioso sui generis, competunt, suo loco adsignanda. — Cum erysipelite, cuius speciem esse voluit Sydenhamus, cum scarlatina, ad quam refertur a Sauvagesio, vel cum miliaribus rubris, quae ab urticaria nonnisi papularum magnitudine differre perperam opinabatur Schachtius, confundi vix poterit, si debita ad ejus characteres praemissos habetur adtentio.

100. Utut praecipuam urticariae sedem largiatur rete vasculorum exhalantium superficiale, contemporalem tamen papillarum nervearum irritationem supponere fas est; molestissimus enim pruritus, ceu constans urticariae socius, alteratam in dermate sphaerae sensitivae conditionem sat clare indicat. Essentiam morbi in simplicis congestionis activae statu consistere, evincit sedes instabilis, fugax eruptionis, saepe ephemerae, vel

per vices evanescentis indoles, facilisque sine producti morbos reliquiis solutio.

101. Exceptis rarioribus casibus urticariac primariae et idiopathicae, ab insolatione, calore aestivo, sudoribus profusis, ab acribus substantiis cuti adplicitis, vel irritamento insectorum provocatae, (quae fors rectius ad alias exanthematicum referenda esset formas), plerumque symptomata febrium gastricarum, biliosarum, intermittentium (1) et typhosarum, ipsiusque arthritidis acutae esse solet. Non desunt tamen exanthematis urticati in iisdem febribus cum levamine prorupti, ac ideo pro critico phaenomeno habiti (2) exempla. — Omnes illae vivendi rationes, quibus corpus effaeminator, et vestitu molli nimisque calido a quovis aëris adslatu defenditur, remotiori intuitu ad faciliorem urticariae ortum conferre omnino poterunt.

(1) Petr. Frankii, Interpraetat. clinicae. p. 416.

(2) J. Raimann, Handb. der speciellen Therapie. 2. Aufl. Wien 1823. II. B. §. 693. — Traduzione ital. del Dot. Ballarini. Pavia 1824. Vol. II. pag. 91.

102. Inter causas, urticariae sympatheticae producendae speciatim idoneas, referuntur adhuc certae substantiae, incaute ingestae, quae, vel ob ingenium manifeste venenatum, vel ob incognitam quandam, certorum hominum idiosyncrasii inimicam qualitatem, stomachum ea ratione offendunt, ut brevi post earundem esum cutis veluti urticis percussa adpareat, comite pruri-

tu intolerabili. Huc spectant mituli (1), ostreae, astaci, cancri fluviatiles (2); piscium carnes corruptae, vel muria acriori conditae, uti halecces; fraga, aquae Selteranae (3), radix Valerianae.

(1) Möhring, Epist. ad Werlhofium, quae mitulorum quorundam venenum, et ab eo natas papulas cutis illustrat. Brem. 1742. — Behrens, Diss. de affectionibus a comestis mitulis. Vide Werlhofii Opuscula. II. 1775. p. 591.

(2) Gruner, Progr. de febre urticata a cancris fluviatilibus et fragariae vescae fructu. Jenae 1774.

(3) Jos. Frank, Praecept. Prax. med. univers. P. I. Vol. II. p. 109.

103. Urticaria, licet summe molestum sit malum, discrimine tamen plerumque caret. Imo illis etiam in casibus, ubi improvise reprimitur, vix unquam ominosas parit sequelas, sed facili negotio denuo ad superficiem revocatur. — Quac de lethali ad cerebrum metastasi ob esseram retropulsam in fastis medicorum adnotantur, potius a maligna indole morbi primitivi, quem urticaria comitabatur, derivanda videntur.

γ. VESICULAE.

a) ECZEMA.

104. Urticariae quodammodo ad fine cutis vitium sistit eczema (ab εκξεω, effervesco), aliis hydroa ($\delta\delta\omega\rho$, aqua) dictum, Germanis Hitzblattern, Hitzbläschen; phlyctaenae nimirum limpido sero turgentem, grano milii, nisi inter se confluant, parum majorcs, pruritu et molesto ardore stipatae, ad basin, praesertim dum scalptu irritantur, notabiliter inflammatae. Ves-

culis illis sponte dehiscentibus, vel frictione rupitis, lympha effluit acris, quae a contactu aëris in crustas coit squamosas, bruneas, aut nigrescentes, siccum ferme aemulando scabiem.

105. Eczema sistit eruptionem benignam, non contagiosam, sporadicam, plerumque idiopathicam; afebrilem ac mere topicalam, ab irritamentis cutem immediate offendentibus provocatam, qua propter in qualibet corporis parte sine delectu occurrere potest. — Singulas considerando phlyctides, quae paucis plerumque diebus evanescunt, aliisque locum cedunt, eczema acutum praebet adfectum; replicata vero in variis locis eruptione, ac successiva serie repullulantibus phlyctacnis haud raro per septimanas, imo menses excurrit. — Quae ad mucosam oris et faucium membranam prorumpunt vesiculae ardentes et pruriientes ejusdem prorsus formae, brevi dissipantur, et vix unquam in aphthas degenerant.

106. Habito respectu causarum principalium, unde provocata eczemata particularitates quasdam contrahunt, tres potiores distinguere licet varietates, nimirum: eczema aestivum, febrile et toxicum.

107. Frequentissimum ardente Syrio phaenomenon offerunt vesiculae pellucidae, vel etiam albidae, sphaericam hydatulam aemulantes, ad basin levi phlogosi cinctae, in apice humore seroso, flavescente, aut subturbido scatentes, quandoque duriusculis phymatibus, culicum morsibus

simillimis, interstinctae, quas, originis ratione habita, eczemata aestiva, sudamina, vel hidrota (ab *iðop*, sudor) compellamus, ab Aetio et Plinio non minus, quam ab Hippocrate sub iisdem nominibus memorata⁽¹⁾ (Germ. Schweissbläschen).

(1) Gruner, Antiquitates morbor. Vratisl. 1774. p. 148.

108. Emicant sudamina potissime segregatim in locis reconditis, sudore maceratis, in pectorre et extremitatibus, rarius ad faciem et manus, nisi ex immediato apricationis irritamento pendent (Eczema solare Willani). Interdiu parum cruciant, ad vesperas vero et maxime noctu, concurrente lecti calore ingratissimum concitant pruritum, ac somnum arcent, quin tamen febries, aliasve generis turbas producant. Irritatae scalpitu vix frenando vesiculae magis inturgescunt, et reclusum effundunt liquorem in crustas coëuntem, quibus incaute avulsis interdum in ulcuscula pertinacia degenerant.

109. Excessivus atmosphaerae, praesertim humidae, atque conclave calor, ardor solis, sudores copiosi vel diaphoreticis, vel corporis immodico exercitio, laboribusque campestribus proliciti, neglecta cutis mundities, balneorum calidorum, vel thermarum sulfurearum quotidianus usus (Sydrakia thermalis Petri Frankii), potiores esse consuescunt sudaminum causae, quibus prae aliis obnoxia observantur subjecta plethorica, in sudores prona, cuti teneriori et suc-

culenta praedita. Maxime vero incolae climatis frigidioris, dum apricas petunt regiones, a pru- riente hocce affectu molestantur per annos bene multos, sub quavis aestate redeunte, donec cli- mati pedetentim adsuefiat organismus.

110. Eczema, seu hydroa febrile (Fieberausschlag), aliis nomine herpetis labialis insignitum (Willan), sistit congeriem ferme ra- cemosam phlyctaenarum, limpido vel flavido se- ro repletarum, basi leviter inflammatae insiden- tium, quae ad exigas tantum superficiei provin- cias circumscribuntur, ac praesertim ad pectus, pinnas nasi, labia et auriculas plaudente sibi plebe efflorescunt. Ardore potius, quam pruritu ve- xant, et post paucos dies sponte disruptae in crustas exsiccantur, quibus deciduis laevigatam subtus relinquunt pellem. Exanthema hocce mere topicum et accidentale, Hippocrati⁽¹⁾ et Herodoto Romano⁽²⁾ jam notum, quando- que sub decursu febrium catarrhalium et gastri- carum evolvitur (symptomaticum), vel vero fe- bres ephemeras, et intermittentium, maxime tertianarum proxysmos excipit cum morbi primiti- vi levamine plus minusve manifesto, quapropter medicis non solum, verum etiam ignarae plebi criticum habetur.

(1) Prosperi Alpini, de praesagienda vita et morte.
Lib. V. Cap. 8. p. 318.

(2) Aetii, Tetrabibl. I. Serm. I. Cap. 129.

111. Vesiculas, vel pustulas hemisphaericas,

parvas, discretas, mox diaphano, mox puriformi latice scatentes, parum elatas, calentes, dolore, ardore, vel pruritu mordaci stipatas, oriundas e locali irritamento substantiarum acrium et venenatarum, eczematis toxicis nomine insignimus, quod aliis *Uredo toxicæ* dicitur (1). Singulas phlyctaenas rubor urens circumambit, atque dum illae rumpuntur, lympha emanat acris, quae vicinam et subjectam cutem inflammat, arrodit, inque crustas coacta duras findit, pertinacia pariendo ulcuscula, qua sub forma Willanio eczema impetiginosum compellatur.

(1) Schmalz, *diagnost. Tabellen.*

112. Haecce eczematis tertia species, erysipeliati phlyctaenoso summe adfinis, (unde Willanio etiam nomine *eczematis rubri* occurrit), semper sporadica, idiopathicæ, localis et afebrilis e specificis originem trahit causis, cutem chemico stimulo irritantibus, quas inter calx, saccharum, gummi ammoniacum, emplastra acria, insectorum morsus, *Rhus toxicodendron*, *tartarus stibiatus* et *hydrargyrum* ceu communiores innotuerunt, pro quarum causarum diversitate ipsa eruptio specificos offert characteres, ac peculiares quasdam postulat therapiae modificationes. Plura scitu necessaria in capite de inflammationibus toxicis adsignabuntur.

113. Hic loci duntaxat mentionem fecisse juvabit de cutis affectu singulari, qui in vesiculis consistit albidis, livescentibus vel subnigris, circa

limbum inflammatis, lenticulae aut fabae magnitudinem aequantibus; quique noctis tempore ad femora erumpit, vel saltem dolores noctu acerbos inducit diluculo remittentes, ac ideo veteribus *Epinyctis*, seu *pustula nocturna* (*Nachtblatter*) vocabatur. Febrem, anxietatem, lassitudinem, torporem, anorexiā et pallorem comites habet; dum liquor effluit pellucidus, quem vesiculæ continent, cuticula marcescit ac secedit, remanetque ulcus coloris lividi vel atri, quod post paucos dies arescit ac in squamas resolvitur, non sine cutis erosae vestigio. — Nil nisi varietas eczematīs, aut pemphigi maligni esse videtur, opinante *Strakio* a singulari et privato miasmate oriunda.

C. Strak, Diss. de *Epinyctide*. *Moguntiae* 1776. — In *P. Frankii Delectu Opusculor.* Vol. XII.

114. *Mali pariter moris phlyctaenae sunt eae, quas Graeci ob similitudinem cum fructu Pistaciae Terebinthi Terminthos vocarunt* (*Hundsblättern Germ.*); incident basi rubrae, purpureae, in apicem nigrum et dolentem desinunt gangraenae proximum. Propriam vero exanthematis speciem non constituunt, ad epinyctidem potius, vel pemphigum reducendi, qui favente diathesi septica in sphacelum tendit.

b) *MILIARIA.*

Molinari, de miliarium exanthematum indole et tractatione disquisitio. *Vindob.* 1764.

Gastellier, *Essay sur la fièvre miliaire, à Paris* 1775.

Allioni Tractat. de miliarium origine, progressu, natura et curatione. *Aug. Taurinor.* 1792.

Kreysig, Abhandl. über das Scharlachfieber nebst Beschreibung einer sehr bösartigen Frieselkrankheit. Leipz. 1802.

115. Exanthema miliare, Purpura miliaris Ludwigi, Cerehnasmus Plouquetii, (Friesel) consistit in phlyctaenis exiguis, acutiusculis, non valde pruriginosis, quae in cutis ambitu, vel etiam in membranis mucosis efflorescunt, atque magnitudine et figura milii grana aequant, unde nominis derivatio.

116. Pro varia humoris collecti indeole et colore dividi solent in crystallina, seu serosa, ubi gemmulas parvas, diaphanas, sudoris guttulis ex cute emersis perquam similes referunt, et alba, quae denuo mox purulenta, mox lactea audiunt, prouti latex reclusus magis densus vel puri, vel lacti magis accedit. Rubra denique miliaria vocari solent, si vesiculae, oculo nudo vix distinguendae, inflammato insident colliculo, vel rubris interstinguuntur papulis, seroso liquore nonnisi tardius replendis. Omnes vero hujuscemodi exanthematis formae sunt merae varietates, nullisque notis definitis inter se possunt distingui; altera enim forma in alteram transit, et plures saepe in eodem corpore promiscue efflorescunt.

117. Num antiquis miliaria cognita fuerint, nec ne, plurimum inter literatos disceptabatur.— Utut negari nequeat, ab eo tempore, quo funesta epidemia miliaris Lypsiae in puerperas debacchata est (1) (ab Anno 1652 ad 1654) medicos majorem huic morbo adtentionem dicasse; ni-

hilo tamen minus jam apud Hippocratem indubitata ejusdem vestigia deprehenduntur (2). Τρηχισματα κεγχρωδεα febrium aestivarum, et ιδρωτες κεγχροειδεες, de quibus Cous Senex in Libro secundo Epidemiorum mentionem injicit, vix ad aliud exanthematis genus, quam ad miliaria referri possent.

(1) Welsch, Histor. med. novum puerarum morbum continens, qui ipsis der Friesel dicitur. Lips. 1655.

(2) Trilleri, Exercit. de febre miliari priscis medicis graecis haud incognita. — In ejus Opusculis medicis. Vol. II. p. 326.

118. Praeviis plurimum consuetis exanthematum majoris momenti prodromis, horripilationibus nempe, anxietate, suspiriis, inquietudine, ardore interno, sensu formicationis, puncturarum, aut levis pruritus in cute, vel vero excandescente symptomatum febris jamjam praexistentis agmine, prorumpit ad jugulum, pectus, dorsum, ad internam membrorum superficiem, raro ad faciem aspredo quaedam miliacea, cuti anserinae similis, expulsione vix unica, sed successiva, sub sudore acetum vapidum redolente, quae adtentiōri tantum oculo, vel solo tactu discernitur, et post triginta circiter ab exordio horas in rubicundas, hyalinas, vel albidas explicatur prominentias. Quandoque tamen absque ulla praeludiis erumpit, et absque molestiis evolvitur, ita quidem, ut insontis prorsus ac indolentis mali praesentia aegrorum non minus, quam medicorum adtentionem effugiat. Post tres, quatuor, aut sep-

tem dies marcescunt phlyctaenae , quin collectus effundatur latex , furfurumque more secedit emorta cuticula. Per vices disparens, iterumque efflorescens exanthema interdum adsignato longiorrem tenet decursum , qualem v. g. observare licet, dum scorbutum , chlorosin , hydropem comitatur , quin tamen ideo chronicum dici possit. Miliaria ad superficies mucosas oris , faucium , vel intestinorum progerminantia libenter in aphthas degenerant.

119. Postquam acres Math. Collinium (1) inter et Baldingerum lites numerosis eximii Haenii, aliorumque virorum observatis compositae fuerunt, plurimi recentioris aevi medici unamino voto consentiunt, miliaria neutiquam pro affectu primario , essentiali , autonomo, sed non-
stanter pro secundario, symptomatico et accidental i esse habenda, quo sive praesente, sive absente morbi primigenii natura et character nullam subit mutationem et differentiam.

(1) Math. Collin, Epistola ad Baldingerum , qua demonstratur; pustulas miliares male factitias et symptomaticas dici. Viennae 1765.

120. Miliaria cuilibet febri ad sociari possunt, praecipue vero febribus gastricis , biliosis , pituitosis , puerperalibus et lacteis , catarrhalibus et rheumaticis , arthritidi acutae , ac febri nervosae lentae ; et quidem diversa sub forma et extensione emicant absque ullo stadiorum , vel characteris delectu. Subinde ipsis exanthematibus essen-

tialibus, variolae, scarlatinae, purpurae typhosae, vel morbillis parasitice adhaerent, unde formae mixtae et hermaphroditae emergunt, quae a nonnullis practicis non satis distinctae et aestimatae procul dubio ad tantam, respectu naturae et periculi, miliarium discrepantiam plurimum contulerunt. — Miliaria rubra morbi characterem inflammatorium, alba vero nervosum ubique significare falsum est.

121. Potiores, ne dicamus unicos, miliarium fontes ad colluviem gastricam varii ingenii, ad sudores ubere extricatos, horumque acriorem qualitatem reducere licet. Saburra acida, putrida, biliosa et pituitosa suo stimulo, per consensum ad cutem propagato, nexus adeo arcum cum genesi miliarium agnoscere, eisque provocandis tali ratione idoneas esse compemus; ut non solum, fante Stollio, febris miliaris vix unquam sine luculentis signis systematici gastrici prava facie redundantis observeatur, verum etiam neglecta sordium evacuatione, ac intempestivo diaphoreticorum et stimulantium usu eruptio artificialis cieri possit, quod reiteratae ab eximio Clinico Vindobonensi Haenio observationes evicerunt.

De Haen, Ratio medendi in Nosocomio Vindobonensi. Vol. II. Cap. 1. et 21.

122. Creberrima miliarium adparitio cunctis illis in morbis, maxime acutis, in quibus copiosus elicetur sudor, vel prava eidem solitoque acrior

inprimitur qualitas in gratiam latentis cuiusdam dyscrasiae , vel cohibitae principiorum recrementationium eductionis , quales sunt febres rheumaticae , arthriticae , lacteae , puerperales , putridae , abunde evincit intimam existere relationem inter abnormem diaphoreseos statum et miliarium evolutionem. Inde evenit , ut miliaria interdum sub malefico influxu aëris ferventis , humidi , ac depravati febribus aestivis , vel cum aestate coincidentibus solito frequentius jungantur , quapropter tunc epidemicā dici solent. — Habito hujus originis respectu miliaria cum hidroa aestivo insignem offerunt analogiam , discrepant tamen constanti phlyctaenarum parvitate , pruritu exiguo vel nullo , decursu semper brevi , febris praesentia , ac desquamatione cuticulae solius absque crustis.

123. Quaenam vero sit humoris perspirabilis depravati miliaribus producendis pars natura , nondum innotuit , nec in omnibus aegris eadem esse videtur. Illum hydrogenis partibus abundare , nonnulli medici ex odore acidulo - putrescente praesagiunt. Aliis observationibus evictum est , succum crotonis violaceum per chartam exceptum ob laticis miliaris acrimoniam rubrum fieri ; quum autem et sudor analogam virtutem ostendat , miliaria nil nisi sudoris guttulas in cute retentas esse , illisque summam cutis pelliculam in vesiculae formam elevari supposuerunt.

124. Causam proximam exanthematis miliaris diversimodo adumbrare conati sunt medici vari. — **Fernolius**, **Haffenreffer** et **Hecker** e sudoris guttulis sub epidermide retentis, qui per latentes cutis meatus dissipari non potuerant, miliaria nasci crediderant; — **Hamilton** serosi humoris copiam et acorem incusat, eo innixus fundamento, quod pallidos et debiles homines huic morbo crebrius obnoxios esse, eorumque sudorem acidum spirare observaverit. — **Frid. Hoffmannus** et **Gastellier** in eo convenient, quod acrimonias proprias a retenta transpiratione generatas insimulaverunt. Quis autem harum theoriarum hypotheticum valorem non perspiciet?

125. Opinio tandem **Allionii**, **Tissoti**, **Molinarii**, **Quarinii** aliorumque medicorum, qui miliaria e proprio miasmate contagioso orta voluerunt, sponte corruit, si ad causas morbi adco differentes, ad modum originis, ad inconstantem et proteiformem decursum, ad possibilem exanthematis in cujusvis generis febribus, et in quovis stadio evolutionem, et ad eruptionem haud raro sub finem morbi cum emolumento aegri contingentem paulo curatius adtendimus; quibus adhuc accedit, quod diffusio miliarium per contacatum, vel insitionem nondum habeatur comprobat. — Proprium admittendo contagium omnes aliae prophases excludi necessario dcberent, rationi enim absonum foret, amphibiam ejusmodi morbi naturam, contagiosam videlicet et non contagio-

sam admittere velle, quatenus exanthema, quod e specifico oritur fomite, qualis contagium esset, semper et ubique specificum et identicum offert characterem et formam (accidentalibus modificationibus et complicationibus exceptis), nullis aliis causis imitanda, variolae et morbilli exemplo.

126. Haud infrequens miliarium copula cum exanthematibus contagiosis, vel cum febribus malignis, quae sub concursu circumstantiarum adversarum subinde virulentos extricant fomites, atque neglecta in hisce distinctio inter morbum primitivum miasmaticum, vel contagiosum, ejusque comitem insontem praeconceptrae opinionis de indeole contagiosa miliarium principem culpam habuisse, plus quam verisimile nobis videtur. Febris igitur miliaris autonoma et sui generis non existit. Potest tamen eo nomine quaelibet febris miliaribus nupta insigniri, si ab inconstant symptomate morbos compellare non displiceat.

127. Vigebat olim prodigiosa opinio, plurimas in praxi febres originem suam potissimum ex latente intus exanthemate ducere, quod natura humana quasi clanculum parturiret, vel saltem solutionem febrium aliter obtineri nequire, nisi sudoribus diffluant aegri, quos calida, imo fervida medendi methodo, potibus calidissimis, remediis stimulantibus et alexipharmacis, stragulisque oneriosis extricare non piguit. Inde majorem exanthematum, hincque etiam miliarium crebritatem, seculo in primis praeterito, nemo mirabitur. — Ad-

curationi vero hodierno aevi morborum cognitio, portentosi scientiae salutiferae progressus, diligens physiologiae et pathogeniae cultus, et quae inde fluit, rationalis therapiæ perfectio suam procul dubio contulerunt symbolam, ut exanthematicum natura et essentia clarius innotuerit, integra exanthematologia majorem consequentiac et simplicitatis gradum adtigerit, et ut ipsa miliaria (toties factitia) inter rariora pertineant phaenomena. — Eandem ob rationem prolixae ultra modum miliarium monographiae, quas in diversis operibus incomprehensibili patientia compositas invenimus, ad succinctam facile reduci possunt synopsin.

128. Phlyctaenæ miliformes vix unquam periculum adducunt, ac unice eo intuitu quandoque pro malo omne haberi poterunt, quod anomaliam morbi primarii indicant, ob eujus indolem malignam sors aegri omnino periclitatur. Quemadmodum subita miliarium evanescens saepe saepius morbi in pejus ruentis effectum, vel et causam sistit, ideoque semper pro casu ancipiti haberi debet; ita e contrario exanthema miliare versus finem febrium unacum sudoribus profusis et luculento levamine crumpi visum est, quapropter criticum habebatur, satius tamen pro criseos comite declarandum.

c) PEMPHIGUS.

J. E. Wichmann, Beytrag zur Kenntniss des Pemphigus.
Erf. 1791.

C. G. Braune, Versuch über den Pemphigus und das Blasenfieber. Leipz. 1795.

A. Morauchik, Diss. de Pemphigo. Vienn. 1815.

129. Vesiculae, vel potius bullae pellucidae, hemisphaericae vel complanatae, tensae, flavescente sero replete, nucis avellanac vel ampliori extensione elatae, ad limbum leviter rubentes, solitariae potius quam coagminatae; in diversis corporis partibus dispersae, ardore potius et tensione quam pruritu molestae, illam constituunt eruptionis speciem, quae medicis *Pemphigus*, *Pemphix*, *Pompholyx*, *Exanthema bullosum* (Blasenausschlag) appellatur.

130. Praeviis plurimum rubore circumscripto, tensione et ardore epidermis in uno, vel pluribus locis a latice seroso uberior secreto in formam ampullac semiglobosae et turgidae adtollitur, vel etiam plures phlyctaenae minores, miliares aut hidroticae confertim efflorentes in unam confluunt bullam ampliorem, quod quidem haud raro intra paucas contingere solet horas. — Postquam per tres, quinque, octove dies immutatae permanescunt vesicae, illis simillimae, quas stimulus cantharidum aut aquae bullientis provocat, dissiliunt atque mox escharis obteguntur, in quas condensata per aëris influxum lympha, plerumque mitis, albumine plus minusve dives coit, pedetentim secendentibus, mox vero latice resorpto corrugantur et marcescunt, solutaque brevi tempore cuticula, quasi combusta, levigatam sine cicatrice relin-

quunt pellem. Tali ratione occurrentes pemphigus acutus audit, ut a chronicō per septimanās, imo menses duraturo, ac ideo inter cachexias relegando distinguatur.

151. **Pemphigus acutus nonnisi raro vitium cutis primarium et idiopathicum esse consuescit, ab irritamentis cuti immediate adplicitis oriundum, nunc mere topicum, nunc febricula symptomatica stipatum.** Talis esset **pemphigus aestivus a calore et apricatione, qualem ceu rariorem hidroac modificationem observare nobis occasio fuit.** — **Multo crebrius exanthema bullosum aliis morbis secundario suboritur, et quidem chronicis aequa ac febrilibus, nullo ferme ad eorundem naturam et stadia respectu habito.** Prae aliis comitari solet febres gastricas, biliosas, catharrhales et putridas, arthritidem, lithiasin, et urinarum in seniculis difficultates. **Dum erysipelati vel scarlatinae supervenit, peculiarem eis conciliat formam, pemphigoden dictam.**

152. **Causae pemphigi acuti non sunt aliae, quam illae eczematis et miliarium, a quibus vesicularum amplitudine, et fors etiam mitiori qualitate seri collecti differre videtur.** Praeter acredines, dyscrasias et sudores cutem irritantes, copiosioremque seri secretionem cientes, frequen-tissima origo ad primas vias haeret. **Singularem tamen in organismo, et speciatim in systemate dermatico, juxta alios etiam in uropoëtico dispositionem supponere fas est.**

133. Perperam igitur nonnulli auctores pemphigum pro identico exanthemate declararunt, proprium ei, si febrilibus stipatur turbis, febris bullosa est nomen impertiendo. — Mercede accidentalem, symptomaticam, sporadicam, specifica vel contagiosa indole prorsus destitutam affectionem cutis esse, nemo practicorum amplius dubitabit.

134. Pemphigus per se spectatus omni periculo caret. Illis tantum in casibus, ubi scalptu aut pravo tractamine irritatus, vel propter septicum morbi, quem comitatur, characterem ad sphacelum tendit, mali ominis esse poterit.

d) ZOSTER.

Fellegrini de Colli, Diss. de Zostere. Viennae 1780.

Knapp, über den Gürtel und das Blasenfieber.

Bernauer, Diss. de Zona. Heripoli 1811.

135. In media trunci parte, cui diaphragmatis, thoracem a ventre dissepientis, respondet insertio, praecunte ardore et rubore phlyctaenae efflorescunt parvae, lentis aut pisi magnitudinem vix unquam superantes, copiosissimae, mox segregatae, interstitia vacua sat magna relinquentes, mox confertae ac fere racemosae, urentes, sero limpido aut flavescente replete, cuti profundius inhaerentes, roseis areolis cinctae, quae dum confluunt cuti circumambienti erysipelaceum ac fere igneum adspectum conciliant. Ubi febris exanthemati praecedit, quod in praxi communissimum est, eruptione circa secundam vel tertiam diem facta febriles motus illico cessant, nisi, rariori omnino

casu, acrioris inflammationis, vel perennis cuiusdam stimuli gratia per totum exanthematis decursum excandescere pergit. — Quinque, vel septem dierum spatio vesiculae plerumque maturacionis adtingunt fastigium; margaritis, aut variolis quoad figuram persimiles limpidum per plures dies recondunt laticem, nihilo tamen minus colorem plumbeum, caerulescentem aut violaceum offerunt, qui a subjecto ipsis vesiculis corio irritato, sanguinis venosi pleno ac fere sugillato, perque diaphanum laticem translucente dependet; circa septimum diem lympha collecta libenter turbulentia ac puriformis evadit, e ruptis profluit vesiculis, exsiccatur, et in parvas coit escharas, quibus deciduis nunc consolidata adparet cutis, nunc ulcuscula remanent pertinacia, quae ob repetitam crustatum, vel squamarum regenerationem herpeti analogum praesentant vitium (1).

(1) Junegger, Liss. de zena serpiginosa. Halae 1794.

136. En hypotyposin dermatitidis exanthematicae, quae quidem habito respectu indolis et formae eruptionis identicum vix constituit malum, — nunc enim ad erysipelas vesiculare, nunc ad eczema, vel pemphigum, nunc plane ad serpiginosum herpetem inclinat, — spectata tamen sedc id sibi privum habet, quod trunci medium cinguli instar occupat, unde antiquis zona, vel zoster (Plinio circinus) compellabatur, nomine ab omnibus modernis lubenter retento (Germ. Gürtel).

137. Plerumque a scrobiculo cordis juxta ulti-

mam costam veram et hypochondrium lateris alterutrius versus columnam vertebralem extenditur, aliquot digitorum transversorum, vel ad summum spithame latitudine, medianam vero lineam a parte antica, et spinam dorsi aversum vix unquam transcendit, ac ideo medium ambiens hominem semi-circulum format. In rarissimo illo casu, ubi totum corpus circini more cingit, majus includere solet periculum, effante jam Plinio. Zonam antibrachii partem superiorem veluti dimidium armillae ambientem Cel. Jos. Frank in eximio suo notavit opere (1); ei analoga varietas ab aliis ad genua observata nomine *periseelidis* insignitur. Nobis pariter idem exanthema in locis caeterum minus communibus intuendi occasio fuit; nempe in regione iliaca dextra ab osse sacro et lumbis sparsim ad umbilicum usque protensum, atque in humero sinistro confertim prorumpens. — Stratum dermatis specialius affectum corium esse, comprobat phlyctaenarum sedes profundior, rubedo in earum ambitu intensa, ac interdum ignea, febris in principio ferme constans, facilisque in ulcscula herpetica transitus.

(1) J. Frankii Praecept. Prax. Med. univ. Part. I. Vol. II.
pag. 171.

138. Prima hujus exanthematis vestigia apud Cornelium Celsum (1), Scribonium Largum (2) et Plinium (3) inveniuntur, nomine ignis sacri, circini, zosteris et zonae descripti. Seriori aevo pluribus medicis visus et delineatus

fuit, adprime a Tulpio, Frid. Hoffmanno, Haenio et Burserio. Plurimum vero ad exactiorem cognitionem contulit Wichmannus (4), graphicus ille morborum pictor.

(1) Lib. de Medicina. V. Cap. 28. §. 4.

(2) De componendis medicamentis. Lib. II.

(3) Natur. Historia. Lib. XXVI. Cap. XI.

(4) Ideen zur Diagnostik. I. B. §. 18 — 22.

139. Diversae eruptionum species, quas apud Antiquos speciosis nominibus descriptas invenimus, — uti Ignis sacer Celsi, Ignis sylvestris apud Hippocratem, Pruna et Ignis persicus Avicennae; Planta nocturna Arabum, de quibus perdocte Lorryus (1) tractat, — perperam a nonnullis ad zonam referuntur; videntur potius ad varias erysipelatis maligni formas reducenda.

(1) Lorry, de morbis cutaneis. Paris. 1777. p. 401.

140. Causae zosteris sunt eadem, quas erysipelati aliisque exanthematibus communibus producendis idoneas esse novimus: refrigerium videlicet repentinum excalefacto corpore, et maxime diebus aestivis incaute exceptum; retenta insensibilis transpirationis recrementa; saburrae variae, praesertim biliosae; stases in systemate venae portarum, fellisque secretio perturbata; abusus spirituorum, ciborum acrum, praesertim animalium multo sale, vel aromate conditorum. — Dyscrasia acris et naturae putrefacientis particeps, quam Burserius defendere voluit, et miasma

specificum a Wichmanno conjectatum hypotheticos sistunt, nulla adhuc experientia evictos, zonae fontes. Inter quinque individua utriusque sexus zoster adfecta, quae brevi temporis intervallo in Clinico Ticinensi curanda habuimus, quatuor morbum ab incauto excandescens prius corporis refrigerio contraxerunt; quintum vero lautiorem insimulavit vini recentis, nondum satis fermentati usum, simulque manifesta gastricismi signa exhibuit.

141. Cur zoster adsignatam supra corporis provinciam occupet, et vix unquam lineaæ medianæ et columnæ vertebralis regionem transgrediatur, haud certo constitui potest. — Multitudo vasorum exhalantium cutis, quae pectus et axillas vestit, continuatus fatus, confrictio et compressio partis per tonacas mulierum, virorumque braccas, in primis vero propria in doles organorum substratorum, hepatis et lienis, quibus insignis principiorum phlogisticorum copia, e sanguine eo ubertim adfluentे, extricatur, maxime sub corporis motu vehementi et excalefactione, momenta nobis largiri viderentur adtentione non indigna, e quibus fors quondam rationem sedis peculiaris, quam morbus praediligit, adumbrare licebit.

142. Zoster, tamquam malum sporadicum, locale, non contagiosum, e causis minoris momenti originem dicens, quod raro ultra duas hebdomades moratur, periculi prorsus expers esse consuescit, nisi sub circumstantiis sinistris, prava medela, vel

neglecta phlyctaenarum punctura (ob acrius lymphae ingenium) in pervicacia ulcuscula herpetica vertatur, aut fortuito casu gangraena accesserit.— Illud solummodo huic exanthemati proprium esse a quibusdam adseritur medicis, quod post sanata ejus symptomata, et loco jam nullas externas notas proferente, vel levissimae tantum cicatricis, interdum laciniantes in parte prius affecta contententur dolores, praesertim dum subito mutatur atmosphaera.

§. PUSTULAE.

143. Pustulam semper secundariam esse exanthematum acutorum formam, e papulis aut vesiculis in suppurationem versis oriundam, jam alibi indicavimus (§. 9.). Utut inter exanthemata, communia nobis dicta, nullum exstet, quod (variolarum exemplo) jam ex sua natura germen suppurationis inevitabilis foveat; plurima tamen genera, praecipue phlyctaenarum,— uti eczemata, miliaria, epinyctis, zoster,— dato anomaliae casu purulentum generant laticem, qui sub epidermide effusus totidem abscessulos superficiales, sive pustulas efformat.

144. Occurrunt praeterea adhuc quaedam pustulae solitariae, per varias corporis partes disseminatae, nullam prorsus in evolutione et decursu regulam tenentes, e psydrakiis, phlyzakiis, vel papulis durioribus suppuratis ortae, quibus particulare nomen non impertitur, nisi veterum Ec-

thymata, Varos et Jonthos huc referre placeat. — Tales in hominibus immundis, qui sordescentes tractant substantias, in phthisicis, pinguibus, in feminis lactantibus, in juvenibus succi plenis et castitati libantibus, vel qui salitis et acribus abutuntur cibis, haud infrequenter efflorescere, facilique negotio, dum negliguntur, vel irritantibus exasperantur, propagata phlogosi ad glandulas sebaceas et panniculum adiposum in furunculos abire vidimus, qui ad majorem numerum in pluribus locis emicantes verum exanthema furunculosum efficiunt.

THERAPIA EXANTHEMATUM SUMMATIM.

145. Quatenus rationalis exanthematum therapeusis unice ab eorundem, febrisque comitis natura, nec non a causarum producentium diversitate determinatur, a medico ante omnia eruendis, — forma vera externa eruptionis ad summum remediorum topicorum applicationem et selectum modificare jubet, — eatenus omnium et singularum specierum curam summatim exponere placuit, superfluas tali opere taediosasque repetitiones evitaturis; etenim stabilitis indicationum cardinibus medela exanthematis cuiuslibet absque difficultate fieri poterit. — Parum interest, num urticariae, strophuli, miliaris aut eczematis formam et nomen habeat morbus, dummodo causa efficiens, quam singulae illae species saepe saepius communem habent, rite cognoscatur, v. g. colluvies gastrica,

nullo enim tunc ad efflorescentiae speciale figuram respectu habito sordium evacuatio princeps erit medentis officium. Quantam vero ex adverso curae diversitatem sibi vindicat interdum exantheme ejusdem formae et nominis, v. g. miliare, pro diverso morbi primarii charactere, causaeque occasionalis natura diversa? — quam ob rem generales saltem regulas therapeuticas adduxisse juabit; specialis enim in singulis casibus medendi ratio sine negotio innotescet e singulis monographiis febrium gastricarum, nervosarum, septicarum, suo loco tradendis.

146. Cura directa exanthematum febriumque exanthematicarum consistit in amotione, vel extictione causae occasionalis, aut morbi primarii, cuius effectum, aut symptoma constituunt ipsae efflorescentiae. Haecce medendi methodus, omni intuitu specialis, pro infinita ferme potentiarum nocivarum diversitate diversissima includit praesidia, singulis casibus adcommmodanda, quibus irritamenta mechanica removere, chemicas acridentes diluere, obtundere ac enervare, caloris vim temperare, cutis sensilitatem minuere, munditiem colere, saburras eliminare, dyscrasias corrigerre, vel suppressas secretiones revocare admittimur.

147. Ubiunque autem causa ignota, non amovenda, vel jam amota permanentes reliquit effectus, ad curam configimus indirectam, cuius generales regulae nonnisi e principiis nosoge-

niae, atque stabilitae essentiae exanthematum de-
promi poterunt. — Praecipua momenta, quae the-
repeuticas regunt et modificant indicationes, at-
que principem medentis adtentionem postulant,
sunt: 1) Exanthema, ejusque origo idiopathica,
vel sympathica. 2) Character febris comitis. 3) Spe-
cifica causae producentis et morbi natura. 4) Symp-
tomata urgentia, sive topica fuerint, sive per con-
sensum in aliis a cute remotis organis concitata.

148. Exanthema idiopathicum cuiusvis formae
in suo primordio, decursuque regulari semper
tractamen leniter antiphlogisticum sibi vindicat,
habito constanti respectu ad substratum adfectum,
ejusque ministeria laesa. Ideo remedia, quae elec-
tivam super cutem exerunt actionem, extricatio-
nem principiorum in ambitu corporis retentorum
promovendo, diaphoretica passim dicta, tantam
sibi promeruerunt laudem, justo tamen magis
exaggeratam, quum evidentissimis compertum sit
experiendiis, nimis generosum et protractum usum
sudoriferorum, methodum videlicet alexi-
pharmacam veterum, praesentes efflorescentias
fovere, vel etiam recentes artificiose provocare.

149. Potus diluentes, refrigerantes, aciduli,
decocta vel infusa leviter diapnoica crebro ac te-
pide sorbillata, uti decocta graminis, scorzonerae,
bardanae, infusa florum verbasci, sambuci, tiliae,
foliorum Theae cum nitri pauxillo, cum oxymelle,
acido citrico vel tartrico, potiones laxativae e ta-
marandis, prunis, manna, salibusque mitioribus

confectae ; abstinentia ab irritamentis ; aër purus ; temperies moderata et aequabilis ; munditici cultus ; atque diaeta adaequata dissipandis exanthematibus levioribus, simplicibus, apyreticis, vel irritativa solum febricula comitatis plerumque sufficiunt.

150. Localium remediorum applicatio in acutis exanthematibus nonnisi raro requiritur, varia-
que pro gradu irritationis, ac stadiorum diffe-
rentia. Quae molestum pruritum, ardorem aut ten-
sionem creant, uti urticaria, sudamina, leniun-
tur balneis, lotionibus et fomentis tepidis emol-
lientibus, unctionibus c butyro recenti, alio-
que litu blando. Quo magis ad erysipelatis natu-
ram inclinat eruptio ob altiorem inflammationis
gradum, eo libentius ab humido abstinemus trac-
tamine, solisque fomentis siccis, aut linteolis par-
tes affectas ab injuriis externis tuemur. Dum ve-
ro superato phlogoseos vigore chronicum minan-
tur decursum, cuti pristinum robur restituere ac
vitiatam secretionem corrigere jubent, quod re-
mediis leniter adstringentibus, saturninis, aci-
dis mineralibus dilutis, aquis chalybeatibus, vel re-
solventibus, uti hydrargyro, alcalinis et acribus
forma balnei, lotionis, epithematis aut linimen-
ti adplicitis obtinetur. Vesiculas nimis turgidas et
tensas, praesertim in pemphigo et zoster acu-
perpungi suadēmus, quo facto, et educta lym-
pha acri consolidatio partium notabiliter promo-
vetur, ac post huma, haud raro taediosa, exul-
ceratio evitatur.

151. Creberrimum exanthematum communium fontem largiuntur diversae primarum viarum sordes, quas aptis remediis eliminare, simulque corrigeret oportet. Convenient igitur mox emetica, mox purgantia leniora, vel drastica. — Pituitam tenacem salinis, biliosum fomitem acidulis, tubi alimentaris contemporalem irritacionem refrigerantibus, atoniam amaris emendare studemus.

152. Exanthemata symptomatica pro diverso febris, quam comitantur, charactere, diversam sibi exposcunt medelam eo semper intentam, ut justum obtineatur virium vitalium moderamen, pro efficienda crisi absolute necessarium, atque alteratus vegetationis processus ad pristinum reducatur norma statum; quare characteri inflammatorio altioris gradus antiphlogistica generosior, nervoso-asthenico cardiaca, et putrido antisепtica mendendi methodus opponenda. In omnibus tamen hisce casibus cutis functionem diaphoreticis principali characteri respondentibus expedire maxime convenit; quem in finem vel leniora superius enumerata (§. 149.), vel vero stimulantia et diffusibilia, uti camphora, moschus, radix angelicae vel serpentariae, etc. eligenda erunt.

153. Specifica exanthematum natura, prouti vel a dyscrasiis varii generis, vel a vencenis, vel vero a contagioso fomite dependet, peculiarem in medendo respectum meretur. Quandoque ars antidotis casu vel analogia detectis succurrere va-

let; multo crebrius vero totum sanationis opus medicatricibus naturae viribus committi debet, quas saltem in ardua lucta rite moderari juvabit, ut hosti debellando pares fiant.

154. Symptomata molesta, periculosa, vel critica, quae sub decursu febrium exanthematicarum in cute ipsa, vel aliis organis secundario, aut fortuito casu evolvuntur, juxta generales regulas curae symptomaticae erunt tractanda.

155. Praeter multifarias anomalias, quas exanthemata febrilia cum aliis pyrexiiis communes habent, summi momenti est impedita, vel imperfecta efflorescentiae eruptio, ejusque jamjam eruptae suppressio. Ad funestos, qui e tali metaschematismo scaturiunt effectus rite avertendos, necesse est: 1) ut causa, in cuius gratiam exantheme disparuit et retroivit, tollatur; 2) ut pristinus processus exanthematicus foras revoctetur, vel saltem ei analogus in cute suscitetur; 3) ut effectus in organis internis positi dissipentur, obruta viscera liberentur.

156. Potiores causas suppressionis exanthematum in refrigerio repentino, praematuero adstringentium usu, siccitate cutis pervicaci, in suppressa virium vitalium reactione, debilitatis gradu altiori, vel vicaria quadam secretione reposuimus, pro quarum diversitate diversa debebit cura, habito semper diligenti ad characterem febris comitis, nec non ad incitationis statum respectu. Mox igitur cutem perfrigeratam moderate

calore, balneisque tepidis fovere, mox vires suppressas aptis evacuationibus liberare, exhaustas stimulantibus remediis refocillare, mox tumulturiam excretionem, uti v. g. esset diarrhoea, reprimere oportebit.

157. Secundam indicationis paginam, praesertim si sola causae amotio non sufficit, explere adnitimus cunctis illis praesidiis, quae motum organicum exteriora versus sollicitant, nisum expansivum (centrifugum) modo blando et aequabili promovent, infractam in ambitu conducendi facultatem restituunt, talique pacto suppressum in systemate dermatico processum morbosum revocare juvant. Calor moderatus, balnea tepida, lotiones, remedia diaphoretica nunc mitiora, nunc diffusibili stimulo agentia, pro varia virium vitalium conditione, idonea quidem praebent admicula, plerumque tamen insufficientia, nisi organon cutis irritamentorum localium ope ad vividores concitetur reactiones, quibus, utut primivae passioni non fuerint prorsus homonymae, interna organa tutissime liberantur. Recurrimus ideo ad frictiones siccas, ad urticationem, ad rubefacientia, vesicatoria, ad corticem mezerei, unguentum cum tartaro stibiato paratum, quibus incassum adhibitis etiam affusiones, vel adspersiones aquae servidae tentari possent.

158. Si sub adaequato usu enumeratorum remediorum, individuali casui rite adaptatorum, exanthema ad pristinos natales revocare licuit, ef-

fectus secundarii in visceribus inducti interdum sponte evanescunt, nullaque particulari medela egent; quod quidem illo praesertim in casu obtinet, ubi reciprocs reactio limites congestionis, seu irritationis simplicis non excessit, vel ad simplicem reducitur spasmus. — Si autem germen verae phlogoseos in parte metaschematismo adfecta positum esset, vel ista plane jam aliquem petiisset exitum, sola exanthematis revocatio, utut feliciter effecta, omni periculo avertendo non sufficit, sed specialem postulat oborti mali deuteropathici curam, quam pro diversitate organi adfecti atque symptomatum, nunc vigentem adhuc inflammationem, nunc generatam jam effusionem, suppurationem, vel gangraenam indicantium diversis remedii perficere oportebit, de quibus jam in singulis capitibus doctrinae specialis inflammationum actum fuit.

159. Ob tot tantaque mala repentinam exanthematum suppressionem sequi visa, praepostera remediorum exsiccantium et repellentium adplicatio aeque ac prava alvum tumultuarie ducendi, vel sanguinem nimis generosa manu profundendi consuetudo sedulo vitari debent. Eorundem vero auxiliorum, ubi necessitas urget, neglectus vitiosa prodigalitate non minus deleterius evadit.

Nicolai, de venaesectione exanthematum eruptionem promovente ac impediente. Jenae 1765.

160. Debitus primarum viarum respectus in nullo exanthematum genere, aestivis praecipue

diebus negligendus; sordes enim gastricae frequentissimum non solem sistunt affectionum cutanearum fontem, verum etiam in decursu exanthematum alius originis e sympathia cutis cum fistula alimentari adeo libenter evolvuntur, ut eximus Stoll, se exanthemata vix unquam puris ventriculo ac intestinis vidiisse, fateatur; quare ubique alvum lenioribus eccoproticis vel clysmatibus reserare, apertamque tenere convenit.

Schoenmelzer, de necessitate laxantium in morbis exanthematicis. Heidelb. 1769.

161. Regimen diaeticum exanthematibus, in genere consideratis, tale competit, quale universim morbi irritativi et inflammatorii sibi exposcunt. — Speciali consideratione digna sunt: victus parcus, digestu facilis, vegetabilis; potus acidulus, aëris puritas et perflatio; temperies moderata et aequabilis, evitando damnosa frigoris et caloris extrema (1); cutis mundities; fuga injuriarum, quas exanthematum origini favere novimus. Hisce rite observatis non solum laeta promovetur convalescentia, sed etiam futurae recidivae metus dissipatur.

(1) Pohl, de regimine caloris et frigoris in morbis exanthematicis. Lips. 1768.

162. Hactenus de cura exanthematum communium, quam ad generales cardines reducere studuimus, ipsam singularum specierum medelam tuto regentes. Exanthematum specificorum tractamen sequentibus capitibus juxta praestabilitam classificationis normam dispositis praeccepturi sumus.

F E B R E S
ET INFLAMMATIONES SPECIFICAE QUOAD
CAUSAM.

163. Duplicem universim distinguere licet potentiarum morbificarum agendi modum; vel enim agunt viribus mere generalibus, mechanicis, chemicis aut dynamicis, pondere, cohaesione, impenetrabilitate, polari elementorum chemicorum aut efficientiae dynamicae oppositione, atque tunc processum vitalem adprime in quantitate laedunt, augendo vel minuendo; — vel vero propter specificam ac sibi unice propriam naturam, elementorum miscelam, viriumque informationem determinatos ac identicos in organismo ponunt effectus, speciali eas inter ac certa organa, vel organicas sphaeras relationi innixos, unde qualitas processus vitalis per eminentiam alteratur, ita quidem, ut sub determinata, per nullam aliam causam imitanda, morbi forma exsurgat; actio potentiarum metallactica; umändernde, umstimende Wirkung (a gracco $\muεταλλαττω$, transmuto, immuto). — Hasce ultimas potentias nocivas specificas nuncupamus, casque potissimum producta vitac altioris, vegetabilis vel animalis esse comperimus.

164. Inflammationes itaque specificas quo ad causam illas vocare licebit, quae praeter generales processus vitalis quantitative laesi, sive incitationis auctae characteres simul

talem in ejus qualitate alterationem offerunt, ut inde propria et identica morbi indoles et forma determinetur, neque a substrati organici, neque a latentis cujusdam diatheseos diversitate, sed unice a specifica causae producentis natura dependens.

165. Utut specificae qualitates causarum, proinde etiam effectuum infinitae omnimode sint, habito tamen ad inflammationum genesin respectu duas principales agnoscimus potentiarum specificarum familias, quarum una **miasmata contagiosa**, altera **venena** complectitur. Differentia haec inter et illa vindicabit discrimen inflammationum in **miasmatico-contagiosas** et **toxicas**, quod maximi sanc momenti habemus, quatenus diversam inculcat medendi rationem, phlogoseos specificae indoli innixam.

I. FEBRES ET INFLAMMATIONES MIASMATICO-CONTAGIOSAE.

A. DE CONTAGIIS ET FEBRIBUS CONTAGIOSIS SUMMATIM.

Palmarius, de morbis contagiosis libri septem. Paris. 1578.
Wedel, de contagio et morbis contagiosis. Jenae 1689.

Gericke, Diss. sistens Miasmatalogiam generalem. Goett. 1775.
Clerc, de la contagion, de sa nature, de ses effets, etc. Petersbourg 1771.

Unzer, Einleitung zur Pathologie der ansteckenden Krankheiten. Leipz. 1782.

Hopfengärtner, Beyträge zur allgem. und besondern Theorie der ansteckenden Krankheiten. Frankf. u. Leipz. 1795.

Gutfeld, Einleitung in die Lehre von den ansteckenden Krankheiten. Posen 1804.

Rubini, Riflessioni sulla febbre gialla, e sui contagii in genere. Parma 1805.

Bach, Grundzüge zu einer Pathologie der ansteckenden Krankheiten. Halle 1810. Mit Vorrede von Sprengel.

Schnurrer, Materialien zu einer allgemeinen Naturlehre der Epidemien und Contagien. Tübing. 1810.

Bernhardi, Handbuch der allgemeinen und besondern Contagienlehre. 1. Th. Erfurt 1815.

Brera, dei Contagii. 2 Vol. Padova 1819.

166. Antiquissimis quidem temporibus jam notum erat, diversas morborum species a peculiari et specifico quodam fomite originem trahere, atque id sibi privum habere, quod per contactum sanis communicantur individuis, talique pacto per mutuum hominum commercium longe lateque disseminantur. Ast mirari omnino debemus apud Medicos prisci aevi perpaucas tantum inveniri notitias, Historicorum contra et Philosophorum monumenta fidelibus iisque exactissimis morborum pestilentialium relationibus longe eminere. — Brevitati studendo potiores saltem meminisse juvabit, scilicet: **Sacros Codices** (1), praecipue vaticinia Jeremiae et Ezechieli de pestilentia, quae imperante Pharaone in Aegypto grassabatur, et de alia, quae Anno 2443 a creatione Aethiopiam invisit; **Thucydidem** (2) de peste Athenensi, cuius etiam **Aristoteles** (3) mentionem facit; **Herodotum** (4) de peste, quae Xerxis exercitum invasit; **Josephum Flavium** (5) de pestilentia Haebraeorum; **Titum Livium** (6) de peste A. 538 Romae evoluta; **Dyonisium Halicarnasseum** (7) de simili ejusdem urbis clade

regente Consule Sexto Quintilio; Evagrium et Procopium (8) de peste Byzantina Anni 543; Diodorum Siculum (9) de clade inter Carthaginenses saeviente; Appianum Alexandrinum (10) de peste inter Cimbros diffusa; Warnefriedium (11) de pestilentia Romana Anni 590. — Contemporales autem eorundem aevorum medicos, Hippocratem, Galenum, Celsum, Aretaeum, Alexandrum Trallianum, Aëtium, Caelium Aurelianum de adlatis pestibus vel nullam prorsus, vel superficialem admodum mentionem injecisse, contagiosos morbos cum epidemicis libenter confundendo, ex corum monumentis colligitur.

(1) Exod. Cap. IX. v. 15. 15.

(2) De bello Pelloponesiaco. Libr. VIII.

(3) Opera omnia. Libr. IV. Sect. I. Probl. 7.

(4) Libr. VIII.

(5) De bello Judaico. Libr. II.

(6) Histor. Libr. 25.

(7) Histor. Libr. 10.

(8) De bello persico. Libr. II. Cap. 22.

(9) Bibl. histor. Libr. 4.

(10) De bello Illyrico. Libr. I.

(11) De gestis Longobard. Libr. II. Cap. 4.

167. Historiae conspectus itaque extra dubitationis aleam ponit, morbos contagiosos generi humano coaeuos fuisse, licet eorum ambigua natura hodieque in profundo Democriti puteo lateat, per innumeratas hypotheses parum lucis adeptas. In eo tamen omnis aevi medici collimant, quod lues contagiosas pro morbis sui generis et vere

autonomis agnoverint, propagationis modo, disseminationis facilitate, ingenio specifico, atque singulari pernicie, quam in genus humanum non solum, sed etiam in pacata armenta exerunt, abunde distinctis.

168. Essentialis morborum contagiosorum character unice a potentiae producentis, atque processus morbosi inde producti specifica indole pendet; quare rationalis eorundem pathologia non nisi e physiologia contagiorum et fundamentis pathogeniae desumi poterit. — Ut in disquirendo hocce summe salebroso argumento hypothesisum scripum fallacias, quoad fieri potest, evitemus, ab observationibus per passus ad inductiones et corollaria transibimus, sanae physiologiae et nosologiae praeceptis suffultas, ipsumque processum morbosum in quavis relatione erga causam et organismum ab ovo usque ad mala prosecuturi sumus.

169. Objecta principalia, quae enodanda sunt, ut contagiorum physiologia, et pathogenia morborum contagiosorum rite illustrari possint, ad sequentia reducimus capita: 1) Contagii notio, ejusque proprietates et differentiae ab analogis somitibus. 2) Evolutio primigena. 3) Modus communicationis et disseminationis. 4) Contagiorum super populum diffusio. 5) Dispositionis necessitas. 6) Atrium organismi; quo contagium suscipitur. 7) Infectio ipsa. 8) Quo modo contagiorum actio in organismum explicatur. 9) Processus

morbosus, quem contagia in organis periphericis concitant. 10) Processus morbosus, quem in organis centralibus producunt. 11) Natura contagiorum, et, quae inde fluit, infectionis theoria.

PHYSIOLOGIA CONTAGIORUM.

1. CONTAGII NOTIO, EJUSQUE PROPRIETATES ET DIFFERENTIAE AB ANALOGIS FOMITIBUS.

170. Inter tot tantasque injurias, quibuscum homo continuo collectandum habet, ejus sanitati eminenter infensos esse novimus certos quosdam fomites, in eo conspirantes, quod generatim producta naturae organicae sistunt, discrepantes tamen origine speciali, agendi modo, atque effectibus morbosis in organismo vivo concitatis, quare tot distincta genera ejusdem familiae potentiarum nocivarum constituunt, quibus summam nomen inquinamenti, sive miasmatis (a μιαζω, μιανω, inquino) impertimus. — Haec inter referimus mephites, venena et contagia, sive miasmata mephitica, venenosa et contagiosa, excludentes miasmata epidemica nonnullorum auctorum (epidemicum latens, sive occultum aliorum), quae nullatenus sui generis praebent fomites, sed mox ad mephites, mox ad alias atmosphaerae qualitates, chemicas aut dynamicas reduci possunt.

MEPHITES.

171. Omnia corpora organica, vegetabilia et animalia, viva et mortua, eorumque producta,

dum per diversas processus chemici formas, per solutionem, macerationem, fermentationem, putredinem, etc., in elementaria resolvuntur principia, fertilissimam largiuntur scaturiginem effluviorum saluti aduersorum, quibus genericum nomen *mephitis* tribuimus. — Veteres, qui, quam primum effectuum quorundam causas obscuras admodum cognoscerent, eas statim supra naturam existimantes Diis unice tribuere solebant, Divinitatem sibi confinxerunt, quae hujusmodi tetricis exhalationibus, et noxiis vaporibus avertendis praecesset, eamque sub *Mephitis* nomine adorabant. Habemus enim ex Tacito etiam ante Cremonae moenia *Mephitis* templum extitisse. — Arrisit compellatio p[re]e illa miasmatis, multis medicis accepta, quatenus miasma secundum vocis etymologiam qualiscunque generis inquinamentum indicat, cuius restrictio ad unam tantum speciem mere arbitraria foret. Frequens hodieque miasmata inter et contagia confusio ambiguae denominationis rectiori usu optime vitabitur. *Mephitis* igitur ad miasma se habet, uti species ad genus.

172. Quidquid vim vitalem atque structuram organicam corporum vivorum destruit, chemicorum elementorum dissidium provocat, uno verbo quidquid mortem entium organicorum, eorumque resolutionem ponit, mephitica effluvia extricare juvat. Processus vitae nonnisi catenus ad genesin mephitum concurrit, quatenus et ille praeter

evolutionem simul materiae superfluae continuam destructionem includit, atque elementa eliminat, quae ceu caput mortuum defaecati organismi considerari possunt.

173. Elementa, quae mephiticas exhalationes componunt, sunt eadem, in quac substantiae organicae vita privatae dissiliunt; nunc vera educta, nunc producta recentia processus resolutionis; modo simplicia, uti hydrogenes, azotum, carbonium, sulphur, phosphorus, modo composita, uti ammonia, gaz hydro-sulphuratum, hydro-phosphoratum, substantiae animales in vaporis formam redactae, etc., plurimum vero principia phlogistica, quorum praesentiam non solum mephitidis qualiscunque inutilitas pro respiratione et flamma alenda, foetorque gravis, sed etiam experimenta eudiometrica, nec non earum destruc-tio per vapores acidos abunde confirmant.

174. Scaturigines potiores effluviorum mephiticorum sunt: paludes, loca uliginosa et saepius inundata, aquae stagnantes, fossae, cloace, sentinae, latrinae rescratae; vapores cannabis et corii, quando in aquis pigris macerantur; carnificinae; loca in quibus bestiae mactantur, aut strages eduntur; cadavera inse-pulta et sub dio reicta; cemeteria; exhalationes plurium animalium, vel hominum, tam sanorum, quam praesertim aegro-rum in angusto spatio cohabitantium, ergo atmo-sphaera stabulorum, urbium obsessarum, carccrum, ergastulorum, navium, nosocomiorum, or-

phano-trophiorum, etc. — Inter circumstantias, mephitum ortui faventes, recensendae veniunt omnes illae, quae universim putrefactioni opitulan-
tur, uti aëris atmosphaerici influxus, electricitas negativa, quies, certusque gradus humiditatis et caloris.

175. Habito originis ac diversae naturae respec-
tu sequentes mephitum varietates statuere licet:
a) Mephitis animalis, quae trinum agnoscit
fontem; *α) Putrefactionem corporum integrorum*
vel singularum partium, carnium, viscerum etc.
(*Mephitis cadaverosa*, *putrida*); *β) Emanationem principiorum excrementitiorum e*
corpore sano, transpirationem cutaneam, halitum pulmonum, urinas, faeces, flatus; *γ) Ema-*
nationem principiorum e corpore aegrotante, vel
ex ejusdem productis morbosis, pure, ichore,
lympha degenerata, etc. — *b) Mephitis ve-*
getabilis sub eadem trina relatione plantarum
mortuarum, sanarum et aegrotantium. — *c) Me-*
phitis mixta, cuius praecipuam speciem con-
stituunt tetra paludum et lacuum effluvia (*Mephitis paludos a*). — Excludimus hic loci me-
phites minerales, quales ex terrae meatibus, cryp-
tis et cavernis emanant, in quibus nulla entium
vivorum exstant vestigia, vel quae e diversis ar-
tibus et opificiis originem trahunt, atque fors
rectius venena sub forma vaporis dici possent.

176. Mephitibus generatim sequentes tribui-
mus proprietates, quibus a venenis et contagiis

differunt: 1) Sunt producta resolutionis corporum organicorum, vegetabilium, vel animalium mortuorum, eorumve materialium recrementitiarum. — 2) Generantur extra corpus vivum, vel in ejus partibus, quae processu vitali extincto ad leges chemismi universalis dissolvuntur. — 3) Constant elementis notis, principiis utpote inflammabilibus, eudiometro explorandis, ac ideo consulto produci possunt. — 4) Semper formam vaporis, sive gas retinent, quapropter aërem atmosphaericum pro constanti agnoscent vehiculo, ac eminentem cum organis respiratoriis relationem ostendunt. — 5) Vitae vegetabilium non minus, quam illi animalium sine distinctione sunt infensae. — 6) Vim vitalem infringunt, ac processum vitalem ita pervertunt, ut nisum in liquationem constanter inducant. — 7) Specificas morborum formas non creant, sed generales reproductionis aut incitationis vitalis alterationes determinant, hydropem, scorbutum, cachexiam, febrem putridam, gangraenam, dysenteriam, asphyxiam, etc. — 8) Nulla peculiari egent dispositione; per metamorphosin morbosa in organismo concitatam non regenerantur, neque opportunitatem in eundem morbum extinguunt. — 9) Prouti vel ad minora spatia limitantur, vel vero ad majores extenduntur plagas, nunc sporadicas, nunc epidemicas aut endemicas labes prognunt, quin tamen ejusmodi popularis dominii causa in mutuo individuorum commercio quaeri possit.

VENENA ORGANICA.

177. *Veneni* nomine intelligimus quamvis substantiam, quae cum organismo animali, ejusque processu vitali in tanta oppositione est, ut parva etiam quantitate adplicita summe deleterias mutationes inducat, unde vitae exstinctio et organisationis destructio imminent. — Ex hacce veneni definitione liquet: 1) ejus actionem mere relativam esse, atque unice per reactionem organismi vivi, nec non per heteronymiam inter principium vitale et *veneficum* determinari; 2) ejus ad organismum relationem dynamico-chemicam esse; et 3) semper substantiam, seu materiam ponderabilem sistere, qualiscunque demum ejus fuerit forma. Quapropter e venenorū classe stricto saltem in sensu excludi debent omnes illae potentiae nocivae absolutae, quae etiam super corpora mortua et inorganica agunt, eorum texturam destruendo, vel conflictum dynamicum virium alterando, sive mechanicae fuerint, uti vitrum tu-
sum, cultri, laquei; sive chemicae, uti omnia corrosiva concentrata; sive dynamicae, uti calor, frigus, electricitas.

178. Omissis venenis mineralibus, illa tantum in comparatione cum aliis fomitibus analogis, mephitis utpote et contagiosis adtingimus, quae producta specifica corporum vivorum sistunt, ac ideo organica dici merentur, naturali serie in vegetabilia et animalia distinguenda. Ne autem praefixi scopi limites egrediamur, unice ve-

nenorum animalium characteres exponere juvabit, quibus positis corundem differentia ab effluviis mephiticis et miasmatibus contagiosis facile patebit.

179. Venena animalia 1) Sunt producta vitae animalis sanae, determinatis animalium speciebus pro conditione cuiusvis propria et nativa. Nisi excipiamus quaedam principia venenosa, quae partem integrantem substantiae organico-animalis constituunt, et per analysin chemicam educuntur, uti phosphorum, acidum zooticum, ammonium, atque virulentum liquorem, quem nuper in Ornithorhyncho paradoxo juxta calcar pedis inventum referunt, — venena animalia in inferioribus tantum classibus sanguine frigido praeditis occurunt. — 2) Generantur intra corpus vivum, et quidem vel in massa humorum circulantium, vel vero in peculiaribus organis secretoriis, ad normalen organisationis typum spectantibus. — 3) Elementa, quorum gratia specificas illas ac adeo deleterias vires sortiuntur, hucusque ignota sunt, per analysin chemicam nondum demonstrata, solius processus vitalis determinati ope generanda. — 4) Tamquam producta secretionis ex sanguine insonti fluidam formam habent, possunt tamen solidescere, vel in vaporis speciem resolvi, quo in casu de suis viribus exitialibus multum amittunt; violentissimam actionem exerunt, dum parti epidermide privae adlicantur. — 5) Animalibus plerisque, praesertim illis altiorum ordinum nociva evadunt;

plantarum contra vitam non adgrediuntur. — 6) Pro diversitate principii praevalentis, ac naturae ad oxygenatam, vel phlogisticam accedentis modo irritantem, modo deprimentem in organismo exerunt actionem; in primo casu systemati arterioso, in secundo illi nervorum infensa. — 7) Specificas producunt morborum formas, nunc inflammations, nunc nevroses, quas per nullam aliam causam imitari possumus. — 8) Peculiaris dispositione non indigent, sed in quocunque individuo eundem provocant effectum; non regenerantur tamen per processum morbosum, quem suscitant, neque opportunitatem ad eum denuo subcundum delent. — 9) Licet quandoque pluribus hominibus infensa fiant, atque certis anni temporibus erebrius occurrant, epidemica tamen, vel endemica mala nunquam pariunt.

CONTAGIA.

180. Tertiam speciem inquinamentorum offrunt quidam fomites animales, particulari illo charactere distincti, quod in organismo aegrotante per determinatam morbi formam producuntur, ac in aliis individuis, pro eorum actione receptivitatem habentibus, quibuscum in contactum veniunt, eandem vel saltem summe analogam morbi formam producunt, ac ideo miasmata contagiosa, brevius contagia (Ansteckungsstoffe) nuncupantur. — Quamvis appellatio posterior ipsius vocis sensui nequaquam respondeat, — contagium enim, sive con-

tages; contagio, contactus (ex con, et tago, quod apud veteres, uti Plautum et Pacuvium, idem est actango), nil nisi actum designat (quapropter jam a Cicerone cum communicatione synonymum habebatur), ergo ipsum conflictum inter fomitem inficientem et organismum inficiendum (1) — nihilo tamen secius hocco crimen innocentis soloecismi, sive metonymiae, quae causam cum effectu confundit, et cujus gratia quidem jam doctissimus Mead acriter reprehensus fuit (2), cum plerisque hodierni aevi medicis lubenter dividimus, expressionum brevitati studentes, dummodo conceptus essentiae inde non alteretur.

(1) »Contagium est communicatio inquinamenti ab uno corpore in aliud.« Allen Synopsis. p. 22.

(2) Distinct notions of the plague etc. London. 1722.

181. Contagiis sequentes competitur characteres, qui ultimam eorum ponunt differentiam: 1) Sunt producta organismi animalis, vivi, aegrotantis, et quidem specificae morbi formae per nullam aliam causam generanda; ergo neque plantae, neque cadavera, neque corpora sana, nec omnis qualiscunque morbi forma eis producendis idonea sunt, quare a mephitibus et venenis non magis, quam morbus differt a morte et vita, aliena sunt. Insuper limitantur unice ad animalia sanguine calido praedita. — 2) Generantur intra organismum, et quidem in determinatis organis secretoriis, postquam eorundem

processus vitalis et plasticus per specificam metamorphosin alteratus fuit. — 3) Praeter vehiculum materiale, quod plerumque humor quidam recrementius largiri solet, dynamicum agnoscunt principium, quandoque in distans activum, cuius natura huicdum ignota est. — 4) Forma contagiorum materialis est vel fluida, vel vaporosa, eorum vero ad organismum relatio talis, ut nonnisi determinatis atriis recepta morbosam concitent reactionem, ventriculo tamen excepto, cuius vi destrui solent. — 5) Inficiendi facultatem non extendunt ultra classem animalium sanguine calido. — 6) Sistunt stimulos positivos, ac ideo semper vividiores vel in toto organismo, vel saltem in parte, cui immediate adplicantur, concitant reactiones, nunc per totum morbi decursum permanentes, nunc cum debilitate secundaria oxyus seriusve permutandas. — 7) Specificas producunt morborum formas, ac pro diversa natura et relatione ad organismum modo sistema arteriosum, modo nervosum, aut reproductivem eminenter adficiunt, ubique tamen processum plasticum qualitative alterant, nisum in liquationem promovendo. — 8) Peculiari plurimum dispositione egent; per concitatam metamorphosin morbosam reproducuntur, aliisque individuis communicata cundem generant morbum. — 9) Modo sporadica movent mala, modo per populum diffunduntur, ac devastantes epidemias concitant.

182. Habito respectu originis, propagationis

et effectuum in organismo positorum miasmata contagiosa, monente in primis acutissimo Harlesio (1), in perfecta et imperfecta dividuntur. — Eandem divisionem amplexus est Clar. Dzondi (2), minus congruis tamen, ut videtur, contagii quantitativi, et qualitativi epithetis usus.

(1) Harles, Handbuch der ärztl. Klinik. Leipz. 1817. S 499.

(2) Dzondi, über Contagien, Miasmen und Giste. In dessen Aesculap 1. B. 2. H. p. 122.

CONTAGIA PERFECTA.

183. *Contagiis perfectis cuncta proprietatum mox expositarum series, atque natura autonoma et specifica per eminentiam competit.* Non egrediuntur illud animalium genus, in quo primitus generabantur; unde contagia humana sponte ad bruta nunquam propagantur, et vice-versa; si tamen fortuito, vel ex industria insita fuerint, notabiles contrahunt modificationes. Sub diversis, imo oppositis circumstantiis, v. g. climatis, atque sub infinita per longam annorum seriem regeneratione, proprium sibi characterem conservant, accidentalibus unice modificationibus exceptis, quas interdum a climate, epidemiae ingenio, vel subjecti constitutione patiuntur. Id denique sibi privum habent, quod in systemate dermoideo et mucoso processum phlogisticum, et quidem semper ejusdem indolis et formae incendunt, cuius ope reproducuntur.

184. Essentialē horum contagiorū differentiam ponit eorundem naturā plus minusve diffusibilis, existentia ephemera aut permanens, propagationis ratio, quae inde pendet, diversa, atque singularis ad definita systemata organica relatio et affinitas quasi electiva; quapropter vix non ab omnibus practicis in volatilia et fixa distingui solent.

185. Incomprehensibiles contagiorū volatilium virtutes in sequentibus consistunt:
1) Diffunduntur non solum per contactū immediatum et mediatum, sed etiam per aërem atmosphaericum, quam quidem inficiendi facultatem nonnulla contagia in majorem, alia in minorē distantiam exercere solent, lege tamen inconstanti, vel saltem nondum determinata; quare subdivisionem contagiorū a Clar. Harlesio indicatam in volatilia et subvolatilia minus essentialē esse contendimus.—
2) Propter hancce naturā diffusibilem facile ac celeriter disseminantur, vastissimasque non raro progignunt epidemias.—3) Eadem contagiorū diffusio per aërem atmosphaericum, in quo modo insensibili suspenduntur, vehiculi naturā minus materialem, vaporosam vel elasticam, viribus expansivis distinctam evincit.—4) Sistunt stimulos naturae animali adeo inimicos, ut suam actionem nunquam ad singulas limitent partes, sed ociter super totū extendant organismū, ac universalem illam concitent omnium virium luctam,

quam febris nomine impertimus; quapropter nonnullis etiam miasmata febrilia audiunt.— 5) Febris haec miasmatico-contagiosa, quo ad typum semper acuta, critica est, cyclum definitum, propriis stadiis distinctum, nullaque arte decurtagendum excurrens; quo ad indolem iuflamatoria, vel inflammatorio-nervosa. Reliqui characteres febriles, uti gastricus, nervoso-asthenicus, et putridus ad normalem decursum pyrexiarum contagiosarum non spectant, sed vel sunt secundarii, vel accidentales, ac ideo anomalum potius indicant statum. — 6) Praeter generalem irritationem systematis vasorum et nervorum miasmata volatilia topicam constanter determinant phlogosin in corporis peripheria, membranis nempe mucosis et cute; omnes igitur febres contagiosae sunt catarrhoso-exanthematicae, proinde etiam hoc intuitu morbi cyclici. — 7) Particularem agnoscent ad certa organa et sphaeras organicas relationem; unde diversas exanthematum et phlegmhymenitidis formas, nec non diversa per alteratam phlogoseos ope vegetationem et secretionem producta efficiunt. — 8) Nulla agnoscent remedia specifica, neque per rationalem medendi methodum ante maturationis fastigium extingui possunt; superantur solis viribus naturae debite moderatis, quandoque etiam absque ullo artis praesidio. — 9) Morbo, quem produxerunt, feliciter devicto, receptivitatem in eundem subeundum delent, vel saltem obtundunt

ita, ut corpus vel in perpetuum, vel per longam annorum seriem eadem labe reddant immunc. —

10) Coaeciam alius contagii ejusdem prosapiae susceptionem et evolutionem excludunt; ergo superfoetationis speciem non admittunt, raris casibus exceptis, qui regulam non alterant.

186. Morbi igitur volatilibus contagiosis inducti sunt febres acutae, criticae; quo ad characterem generalem inflammatoriae, aut inflammatorio-nervosae; quo ad indolem specialem febres sui generis, autonomae, specificae; quo ad formam generalem febres comitatae cum topica affectione cutis et membranarum mucosarum, ergo catarrhoso-exanthematicae; quo ad formam specialem variae dermatitidis et phlegmhymentidis modificationes. Huc referuntur Variola, Varicella, Mollbilli, Scarlatina, Rubeola, Typhus contagiosus communis, anthracicus et icterodes; — in brutis pestis bovina et variola ovium.

187. Contagia fixa per solum contactum, nunquam mediante atmosphaera propagantur, ac ideo epidemias pestilentiales non pariunt; primam reactionem morbosam ad illum limitant locum, cui immediate adplicantur, et nonnisi post longius temporis intervallum super reliquum diffunduntur corpus, ita tamen, ut sistema plasticum per eminentiam alterent, specificas ponendo cachexias, arteriosum contra et nervosum sistema plerumque

intactum relinquant; febrem igitur non incendunt, nisi mere symptomaticam, accidentalem et transitoriam; determinatum cyclum in suo cursu non observant, sed absque lege in eodem organismo per menses et annos serpunt; solis naturae viribus nunquam vincuntur, sed artis subsidio constanter indigent; per rationalem medendi methodum ad sanationem perduci nequeunt, quapropter deficiente remedio specifico insanabilia manent mala a fixis inducta contagiis; neque individuum quod semel multaverunt, contra secundam infectionem tutum reddunt; — tandem coetaneae alius contagii evolutioni in eodem corpore, quamvis rarius obtineat, non protinus obstant. — Hujus generis aegritudines sunt: *Syphilis*, *Lepra*, *Elephantiasis*, *Thymiosis africana* (?) et *americana*, *Scabies*, *Plica polonica*; — in pecudibus *scabies ovilla*.

CONTAGIA IMPERFECTA.

188. Omnes morbi, sub quorum decursu processus quidam liquationis evolvitur, talis utpote materiae plasticae resolutio, ut, superato in coagulum nisu, principia phlogistica et expansiva praedominium adquirant, materiebus recrementitiis consuetis, et praesertim humoribus morbose secretis peculiarem conciliant virulentiam. Inter potiores liquationis species, sive potius totidem illius gradationes referimus: liquationem catarrhosam seu puriformem, purulenc-

tam, ichorosam, canceraticam, et sphacelosam sive septicam, quibus etiam totidem differentes fomites virulenti respondent; mucus utpote puriformis, pus, ichor, tabum canceraticum et gangraenosum.

189. Cuncta haecce liquationis producta, quatenus a normali naturae animalis typo notabiliter abludunt, phlogisticis elementis exuberant, ac ideo insignem cum processu vitali anomoioten et heteronymiam offerunt, saluti summopere inimica sunt, ejusque integritatem dupli ratione laedunt. Vel enim 1) generalibus viribus chemicis, aut dynamicis processum organicum alterant, subjugant, quin eandem exacte determinant morbi formam, cuius sobolem sistunt, atque tunc mephitum, aliarumve potentiarum acrum instar agunt; vel vero 2) sub circumstantiis particularibus specificum characterem, tantamque efficientiae insitae energiam adipiscuntur, ut aliis communicata individuis eundem, aut saltem analogum morbum producant, cuius ope denuo regenerantur, hance tamen inficiendi facultatem serius ocyusve denuo amittentes.

190. Hosce peculiares, diversis liquationis formis creatos, fomites nomine viri, contagii imperfecti, vel semicontagii insignimus.— Discrepant a contagis perfectis: 1) Quod deleterias suas vires nequaquam ad unicum animalium genus limitant, sed ab homine ad bruta, et vice-versa propagantur. 2) Quod exanthemate carent,

neque peculiarem illam in omni casu ostendunt ad membranas mucosas relationem, utut plerumque specificas phlogoseos formas generent. 3) Quod nonnulla inflammatorium, alia nervosum, ac denuo alia septicum characterem determinant, ubique tamen nisum in liquationem fovent. 4) Quod sub replicata regeneratione contagiosam indolem pedetentim amittunt, atque rursus in eandem insontem redeunt materiam, e qua sub circumstantiis sinistris evoluta fuere. 5) Quod receptivitatem erga eandem labem non tollunt. 6) Quod sua praesentia aliis contagii evolutionem non impediunt. 7) Quod miasmatis semicontagiosi reproductio nunquam universalis est, sed ad illas tantum partes limitata; quae principem reactionis morbosae atque secretionis vitiatae focum sistunt. 8) Quod tandem morbus fomiti virulento extricando par, sive sporadicus fuerit, sive epidemicus, neque naturam, neque formam mutat, dum contagiosum induit ingenium.

191. Potiora morborum genera, quibus in homine hujusmodi fomites virulentos, seu semicontagiosos generari novimus, ad sequentia reduci possunt: 1) Morbi catarrhales, praesertim maligni et anomali; uti Ophthalmoblenorrhoea; Angina membranacea, Tussis ferina, Dysenteria castrensis, Medorrhoea virulenta, et Aphthae. — Haecce contagia catarrhosa sistunt producta specificae membranarum mucosarum phlogoseos, atque se-

cretionis inde cum in modum alteratae, ut mucus separatus non solum in sensibilibus qualitatibus a normali aberret tramite, in colore, consistentia, acredine et odore specifico (uti v. g. virus medorrhœicum, dysentericum); sed etiam dynamicum evolvat principium, cuius ope in alieno organismo eundem ponit processum morbosum, unde ortum duxit. Pro vehiculo agnoscant mucum vitiatum, puriformem, vel vaporem perspirabilem ex affecto organo manantem, idque sibi proprium habent, quod in determinatis solummodo sphaeris systematis mucosi generantur (v. g. virus medorrhœicum nonnisi in genitalibus, dysentericum in intestino recto), et quod in aliis individuis analogam labem excitare nequeunt, nisi easdem homonymas pertingant partes; ita contagium dysentericum dysenteriam non producet, nisi cum intestino recto in contactum venerit. — 2) Morbi ulcerosi; speciatim Phthisis pulmonalis in stadio colliquativo, Ulcera cacoëthica, Herpes quidam, Porrigo capitis, et Carcinoma. — 3) Morbi septici; uti Febris putrida altioris gradus, Febris biliosa tropicorum, Gangraena nosocomialis; Stomacace; Noma scorbuticum, et Pustula maligna.

192. In brutis domesticis pariter plurima occurunt mala, praesertim epizootica, quae sub adversis circumstantiis contagiosa fiunt, quamvis in prima origine insontia fuerint, e communibus

potentiis morbificis nata; uti febres anthracoides, sic dicta gangraena splenica, coryza virulenta et *κρισσοι* equorum, rabies canina, etc.

193. Pro diversitate naturae specificae, atque effectuum in organismo positorum haecce semi-contagia modo ad contagia perfecta, modo ad effluvia mephitica prope accedunt; nonnulla enim phlogoses specificas determinatum decursum tenentes, hocque absoluto sua saepe sponte evanescentes, morbos igitur cyclicos producunt, atque non raro contagiorum volatilium instar diffunduntur, uti v. g. angina membranacea, tussis convulsiva; — alia processum morbosum infinitum sustinent, nisi ars, vel mors limites ponant, uti herpes phagedaenicus, porrigo capitis, carcinoma; — fomites septici cum mephite cadaverosa plurimum conspirant; — virus Kynolyssicum plane cum venenis animalibus congruere videtur.

194. Per stabilitam hancce facultatem quorundam secretorum morbosorum contagiosam indolem contrahendi, eamque iterum amittendi, intelligitur ratio, cur plures medici in oppositas toties abiverint sententias, cur v. g. nonnulli aperte contagiosum proclaimaverint typhum icteroden, anginam membranaceam, ubi alii easdem aegritudines simpliciter epidemicas declaraverunt. Idem enim morbus sub certis circumstantiis contagii expers est, sub aliis vero virulentus evadit, quin characterem et formam notabiliter mutet. Experientia

igitur evictum habemus transitum morbi insontis, sporadici, aut epidemici in contagiosum, sub restrictione superius exposita. Utrum vero semicontagium in contagium perfectum degenerare possit, nondum comperimus, utut vero haud absimile videretur; maxima saltem inter nonnulla vigeat adfinitas, quemadmodum inter medorrhoicum virus et contagium syphiliticum, inter tussim convulsivam et morbillos, inter κριστον̄ς equorum et variolam; contagium typhosum et septicum.

195. Natura fomitum contagiosorum nimis obscura est, quam ut praemissam distinctionem omni pagina absolutam esse credamus; quin imo ipsi met dubiosas quasdam species esse non reticemus, ita ut apodictica hactenus deficiat certitudo, num perfecta dici debeant contagia, an vero potius semicontagiis adnumerandae, quod dubium prae aliis de contagio febris icterodis tropicorum, variolae vaccinae, Kynolyssae, plicae polonicae et porriginis movemus.

196. **C**ontagium nervosum, omni intuitu metaphoricum, cuius causa proxima neutiquam in fomite activo sui generis, sed in legibus sympathiae, antipathiae, adsociationis et imitationis, vitam sensitivam regentibus, fundatur, cuiusque exempla epileptici, oscitantes, ridentes ac flentes praebent, hic loci protinus excludendum esse facile liquet.

197. Sufficiat interim generales duntaxat ad umbravisse diversorum fomitum morbidorum cha-

racteres et differentias, quum praefixum nobis argumentum de febribus contagiosis, specifica phlogosi comitatis ad sola contagia volatilia disquisitionem limitare nos jubeat.

2. EVOLUTIO PRIMIGENA CONTAGIORUM.

Pucinotti, dei Contagj spontanei, e delle potenze e mutazioni morbose credute atte a produrli. Roma 1820.

198. Quamquam morbi contagiosi jure meritoque generi humano coaetanei dici debeant, testante omnis aevi historia (§. 166.), absurdum tamen foret, eorum propagationem serie non interrupta ab incunabulis generis humani ad praesens usque tempus, atque immensam per omnes terrae plagas diffusionem ex unico germine supponere velle. Huius opinioni, quam nec Recentiores quosdam amplecti piguit, renititur adhuc improvisa contagiorum in certis regionibus evolutio, quin pрагressum commercium cum aliis populis simili malo affectis insimulari possit, atque origo contagiorum recentium, quorum nulla apud Veteres inventiuntur vestigia.

199. Nisi igitur somniare quispiam vellet, primum Paradisi accolam omnium contagiorum germina, Pandorae pyxidis instar, recondidisse, ac per terrarum orbem disseminasse, necessario ad spontaneam, per vices redivivam, horum fomitum genesin recurrat, oportet, quam non solum ratio suadet, sed etiam quotidiana confirmat experientia.

200. Illi ipsi medici, qui omnia contagia no-

strae plagae temperatae adventitia esse volunt, primigenam saltem in exteris zonis evolutionem admittere necessario debent, nisi in absurdam incidere velint existentiae infinitac sententiam. Tali pacto prima exsurgit contagiorum distinctio in originaria, sive primitiva (Ur-Contagien), et communicata, sive secundaria (nach-erzeugte, mitgetheilte Contagien).

201. Quemadmodum entia organica universim, pro diversitate climatis et naturae ambientis, notabiles ac innumeras offerunt variationes; ita etiam miasmata contagiosa, tamquam corporum organicorum, et speciatim animalium producta, a climaticis conditionibus essentialiter modificari, ac peculiares hocce respectu differentias patefacere videmus. Hujus phaenomeni ratio aliunde concipi nequiret, quam ex absoluta necessitate determinatarum circumstantiarum climati inherentium, quae, cum in aliis terrae plagis deficiant, primigenam ibidem evolutionem contagiosi fomitis ventant, utut evoluti semel germinis propagationi non obstent.

202. Miasmata contagiosa inter et clima candem vigere comperimus relationem, quam plantae et animalia ad solum nativum ostendunt. — Quae-dam contagia sub quovis ferme coclo generantur et multiplicantur; alia ex adverso in determinatis tantum zonis. Ultimo in casu denuo dupli ratione se habent; vel enim corum existentia cum climatis constitutione adeo arcte cohaeret, ut ad alias

mundi regiones translata nullas ibidem radices figere possint, exemplo Thymiosis africanae et americanae; aut saltem brevi emoriantur, uti Lepra et Pestis orientalis (*Contagia monoclimatica*); vel vero sub diversa, ne dicam opposita, climatum ratione suam integritatem et propagandi virtutem conservant, quod e. g. de syphilitide et variolis evictum habemus (*Contagia polyclimatica*). — Semicontagia in quovis climate nascuntur et multiplicantur, uti ophthalmoblenorrhoea, tussis ferina, medorrhoea virulenta, carcinoma, febris putrida maligna, atque etiam hoc intuitu a contagiosis perfectis discrepant. — Rem modo expositam dilucidant plantae et animalia, quorum nonnulla ad determinata limitantur clima; alia in solo alieno post paucas generationes extinguuntur; atque denuo alia cuivis climati resistunt, uti v. g. cerealia plurima, canis, equus, ipseque homo.

203. *Zona torrida*, quae in productione centium organicorum adeo differentium fertilissima est, quatenus omnes pro vita requisitas potentias et conditiones per eminentiam includit, etiam in primigena evolutione fomitum morbidorum cuiusvis generis, mephitum, venenorum et contagiorum omnes reliquas mundi oras facile superat. Longe maximus morborum contagiosorum numerus, variola, morbilli, syphilis, lepra, thymiosis, pestis bubonica, etc., e zonis calidioribus, ex Abyssynia, Aethiopa, Arabia, Aegypto, India

occidentali primum ortum duxerunt, ubi ad hunc usque diem vel perennes clades endemicas sistunt, vel saltem iteratis vicibus repullulant, cuius quidem principalem rationem Cel. Humboldt in minori atmosphaerae vicissitudine reponit.

204. **C**limate temperatum evolutioni contagiorum et venenorum, tam animalium, quam vegetabilium multo minus opitulatur, ita quidem, ut praeter fomitem scarlatinosum, tyficum, et scabiosum vix aliud contagium perfectum indigenum in Europa, aliisque ejusdem latitudinis geographicae regionibus supponere liceat.

205. **R**egiones hyperboreas, in quibus, repugnante coelo, omnia fere naturae viventis vestigia evanescunt, et perpaucā solum plantarum et animalium genera necessarium inveniunt pabulum, omni primigena contagiorum et venenorum productione immunes videmus; et quae illuc transferuntur mala contagiosa, brevi emoriuntur.

Geblér, Diss. med. sistens migrationes celebriorum morborum contagiosorum. Goetting. 1780.

206. Spectata hacce climatica miasmatum contagiosorum origine; in exotica et vernacula discriminari solent, conceptu tamen mere relativo, quum exoticae nobis sint lues, quae aliis nationibus indigena constituunt mala, et viceversa.

207. Missas facimus diversas medicorum et philosophorum hypotheses, quibus primariam contagiorum originem explicare satagebant, nunc astrorum influxum (Cardanus et Fracasto-

rius), Deorum iram, nubes pestiferas (Britonius), spiritus maleficos, emanationes tetras e visceribus telluris (Eichelberg), nunc animalcula in aëre volitantia (Kircherus), vel varias in organismo humano evolutas acredines criminando, earumque facilem omnino confutationem aliis lubenter committimus. In objecto adeo abstruso, cuius arcana tot ingeniosi naturae scrutatores incassum revelare tentarunt, veritatis umbram saltem adtigisse sufficiet; etenim naturam potentiae morbificae sensus effugientis non nisi per inductiones, et analogias castis observationibus innixas, scrutari licet, ad illas praesertim adtentio- nem figendo conditiones, quae morborum contagiosorum evolutioni auscultant.

208. Inter conditiones externas, sub quarum concursu morbos contagiosos tam sporadicos, quam populares generari experientia docuit, referimus omnium primo cunctos effluvio- rum mephiticorum fontes, uti aërem diversimode corruptum, non eventillatum, inclusum, exhalationes plurium aegrorum in angusto loco coacervatorum, praesertim si talibus affecti fuerint morbis, quibus communiora liquationis producta uberius exstricantur, uti sunt febres acutae, exulcerationes vastae, scorbutus, gangraena, etc. — Porro accensentur: certus gradus caloris et humiditatis; nebulae; electricitas atmosphaerae negativa; malacia; victus pravus; inedia (unde Helsichii adagium, Λοιμός μετα-

λιψον); animi despensio; annonae charitas; obsessiones, bella, miseria et calamitates publicae. Innumera tandem adhuc sunt erumpentium e terrenis visceribus expirationum genera, pestiferi quippe halitus barathrorum, speluncarum, antrorum, lernarum, cloacarum, fodinarum, paludum, stagnorum etc., quorum in gignendis contagionibus vis omnium aetatum et gentium medicis innotuit.

209. Haec tamen haud ita intelligi debent, assi fomites contagiosi in aëre nascerentur et circumfluerent. In illo solummodo conditiones et elementa existunt, quae, si in corpus humanum recidunt, mutationem moliuntur, ex qua morbus contagiosus, contagioso fomiti extricando idoneus, generatur. Omnes nimirum injuriae supra enumeratae processum organico-plasticum eum in modum alterant, ut phlogisticorum elementorum praedominium ponant, factoris expansivi energiam intendant, contractivi ex adverso infrigant, uno verbo liquationis nisum vel in toto organismo, vel in singulis sphaeris provocent, quo posito etiam uberiorem determinant emanationem corundem principiorum, peculiari ratione coalescentium, per emunctoria consueta, vel per morbosum secretionis processum, eo quidem necessariam, ne continuata accumulatione vita obruatur. — Ast quaevis producta colliquationis, uti mucus acris, pus, ichor, tabum, etc. naturae humanae adeo inimica et heterogena

sunt, ut non solum in ejusdem organismi partibus, quas pertingunt, sed etiam in aliis individuis, quibuscum collidunt, dummodo dispositio faveat, analogum liquationis processum provocent. — Eo facilius autem id efficere poterunt, quo majorem acquisiverint energiae et differentiae gradum, quo major proinde viguerit ea inter et materiem organicam, quam sibi adsimilare constanter nituntur, heteronymia (1). — Hucusque pateret genesis semicontagiorum; sed perfecti contagii evolutionio ex solo liquationis processu explicari nequit, particulares adhuc in organismo aegrotante supponens metamorphoses.

(1) Hartmann, Theorie des ansteekenden Typhus. Wien 1812.

210. Nulla obtainere potest in corpore animali materiei qualiscunque, sive normalis, sive morbosae, productio et reproductio, nisi per vegetationis munus, per vitalem utpote vasorum capillarium actionem, atque efficientiam plasticam organorum, structura ipsorum specifica modificatam; nonnisi hujus ope tot diversae massae organicae humorumque formae ex eodem sanguine separari poterunt, proinde etiam contagia, tamquam fomites animales, unice vegetationis animalis producta esse debebunt. — Vegetatio autem animalis dupli sub forma exsurgit: vel enim producit, et separat massam organicam detritam (nutritio); vel vero e sanguinis torrente humores separat ab organisationis typo alienos (secretio),

qui nunc pro particularibus impenduntur finibus (inquilini), nunc vero pro ulteriori vita inepti eliminantur (excrementitii); — cuncta haecce munera vastissimo systemati vasorum capillarium incumbunt. — Longe differt contagiorum genesis ab illo processu plastico, qui novas partes generat, servatque praesentes (nutritio), quapropter eosdem fomites contagiosos seu productum secretionis agnoscere cogimur. — Contagium est productum animale morbosum, atque hoc intuitu neque ad organismum sanum, neque ad secretionem inquilinorum referri poterit, supponit ergo determinatam metamorphosin morbosam systematis capillaris illorum organorum, quibus exrementitios fomites separare et eliminare incumbit. Horum adparatum tres in corpore humano agnoscimus species, superficiem cutis, membranas mucosas et vias urinarias. Postremam viam pro contagiorum separatione ineptam esse serius patebit; quare eorum productio ad solas cutis et membranarum mucosarum superficies limitanda erit.

211. Per hancce inductionem, e legibus oeconomiam animalem regentibus depromptam, convincimur, contagia esse producta vegetationis ab normis, et speciatim secretionis morbosae in periphericis organismi emunctoriis, quae tali ratione focum organicum miasmatogeneseos sistunt. — Altera, quae nunc sese obtrudit, quaestio, definitionem modi respicit,

quo supradictae sphaerae organicae a norma deflectere debeant, ut contagii productio efficiatur.

212. Quemadmodum diversa secretionum naturalium indoles ab organi secerentis charactere specifico determinatur, ita secretiones morbosae alteratam organorum secerentium vim vitalem et plasticam supponunt. — Generalis autem illa metamorphosis pathologica, cui novae productionis proprietas *κατ' εξοχὴν* competit, est phlogosis, incitata nimirum systematis capillaris vitalitas cum nisu in formationes abnormes. Si computamus, vix illum existere morbum contagiosum, in quo inflammatorius vel in cute, vel in membranis mucosis deficeret processus; si addimus, diversas dermatitidis formas in origine non contagiosas, uti herpetes, porriginos, prae aliis vero inflammationes catarrhales sub certis circumstantiis contagiosam induere indolem, hocque in casu producta secretionis per phlogosin alteratae, mucum nempe, pus, et materiem perspirabilem potiora sistere contagii vehicula, ad eam libenter ratio inclinat sententiam, quae processum phlogoseos in organis periphericis corporis concitatum pro principali contagiorum scaturigenne agnoscit.

213. Ast negliganda non est peculiaris quacdam circumstantia, quam necessariam esse credimus, ut inflammatio superficialis, ac vitiatus inde vegetationis animalis processus specificam illam subire possit metamorphosin, quae speci-

fici fomitis genesi opitulatur. Hancce circumstan-
tiam in pervicaci cutis siccitate, ejusque
facultate conducendi (Leitungsfähigkeit)
infracta, sive, ut neoterici se exprimunt, in
polaritate cutis inversa reponimus.

214. Superficies cutis praecipuum sistit colatorium, cuius ope superflua principia phlogistica et imponderabilia e corpore eliminantur. Quidquid hancce salutarem emanationem praepedit, damnosae obsecundat eorundem elementorum accumulationi, unde fit, ut ea non solum quantitate augeantur, atque sub caloris animalis uberius extricati influxu majorem activitatis potentiam acquirant, sed etiam in qualitate alterentur, diversa connubia ineant, concentrentur, toti processui plastico ipsisque humoribus secretis specificum characterem imprimant, atque, generationis aequivocae ad modum, recentium productionum ortu faveant. Et revera experientia evictum est, illas maxime febres malignos extricare fomites, quae pertinaci cutis siccitate stipantur, uti sunt febres catarrhales, erysipelaceae, nervosae et putridae. Febres inflammatoriae genuinac, rheumaticac et symptomaticae, in quibus cutis continuo madet, vel saltem laute perspirat, de contagio nunquam suspectae evadunt.

215. Primigenam igitur contagiorum evolutionem concipimus: 1) Ex determinato liquationis processu in organismi penetralibus, quo uberior principiorum phlogisticorum et imponderabilium

diversis sub formis extricatur copia. 2) Ex eorumdem elementorum abnormi retentione, accumulatione, ac in recentes formas unione ob infractam cutis conducendi facultatem. 3) E processu inflammatorio in periphericis corporis organis pro diffusione partium volatilium destinatis, ac vegetationis munere inde eum in modum alterato, ut novum emergat productum.— Ergo non alte petita, non demissa coelo, nec evecta ab inferis, nec ab aëre contagiorum origo; sed ex animali ducta progenie, vi ipsa vitae, ex interiore vitae principio, calore, motu, quidquid diffilabile factum est, si exspiratione, motu prohibitum, mutata elementorum compage, viribusque auctis, densatum intus, intimius confervet, ac in novas formas coalescit.

5. MODUS COMMUNICATIONIS ET DIFFUSIONIS.

216. Infectio dupli modo obtinere solet; per contactum immediatum, et mediatum. Contagium immediatum determinatur per mutuum conflictum inter organismum infectum et inficiendum, quin tertium quoddam intercedat corpus; uti per adcubitum, concubitum, contrectationem, lambitum, suctionem, oscula, etc., quapropter etiam contagium vivum vocatur. Contagium mediatum, sive contagio per fomitem antiquiorum, intercedente corpore tertio, miasmate imbuto, mortuo vel vivo, aut etiam mediante atmosphaera perficitur, estque in praxi longe frequentissimum.

217. Omnia contagia, utut eorum principium activum invisible et imponderabile sit, materiale agnoscant substratum, et quidem humorem quemdam recrementitum, mucum, pus, vel materiam perspirabilem; possunt igitur non solum sub forma liquida diversis adhaerescere corporibus, sed etiam vaporis ad modum in ipsa atmosphaera suspendi, qua tamen proprietate contagia fixa destitui, jam alibi memoravimus (§. 187.).

218. Quemadmodum homo sanus quivis suam sibi propriam atmosphaeram vitalem habet, consuetis effluviis animalibus, certo caloris et electricitatis gradu fetam, per galvanismum, magnetismum animalem, aliaque phaenomena facile conspicuam; ita quoque homo infectus proprio sibi, ast pestifero ambitur halone, cuius limina nemo sine infectionis periculo ingredi potest. Experientia docuit, quosdam morbos contagiosos ad majorem (uti scarlatina et typhus), alias vero ad minorem distantiam (uti variola et pestis bubonica) inficere. Inde quidem diversorum contagiorum diversus evincitur expansibilitatis gradus; definitae tamen hujus actionis in distans leges huicdum determinari nequibant, tanto quidem minus, quod rationi consonum est supponere, in eodem morbo nimum contagiosum et inficiendi potestatem nunc ad majorem extendi, nunc ad minorem restringi distantiam, prouti augentur, vel minuuntur conditiones expansioni faventes, pro quarum diversitate ipse organismus sanus variam

atmosphaerae ambientis extensionem ostendit. Quid mirum igitur, eundem morbum contagiosum tempore hyemali aegrius, citius vero aestate diffundi?

219. Negari quidem nequit, abreptas halonis illius contagiosi portiones, ac per concitatum aëris motum ad majora intervalla dissipatas inficiendi virtutem retinere, talique pacto ventorum admicculo, vel solo illo aëris aestu, quem lucis solaris et electricae tensionis continuo variatae influxus producit, contagia diffundi posse; — huncce tamen disseminationis modum longe minus frequenter esse existimamus, quatenus aër atmosphaericus oxygenii gratia activitatem contagiorum obtundit, eorumque conductioni nonnisi sub determinatis circumstantiis, humiditate, calore et phlogisticorum majori copia opitulatur.

220. Qui miasmatum contagiosorum communicationem mediante atmosphaera pernegare voluerant, nullum aliud adducere norunt argumentum, quam quod plures homines infectione immunes maneant, etiamsi contaminato nosocomiorum aëri continuo exponantur. Quot autem alia individua immunitatem servare novimus, ut ut corpora infectorum, eorumque pollutam suppellectilem manibus perpetuo contrectent; an ideo quis mediatum, vel immediatum contagium in dubium vocare vellet? — Medici plerumque a contagiosis corripiuntur, dum stragula aegrorum infectorum atque sudantium, abdominis vel pulsus explorandi

causa incaute adtollunt, aut faciem sub inspectione cutis, vel linguae aegro nimis appropinguant; pariter sacerdotes, dum aegrism animam exhalantibus adsistunt, contagii vim experiri solent, omni etiam contactu provide evitato.

221. Alius modus diffusionis contagiorum est ille, qui mediantibus corporibus mortuis, aut vivis perficitur. — Nonnullae substantiae talem habent ad contagia relationem, ut eorum vehicula libenter adtrahant, per longius tempus immutata retineant, praesertim si ab aëre cavitur, ac tali ratione inficientem facultatem diutius servant, qua propter passim conductores nominantur. Huc pertinent: pili, pluniae, pelles animalium, lana, gossypium, sericum, stupa cannabina, linteal et vestimenta ex hisce substantiis confecta, foenum, resinae vegetabiles. — Conductoribus contrario minus idoneis accensentur metalla, vitrum, ligna, oleum, aqua, omnia corpora levigata, atque substantiae liquidae (exceptis contagiorum vehiculis), praesertim in quibus alteratrum clementorum chemicorum polarium praevalent, uti acida, alcalina, acria.

222. Rem tamen strictius considerando, contrariam potius conductionis rationem supponere licet; generali enim conductoris apti nomine intelligimus omnes illas substantias, quae principia imponderabilia facile adtrahunt, iterumque dimitunt, corundem igitur adcumulationi et concentrationi obstant. Quare corpora primi ordinis, uti

crines, plumae, lana, etc., potius non conductores dici deberent, quatenus fomites miasmaticos retinent et figunt; contrario enim in casu principium contagiosum aëri atmosphaerico, aliisve corporibus contiguis cito communicarent, eademque proportione inficiendi facultatem brevi amitterent. — Reticendum porro non est, illam, quam diversa corpora supradicta patefaciunt erga contagia adfinitatem non adeo ab eorum intrinseca natura et dynamica relatione, quam potius a fortuita forma, et quidem prae aliis a superficie inaequalitate et porositate dependere, cujus in gratiam fomites contagiosi, tam liquidi, quam gasiformes facilius et pertinacius adhaerent. Idem stramen, si recens et levigatum fuerit, diffusioni contagiorum minus favet, quam contritum, filamentum resolutum, ac in pulverem redactum. Lintea, quo magis sordida sunt, eo facilius infectionem propagare Lindius expertus est. Contagiorum conductio itaque iisdem legibus subjecta esse videtur, quibus imponderabilia universim reguntur. Aërem atmosphaericum, cujus nunc major, nunc minor esse solet contagia conducendi potestas, semiconductoris instar se habere patet. Commixtionem tamen contagiorum inter se et cum aëre ipso non aliam, quam mechanicam supponimus.

223. Cadavera febribus contagiosis defunctorum per atmosphaeram non inquinant amplius, sed solo contactu, et quidem mediantibus con-

suetis contagiorum vehiculis, muco, pure, sudore, quae eorum superficie adhaerent, inficere possunt, quapropter veluti conductores passivi sc habent. Extincta ultima vitae scintilla, nulla amplius locum habet contagii productio. — Propagatio morborum contagiosorum per reliquas partes cadaverum, sive solidas, sive fluidas, non excrementitias, nobis omnimode dubia videtur, dummodo distinguatur infectio virulenta et mephitica a vere contagiosa.

224. Potest tandem adhuc contagiorum communicatio per corpora animalia viva perfici, ita quidem, ut individuum contagioso fomite contaminatum, quod conductoris passivi vices gerit, nullam morbosae reactionis analogae indicium ostendat. Smith, Fordyce, aliique plures testantur contagia mediantibus parabolani ab individuis infectis ad sana translata fuisse, quin tamen ipsi actionem fomitis adhaerentis experti essent. Per medicos pariter febres contagiosas haud raro inter familias disseminari, tristis experientia abunde docuit. Samoilovicz pestem Moscoviac grassantem per canes, feles et corvos diffusam fuisse retulit. Communissimam vero disseminacionem muscarum ope fieri contendimus, quae peculiari instinctu eo alliciuntur, ubi putredo, aut ei analogus dissolutionis processus evolvitur, quare ordinarium illorum aegrorum flagellum constituere solent, in quibus imminens, vel jamjam evoluta liquatio uberiorem phlogisticorum copiam extricat,

aëremque ambientem tetro foetore contaminat.— Ab omnibus hisce conductoribus passivis distinguimus **conductores activos**, sive ipsa contagiorum vehicula, quibus vis contagiosa informata est, et insita.

225. Quamdiu miasmata contagiosa delitescere, et corpora eis imbuta inficiendi facultatem conservare possint, determinare nondum licuit; veri tamen simile est, diversum expansibilitatis gradum, variam corporum, quibus adhaerent, naturam, et reciprocae adfinitatis rationem, nec non multifariarum circumstantiarum intercessio-
nen plurimas hoc intuitu differentias inducere valere, quae ad leges definitas reduci nequeunt. Non solum miasmata magis fixa, uti pestilentiale, sed etiam summe volatilia, uti scarlatinosum, per menses, praesertim si influxus aëris arcetur, delitescere possunt, quin suam amittant vim, data minima occasione suscitandam.

226. Quo plura concurrunt momenta contagiorum evolutioni et propagationi faventia, uti mutuum hominum commercium, communis suppellectilium infectorum usus, atmosphaerae corruptio, etc.; eo facilius ac celerius morbi contagiosi super plurima individua diffunduntur.

4. DIFFUSIO CONTAGIORUM SUPER POPULUM.

227. Qualiscunque morbus contagiosus, qui per populum longe lateque debacchatur, simulque tantam induit malignitatem, ut summo cum

periculo decurrat, insignisque lethalitatis culpam gerat, pestis, pestilitas, pestilentia (derivatum a graeco πεπτω, cado, unde πεσημα, casus), lues, aegror, contagio, clades mortifera, Graecis λοιμος, νοσος λοιμωδες et λοιμικη, Germanis Pest, Seuche, compellatur. Cum igitur pestis conceptus mere generalis sit, sponte liquet erroneam, vel arbitriariam duntaxat fuisse ad applicationem nominis, pestis, ad determinatas quasdam febrium contagiosarum species, ad typhum v. g. orientalem, quod quidem ob indolem ejus summe truculentam et pestiferam factum fuisse videtur. Nullum exstat malum contagiosum (de febrilibus et acutis semper loquimur), quod sub latiori diffusione populorum saluti et vitae plus minusve exitiale non fieret; quam ob rem totidem haberentur pestilentiarum species, quot febres innotuerunt contagiosae, uti pestis variolosa, morbillosa, typhodes, bubonica etc.

228. Quatenus pestis populare flagellum sistit, sive, quod idem est, contemporalem plurium individuorum ab eodem contagioso morbo invasionem, epidemicæ nomen omni quidem jure sibi vindicat (ab επι, super, et δῆμος, populus); ast contagiosæ epitheton addere necesse est, ne cum morbis epidemicis propriæ talibus confundatur, qui ab influxibus cosmicis, et conditionibus anni temporum, atmosphaerae, tempestatumque originem trahunt, quin per contactum communi-

centur, ac ideo epidemiae atmosphaericae, vel constitutionales audiunt. — Dum inter armenta saevit clades, epizootia contagiosa (Viehseuche) dicenda est.

229. Ortum et diffusionem epidemiarum contagiosarum, sive contagionum triplici ratione concipere licet: 1) Ex originaria evolutione fomitis contagiosi in pluribus individuis ob late divulgatas conditiones, quae ei favent. 2) E concursu talium circumstantiarum, quae dispositionem ad morbos contagiosos intendunt. 3) Ex incauto commercio cum hominibus, aut suppellectilibus infectis.

230. Ad primum originis modum contribuunt omnes illae circumstantiae et prophases, quas primitiae genesi contagiorum opitulari suo loco diximus (§. 208.). Inde est, quod epidemiae constitutionales saepe saepius in veras pestes degenerant, quae tamen hocce in casu nonnisi indigenae esse poterunt, uti apud nos typhus exanthematicus, in Aegypto typhus anthracicus, in India febris icterodes.

231. Quodsi derepente plura concurrent momenta, quae in diversis hominibus insolitam ad suscipiendos fomites contagiosos inducunt dispositionem, quasi epidemicam, prouti tepor aestivus, calamitates publicae, animi desponsio universalis, annonae charitas, etc., nil mirum est, si morbi contagiosi sporadici, quibus vix quaedam mundi plaga prorsus immunis esse solet, popularc acquirent dominium.

232. Creberrimus vero loimogeneseos fons merito in mutuo commercio hominum aegrotantium cum sanis, atque in communi suppellectilium inquinatorum usu reponitur. Bella, converticula socialia, scholae, ecclesiae, nundinae, theatra, cauponae, nosocomia, migrations populorum, translationes aegrorum ex uno loco in alium toties funestae diffusionis culpam habuerunt, quam non minus per lotrices, sartores, scrutarios, imo per ipsorum medicorum quosdam, vestium permutationi et munditiei minus studentes, effectam fuisse tristis experientia pluries confirmavit. Tali pacto hominum cultura et gregalis vivendi modus sine dubio inter principes pestilentiarum causas recenseri debet, dummodo culturam et huminitatem perfectiorem aptae directam excipiamus, quae salutiferas sanciendo leges, easque scrupulose execuendo tutissimum praebet in diffundendis contagionibus arginem.

233. Natura morborum contagiosorum nullam patitur mutationem, sive unum, sive plura inde adficiantur individua; quapropter de contagionum, sive pestium duratione, intensitate et periculo idem valet, quod de morbis contagiosis in concreto dicturi sumus.

234. Quidquid nascitur, moriatur necesse est; et ita contingit cum epidemiis contagiosis, quae nascuntur, crescunt, vigent, declinant, ac demum emoriuntur, quin tamen semper gradariae illae stadiorum vices, ac unius in alterum transitus rite

dignosci, vel complexiva totius epidemiae duratio ad determinatum temporis spatium reduci possint. — Pestilentia quaevis in principio minori quidem insidiatur hominum numero, ast multo exitiosius furit; ubi autem successivo passu super plurima individua diffusa maximum adepta est extensionis gradum, plerumque intensione minuitur, pedetentim omnino defatiscens Nisi aptis prophylaxeos praesidiis, vel fortuito circumstantiarum propitiarum concursu limites ponantur, contagiosa lues non cessat, donec omnia individua disposita pervaserit, quo facto sua etiam sponte evanescit, nullum amplius pro sui conservatione et reproductione pabulum inveniens. — Nonnullae pestes intra septimanas, vel menses finiuntur, aliae per annos debacchantur. Quo magis ferox fuerit pestilitas, et quo celerius diffunditur, eo brevioris esse solet durationis.

235. Epidemiae contagiosae vehementia, et periculum, quod inde fluit, a pluribus dependet momentis, quae inter contagii specifica indoles, ejus singularis ad homines relatio, clima, anni tempus, et atmosphaerae conditio principem sibi vindicant locum.

236. Quo major inter fomitem contagiosum et organismum infectum viget heteronymia, eo gravius esse consuescit malum. Inde quodammodo concipitur, cur pestilentiae ab exotico miasmate productae apud nos majus exitium parent; — cur variola in Kamtschatka, climate caeterum conta-

giis minus favente , tantas ediderit strages ; — cur syphilis in patria zona minus gravis sit, quam in nostris terris , utut climatis ratio mitior contrarium producere deberet. Eadem lues secunda rediens vice plerumque minorem ostendit ferociam. Peregrini, dum ad remotas allidunt mundi plagas, a contagionibus ibi endemicis multo gravius plectuntur , quam indigeni. Primas oborientis pestilentiae victimas raro evadere , communis est observatio ; ea vero ratione, qua contagium suo per plura individua transitu indolem nimis heterogeneam pedetentim mitigat, minuitur morbi saevities , ac truculentissimae in exordio pestes sub decursu longiori mitescunt.

237. Pestes facilius diffunduntur, difficiliusque extirpantur in regionibus calidioribus, humidis, depressis, paludosis, in urbibus frequentibus, in vallibus, portibus, ad fluviorum majorum ostia, praesertim aestate et autumno , contrarium obtinet in zona frigidiori et tempore brumali. — Non desunt tamen quaedam exceptiones , quarum ratio in localibus, vel fortuitis circumstantiis, non semper notis , quaerenda. Ita insulam S. Helenae, sub aprico coelo sitam , ad hodiernum usque diem contagiosis malis immunem mansisse peregrinatores testantur.

238. Praeter diversas anni temporum rationes, atque tempestates, quae morborum contagiosorum origini et diffusioni nunc obsecundant; nunc obsunt, ventorum in epidemias contagiosas influ-

xus non est negligendus. Pro varietate plagae, unde ventus spirat, et regionum, quas perflavit, varias quoque offert qualitates, quarum gratia mox pestiferas clades dissipat, mox recentes adfert, vel saltem existentes foveat. Frigidi venti, praesertim aquilonares, non minus ac omnia comburens Harmattan pestis furorem mitigasse, observati sunt.

239. Contagionum, maxime exoticarum, evolution ad nullas anni epochas restricta esse solet, quapropter ordinario epidemias intercurrentes sistunt. Quae de periodico nonnullarum pestium reditu Sydenhamus et alii narrarunt, concipere licet: 1) E periodicis atmosphaerae evolutionibus, indeque oriundis anni temporum et climatis mutationibus, quibus circumstantiae extricantur funestae, contagiorum originariae genesi faventes, uti v. g. in Aegypto accedit, hocce tamen in casu nonnisi indigena supponi poterit pestis, cum constitutione annua et climatica intime nexa; — vel 2) e periodico concursu circumstantiarum, quae aueto hominum commercio et contactu insidiose latentis contagii diffusione efficiunt, uti essent paganalia annua, nundinae, naves certis epochis a remotioribus mundi plagis appellentes, cohabitatio in stabulis tempore hyemali, etc.

240. Contemporale duarum pestium differentium dominium rarissime occurrit, nisi una a contagio perfecto, et altera a semicontagio originem ducat. Ita typhus cum dysenteria castrensi,

morbillus cum tussi convulsiva haud infrequenter incedit.

241. Utut morbi contagiosi proprium sibi ac specificum characterem ubique retineant, aliquas tamen interdum contrahere possunt modificationes vel ab epidemia annua et stationaria, vel a constitutione endemica, quarum imperium vastissimum, ac in generalibus vitae universi legibus fundatum nemo mortalium, sive sanus, sive infirmus effugere valet. Hanc ob rationem pestes hyemales libenter de charactere inflammatorio altioris gradus, aestivae e contrario de bilioso, nervoso aut septico participant. Quae circa aequinoctia grasantur contagiones, manifestum in periodicas exacerbationes nisum patefaciunt. — Qua ratione epidemia stationaria in pestilentium morborum decursum, indolem et discrimen influat, hactenus determinari nequivit, licet pluribus constet observationibus, post momentosas corporum coelstium revolutiones, uti post eclipses solares, cometarum adparitiones, truculentas pestes caput extulisse.

5. DISPOSITIO IN MORBOS CONTAGIOSOS.

242. Quamquam contagia stimulos sistunt positivos, actionem tamen exercent mere relativam, unde in quibusdam individuis facilius, difficilius in aliis morbosum concitant effectum, in aliis denique prorsus nullum, utut replicatis vicibus admissa, vel plane insita. — Peculiaris itaque requiritur ad ortum febris contagiosae dispositio,

sive receptivitas, quam in illis praesertim supponere fas est organismi sphaeris, in quibus primus cum miasmate contagioso conflictus locum habet.

243. Quo vividior sensilitas, eo major univer- sim ponitur stimulorum cuiuslibet generis, pro inde etiam contagiorum actionem percipiendi op portunitas; quo torpidior vero illa, vel irritabilitatis excessu et reali virium robore aucto magis obtusa, eo minor quoque evadit fomitis contagiosi in organismum potentia. — Supponit autem om nis sensatio, sive impressionum externarum per ceptio, motus organici in nervis sentientibus di rectionem, quae a peripheria corporis centrum versus tendat; — irritabilitas contra, sive facul tas erga impressiones externas reagendi, opposi tum ciet motus organici nisum, a centro versus peripheriam, ergo centrifugum, in systemate arterioso in primis conspicuum. — Inde emergit non solum manifesta antithesis inter sistema nervosum et arteriosum, inter sensilitatem et irritabilitatem, qua posita unius augmentum alterius antagonisti cam imminutionem determinat; sed etiam major, vel minor in percipienda contagiorum actione fa cilitas, quam persaepe in eodem subjecto pro di versitate circumstantiarum variare videmus.

244. Quidquid motum organicum centrifugum, sive radiantem sollicitat, systematis arteriosi ener giam intendit, et sanguinis expansionem ejusque versus peripheriam impulsum promovet, uti mo-

tus corporis, calor, victus laetus, aromatum et spirituosorum usus, animi pathemata exhilarantia, temperamentum sanguineum, etc., id etiam emanationem principiorum ponderabilium et imponderabilium sufflamat, sufflaminat vero vice versa, aut prorsus elidit impressionum externarum perceptionem, nisi absoluta polleant stimulandi potestate. Ideo caeteris paribus in febres contagiosas multo minus disposita videmus subjecta torosa, calida, hilaria, laute viventia, bibones et ebrios.

245. Quod jam relativa haecce et quasi antagonistica sensilitatis imminutio, posito irritabilitatis et emanationis activae excessu, producit, id realis in toto corpore, vel saltem in organis contagia recipientibus praevalens torpor tanto faciliter efficiet; quam ob rationem homines phlegmatici, strigosi, senes, fatui, paralytici, illi, qui, narcoticis utuntur, vel tabaci fumum avide sugunt, infectionem quamvis' faciliter evadunt, vel mitius duntaxat laborant.

246. Cuncta momenta, quae reale virium robur infirmant, et sensiferam vim intendunt, vel inaequaliter dispensant, augent dispositionem; unde homines graciles, male nutriti, debiles, metu et terrore, et aerumnis confecti, juvenes, convalescentes, atque jejuni contagium fere quodlibet suscipiunt, et gravius eo adficiuntur. Si de hisce sinistris influxibus plura participant individua, popularis inducitur dispositio, atque facilior pestilentiae evolutio et diffusio (§. 231.).

247. Singularem adhuc, nulli alii potentiae morbificae propriam, dotem contagiorum volatilium adtingere oportet; quod nempe sub determinatis circumstantiis nullum prorsus in organismo exerunt effectum, licet iste illorum influxui constanter et consulto exponatur. Hae *indispersions*, sive *immunitates* certorum individuorum a diversis pendent momentis, atque relativam contagiorum actionem denuo confirmant.

248. Qui febrem contagiosam semel exantlarunt, jus quoddam immunitatis acquirunt, ita ut eundem morbum secunda vice nonnisi rarissime subeant. Nonnullae febres hoc intuitu magis eminent, uti variolosa, aliae minus, exemplo typhosae. Etiamsi singulae exceptiones negari nequeunt, constanter tamen observatur, secundam infectionem semper mitiorem, minusque periculosam esse.

249. Existens quidam processus miasmaticus contemporalis aliis febris contagiosae evolutionem plerumque excludit, talique ratione temporariam immunitatem ponit. Ideo in variolantibus contagium morbillorum, utut exceptum, iners delitescit, donec primus morbus absolutus fuerit. Ipsa contagia fixa, uti syphiliticum et psoricum, febres pestilentiales contrahendi receptivitatem minuunt; ita aethiopes, qui scabie affecti erant, referente Schottio, peste immunes manserunt.

250. Docuit pariter observatio, certa repro-

ductionis organicae vitia, atque potiores dyscrasiarum species dispositionem infirmare, ac infectionem arcere; quare phthisicos, scrophulosos, hidropicos, scorbuticos, vel qui chronica ulcera gerunt, a pestilentibus morbis tutos esse, plurimorum medicorum experientia constat. Victa tamen hacce indispositione, crudelior plerunque evolvitur lues.

251. Quamquam evolutus jam processus miasmaticus febrilis nulla arte truncari potest, nullumque proinde antidotum curativum admittit; ipsa tamen evolutio interdum sat tuto praecavetur, ac opportunitas in certas saltem febres contagiosas quibusdam antidotis prophylacticas radicitus tollitur. Ejusmodi antidotum specificum contra variolas humanas praebet vaccina.

252. Dantur adhuc quaedam dispositiones et indispositiones individuales, derivandae ab idiosyncrasii particularibus, aetate, vitae genere, opificio, a peculiari humorum mixtione aegerrime mutanda, vel capacitate conducdendi impedita. — Diversis vitae periodis varia quoque esse solet in determinatas contagiorum species adfinitas, ita quidem, ut quaevis ferme aetas proprium sibi flagellum habeat. Infantibus teneris variolas et anginam membranaceam, pueris morbillum et pertussim, adolescentibus scarlatinam, adultis typhum familiaria esse abunde innotuit. — Tempore evolutionum physiologicarum, dentitionis, pubertatis, graviditatis,

puerperii dispositio universim major. — Ipsa conditio cutis, tenera aut callosa, pervia aut immunda infectioni nunc favet, nunc obstat. Experientia docuit, homines, qui unguinas vel sordidas res tractant, uti caminorum et cloacorum, foricorumve purgatores, olearios, saponarios, in medio pestis, undiquaque saevientis, immunes permanessisse.

253. Suam denique symbolam ad dispositionem hominum mutandam conferunt conditiones naturae ambientis, atmosphaerae, climatis, relationis cosmicae, anni temporis etc., quibus pariter receptivitatem in morbos contagiosos nunc minui, nunc augeri videmus. Ex solo hocce fonte interdum improvisa contingit pestilentiarum funestarum evolutio; grassantes vero jam pestes nunc mitescunt, nunc exasperantur, quorum omnium ratio e praemissis (§. 236 — 241) absque difficultate intelligitur.

6. ATRIUM INFECTIONIS.

254. Ut contagia morbum sibi respondentem concitare possint, loco congruo adplicantur, oportet, quae quidem necessitas cum eorum actione mere relativa adprime congruit. Sponte autem liquet, primum conflictum inter miasma contagiosum et vires vitales in corporis superficie externa fieri debere, in illis utpote organis, et sphæris organicis, quae cum mundo externo immediate communicant, et quae in ipso salutis statu sub-

stantiis liquidarum et gasiformium externis in corpus recepiendis sunt destinata. Contagiorum a tria (Aufnahmsstätten) igitur alia esse non poterunt, quam superficies cutis, illiusque tractus membranarum mucosarum, qui vias aërem ducentes et alimentares obvelat.

255. Antiqui non solum, verum etiam recentiorum complures infectionem per ventriculi viam, miasmate illic delato, fieri defendunt, quam opinionem tamen et theoriae, et experientiae repugnare facile evincitur. — Miasma contagiosum, licet immediatus contactus parietum oris cum rebus infectis rarissime succedat, ore excipi, cum humore salivali commisceri, ac ad stomachum deferi posse, non inficiamur quidem, quatenus admissum hac via contagium potius unacum aëre atmosphaericо introducatur. Ast data etiam inquinatae salivaе deglutitione, infectio locum habere nequiret, nisi fomes miasmaticus integritatem suam conservet, quod quidem sub continuato influxu salivaе et succi gastrici vix cogitandum. — Uterque liquor oxygenio adeo dives est, idque adeo facile dimittit, ut sola trituratione mercurium, aliaque metalla oxydet, ingestorum vero quorumvis naturam prorsus alteret. Quomodo jam fomes animalis, in quo phlogistica principia exsuperant, et cuius alioquin minima tantum suscipitur moles, huicce potentiae e diametro oppositae resistere posset, quin illico mutetur? — Id quod argumen-

tatio theoretica evincit, experimenta ingeniosissimi medici Valli ad evidentiam dilucidarunt, e quibus innotuit, contagium variolosum, pestilentiale et Kynolyssicum inficiendi facultatem amississe, postquam succo gastrico permixta fuerunt.— Teterimum viperarum venenum provide deglutitum innocuum fuisse, Cel. Fontana repetitis experientiis comprobavit.

256. Tantum igitur abest, ut miasmatum contagiosorum susceptionem, et infectionem per ventriculum fieri admittamus, ut hujus organi ope potius contagiorum naturam destrui opinemur (1). Nausea, vomitus, gastrodynia, aliaque symptoma analoga, quae febres contagiosas interdum ordiuntur et comitantur, nunquam sunt essentia- lia, et si adfuerint, longe melius e nervorum consensu, vel ex accidentalni complicatione gastrica, quam ex idiopathica stomachi irritatione derivantur. In ipsis febribus contagiosarum victimis ventriculi phlogoses et gängraenae rarissime, longe frequentius vero aliorum organorum affectiones deprehendi solent.

(1) Hartmann, Theorie des ansteckenden Typhus. S. 87.

257. Si consideramus, superficiem cutis externae in multo majori et continua relatione cum fluidis elasticis et imponderabilibus esse, quatenus in statu sano non solum diversa elementa volatilia exhalat, sed et alia ex aëre atmosphaerico adtrahit et inhalat, facilitas suscep- tionis contagiorum per hancce amplissimam viam

omnino liqueat, quam quidem omnis aevi experientia confirmavit. — At diversam cutis in variis locis ostendit inhalandi facultatem, cum exhalationis munere plerumque in certa quadam antithesi, seu in ratione inversa, existentem. Quo vividius igitur cutis perspirat, motu organico centrifugo, sive radiante justo magis incitato, eo minus pro adtractione principiorum cuiusvis generis idonea erit. Eandem ob rationem contagiorum susceptiōnem vix unquam per volam manus, quae majori emanatione excellit, sed potius per ejus dorsum, et in primis per omnes illas dermatis provincias fieri credimus, quae pilis, vel lanugine mununtur, talique pacto secundum stabilitas conductio-
nis leges (§. 222) somites qualescumque tenacius retinent. — Partes epidermide exutae, aut tene-
riori et molli coopertae suscipiendis contagiis om-
nino magis idoneae evadunt.

258. Alterum, et quidem nostra sententia prae-
cipuum infectionis atrium praebent membranae mucosae choanas narium, fauces
et fistulam spiritalē m investientes, quae
ipsa cute majorem ad fluida vaporosa et elastica
ad finitatem et relationem tum chemicam, tum dy-
namicam agnoscent; aërem enim atmosphaericum
in sua elementa resolvunt, quorum nonnulla ad-
trahunt, sibique adsimilant, alia denuo expellunt
atque imponderabilium conductioni ob continuam
humiditatem, compagem teneriorem, insignem-
que nervorum copiam eminenter favent. Mucus

tandem ipse consuetissimum est contagiorum vehiculum.

259. Contagia volatilia unacum aëre atmosphaerico, cui suspensa innatant, inspirata immediatum in velamenta mucosa narium et faucium exerunt effectum, ibique adeo constantes suscitant reactiones, ut vix ullam invenias febrem contagiosam, quae sive in principio, sive in decursu comitem non haberet membranarum mucosarum irritationem, et consuetam symptomatum catarhalium catervam.

260. Quamvis infectionem per pulmones non inficiamus prorsus, eam tamen omnino difficilem, ac ideo etiam rariorem esse credimus; aër enim inspiratus, qui complicatos ac tenaci muco oblinitos narium et faucium maeandros permeare cogitur, fomitem contagiosum, quem sibi mechanice tantum permixtum habet, ibidem jam dimittit et deponit, atque contagiosa privat vi, antequam pulmones adtingat, quorum oxydationis processus adeo vividus novum infectionis obstaculum addere videtur.

261. Organon olfactus, quod impressiones diversarum aëris atmosphaericí qualitatum omnium primo experitur, et ideo veluti vestibulum tutorium organorum respirationis considerari potest, praecipuum, innuente jam Darwinio (1), et Harlesio (2) infectionis atrium praebet, quod quidem adserum sequentia suffulcire juvabunt argumenta: 1) Quemadmodum os pro

adsumtione cibi et potus, ita nares pro adspiratione pabuli aërei naturalem offerunt aditum; quidquid igitur aër solutum, aliaque ratione sibi admixtum habet, primam actionem in narium velamentum exerere debet. — 2) Organon olfactus est unicum, cujus ope qualitates fluidorum elasticorum percipere et distinguere valemus; quapropter omnia principia in formam vaporis, aut gas redacta specificum pro olfactu suppeditant stimulum. — 3) Contagia volatilia, quae plerumque vaporis insensibilis forma in atmosphaera suspenduntur, vel saltem principium eorum activum nulli alii sensui, patent, quam olfactui, unica enim qualitas sensibilis est odor specificus, cuivis contagiorum speciei proprius; — quatenus igitur contagia hoc intuitu cum effluviis odoriferis congruunt, specificam quoque ad organon olfactorium supponunt relationem. — 4) Sola atmosphaerae contaminatae adspiratio ad contrahendas febres contagiosas sufficit, evitato omni contactu mediato, vel immediato, quod quidem tristis experientia in nosocomiis toties confirmat. — 5) In omnibus febribus contagiosis membrana narium pituitaria plus minusve affecta cernitur, quod quidem communia coryzae symptomata, sternutatio, cephalalgia frontalis, narium oppilatio, anosmia, oculorum illacrymatio, muci sc̄retio quantitate aucta, et qualitate alterata, aliaque similia abunde indicant. Pituita e naribus pecudum, peste bovina infectorum effluens aptissimum pro contagii

propagatione sistit medium. — 6) Atmosphaerae oxygenatae, quarum tanta in destruendis contagiis virtus, per viam narium proxime excipiuntur, ibique primum exerunt effectum. — 7) Artificialis tandem variolarum per nares insitio, ab Arabis et Sinensibus jam antiquitus usurpata, faciem hac via infectionem vindicat.

(1) Darwin, Zoonomie. Uehers. von Brandis: III. Th.
Class. II. Ord. I. Gatt. 3.

(2) Charles, gerechte Besorgnisse und gegründete Vorkelungen Deutschlands gegen das gelbe Fieber. Nürnberg 1805. S. 141.

262. Generalia itaque contagiorum atria statuimus cutem externam et membranas mucosas viarum aërem ducentium, in specie autem membranam pituitariam organi olfactus. Utrum particulares existant singulorum contagiorum ad hoc, illudve atrium relationes, et quaenam illae sint; vel utrum omnis generis contagia per qualemque ambitus corporis partem suscipi possint, determinare nondum licuit. De quibusdam saltem semicontagiis certi sumus, ea non nisi per determinata suscipi organa, uti id de plerisque contagiis catarrhosis valet.

7. INFECTIO.

263. Fomites contagiosi organismo humano non minus, quam corporibus inanimatis adhaerescere possunt, quin morbosam quandam provocent reactionem, si nimirum illa organismi conditio deficiat, quae ad morbi contagiosi evolutio-

nem absolute requiritur. Huncce statum contaminationem, sive pollutionem simplicem, (Besudelung, Imbrattamento), nominamus. — Quamprimum vero organismus virulento fomite contaminatus hujus influxum nocivum percepit, analogasque opponit reactiones, infectionem (Ansteckung) locum habuisse dicimus. Inde patet, corpora non organica, et inanimata stricto in sensu contaminari tantum, nunquam infici posse. Ubi emens favet prædispositio, momentum infectionis, sive primæ reactionis cum illo contaminationis coincidit; contrario in casu susceptum contagium, invisibili modo diversis corporis partibus adhaeret, abstergitur tandem, abluitur, vel ad aërem defetiscendo suam, vim prorsus amittit, nullumque edit effectum in corpore polluto, licet saepe illius ope aliis individuis cum damno communicetur (§. 224); quandoque tamen, postquam per longiorem temporis intercapedinem iners delituit, improvise efficax redditur, vel ob deletam interim immunitatem transitoriam, vel ob concursum circumstanziarum infectioni faventium.

264. Ut infectio locum habere possit, requiritur: 1) Dispositio organismi. 2) Contactus fomitis morbiferi cum tali corporis parte, per quam ingredi possit, quin mutetur. 3) Status materiei contagiosae talis, qui eam organismum subire non impedit, ergo liquidus, vel gasiformis.

265. Quodvis contagium sistit stimulum posi-

tivum; primus itaque in corpore vivo effectus non aliis, quam ille irritationis esse poterit, quae tamen habito actionis mere relativae, et momentaneae respectu adeo levis plerumque evadit, ut per plures dies persistat, quin ab aegris animadvertatur. — Ratio suadet, huncce primum effectum in illo cutis, vel systematis mucosi loco evolvi, qui cum fomite virulento immedia te conflxit; quemvis proinde morbum contagiosum in prima origine mere localem esse affectum.

266. Specifica contagiorum natura specificam quoque in parte, cui immediate applicatur, mutationem producat, oportet, cujus tamen essentia hucusque determinari nequivit, momento conceptionis in feminis quidem prorsus analoga est, sed hujus instar obscura. Conjectare saltem licet, nervorum polaritatem et motus organici directionem inverti, contractivi factoris energiam intendi, atque spasmum superficialem cieri, qui, per totam brevi protensus corporis peripheriam, requisitum cum mundo externo commercium dynamicum interruptit, liberam imponderabilium conductionem impedit, ac morbosae isolationis (sit venia barbaree voci) speciem inducit. Sublato hocce factorum vitalium aequilibrio processus biochemicalus specificum in modum alteratur, et quidem omnium primo in organis periphericis a contagio primitus affectis, quibus morbosa illa metamorphosis per certum

temporis spatium circumscribitur, conspicuis phaenomenis destituta (stadium delitescentiae); mox vero per reliquum diffunditur organismum, consuetis luctae febrilis symptomatibus in medium prodiens. Rarissimi sunt casus indolis contagiorum adeo deleteriae, ut paucis momentis contaminatio, infectio, reactio universalis intensissima, ipsaque mors improvisa sequatur. Latentem illam periodum, durationis caeterum variae, quae infectionem et evolutionem morbi generalem intercedit, artificialis contagiorum insitio optime demonstrat.

8. QUOMODO CONTAGIORUM ACTIO SUPER ORGANISMUM EXPLICATUR?

267. Fomites contagiosi volatiles eam habent ad corpora disposita relationem organico-dynamicam, ut non solum in atriis periphericis, quibus excipiuntur, specificam determinent metamorphosin, ceu germen mali evolvendi, sed etiam reliqua organismi systemata serius, ocyusve in morbosac reactionis sphaeram trahant.

268. Triplicem noscimus modum, quo stimulorum extrinsecus adplicitorum actio super machinam animalem diffunditur, per vasa utpote absorbentia, per nervos, et mediante penetrabilitate dynamica massae organicae, cuius ad leges imponderabilium propagatio quoquaversus efficitur, sive per poros, ut quondam dixerunt, inorganicos. — Diversa potentiarum externarum ad organismum relatio,

mechanica, dynamica, chemica, vel mixta, generalibus vel particularibus legibus adfinitatis et antagonismi modificata, differentem quoque determinat diffusionis modum. Qualem vero directionem et viam contagiorum expansio sequatur, et quomodo affectio organorum periphericorum in principio mere topica in universalem degeneret luem, disquirendum restat.

269. Plurimi medici Humoralistarum pathologiae addicti; ipseque inter modernos Clariss. Brera, contagia quaevis, et quocunque loco suscepta per vasa lymphatica absorberi, in circulationis alveos deferri, ac sanguinem processui contagioso subjicere docent. Hancce sententiam pluribus quidem argumentis suffulcire et corroborare conati sunt, absque ulla tamen, ut saltem videtur, difficultate refutandis.

270. Contagia, quae ceu producta animalia adeo facile destruuntur, et in principia sua resolvuntur, ut neque digestioni resistere queant (§. 255); multo minus multiplicem et repetitum adsimilacionis et oxydationis processum in systemate lymphatico et sanguineo, digestione adhuc potentiorēm perpeti poterunt, quin subigantur, mutentur, in partes constitutivas resolvantur, suamque naturam et qualitatem ex integro deponant. Quo perfectior, et magis individuus est organismus, ut ille animalium sanguine calido, et praesertim hominis, eo potentius quoque res externas omnes vel in suam convertit naturam, vel vero e

sphaera propriae activitatis eliminat. Secundum hancce aeternam vitae animalis legem fomes contagiosus forinsecus susceptus vel in succum et sanguinem converti, vel per vias excretorias ejici deberet, antequam processui morboso excitando par fuisset; utroque vero in casu, sive fomes ille adsimiletur, sive excernatur, effectus pariter evanesceret causa ablata.

271. Ast admisso etiam contra sanac physiologiae praeculta casu adverso, contagiosam ut-pote materiem vasis lymphaticis absorberi, ac in vasto humorum circulantium gurgite nullam mutationem experiri, nemo inficias ibit effectum instantaneum sequi, et prima praecipuaque reactionis morbosae phaenomena in systemate lymphatico nasci debere, quod tamen omni reluctatur observationi.

272. Effectum instantaneum non esse, docet latens illa periodus, opportunitatis seu delitescentiae nomine insignita, quae inter momentum infectionis et evolutae metamorphoseos morbosae exordium intercedere solet. — Intumescentiae vero et inflammationes glandularum lymphaticarum, quae in febris contagiosis quandoque comparent, — validissimum sane, quo fautores suam opinionem confirmare admittuntur, — neque essentiales, neque constantes comites sistunt; sed vel ab accidentalibus causis, vel a subjecti constitutione dependent, sola peste Orientis excepta. Ast neque hubones pestilentiales majorem ad-

serto conciliant probabilitatem, secundum nuper-
rimas enim observationes non in glandularum
lymphaticarum parenchymate, sed in tela cellu-
lari circumflua sedem habent. — Et si supradic-
ta phaenomena revera compareant, potius ab in-
citione per consensum nervorum diradiata, quam
a resorptione contagii immutati derivanda esse,
patet tum ex eo, quod utriusque axillae intumes-
cant glandulae, licet alterutro tantum brachio in-
sita fuerit variola; tum quod a simplici irritatio-
ne panaritii, vel ambustionis glandulae lymphati-
cae tumere soleant, ubi certe nihil resorbetur;
tum denique e longiori temporis intervallo, quod
inter infectionem et glandularum irritationem in-
tercedit.

273. Si contagia haud mutata a vasis lymphati-
cis reciperentur, in massam humorum circulan-
tium invehenda, sanguis omnino optimum esse
deberet propagationis medium, quod tamen com-
probari nondum potuit. Darwini (1) et Hun-
teri experimenta cum sanguine variolantium in-
fructuosa reddit a sunt. Tentamina felicia a
Franc. Home cum sanguine morbillis adfecto-
rum instituta, e quibus ad contagiosam ejus vir-
tutem concludere voluit, potius suspicari sinunt,
infectionem per materiam transpirabilem, quae
effluenti crux adhaesit, determinatam fuisse,
sanguinem proinde nonnisi conductorem passi-
vo, et non verum contagii vehiculum habendum
esse. Idem dictum sit de artificiali infectione, quam

Professor Viborg (2) cum sanguine equorum, coryza virulenta adfectorum, obtinuisse adserit. Serius plures adhuc patebunt rationes, quae immunitatem sanguinis in febribus contagiosis a Clar. C.L. Hoffmanno speciatim prolatam evincunt.

(1) Darwin, Zoonomie. II. Th. 53. Abschn.

(2) Gutfeld, Einleitung in die Lehre von ansteckenden Krankheiten. S. 62.

274. Gravioris momenti argumentum pro diffusione contagiorum per sanguinem illud esse videretur, quod fetus utero reclusus quandoque de eodem participat processu contagioso, quem organismus maternus patitur. Opponimus autem, immediatam communionem inter sanguinem maternum et fetalem non existere; — fetus saepe saepius mutationum mere dynamicarum per animi pathemata, vel morbos nervosos in matris organismo evolutarum perniciem experiri, quibus in casibus certe nemo sanae mentis sanguini culpam adtribuere somniabit; — morborum haereditariorum genesin ab aliis legibus vitae animalis, quam a communicatione humorum derivandam esse (1); — tandem — nullis adhuc comprobatum esse observationibus, processum contagiosum fetus cum illo matris contemporalem fuisse; imo casus, a medico Lynn in medium prolatus (2), aperte confirmat, variolas in fetu comparuisse, postquam mater jam viginti diebus ante eodem adfecta erat morbo. Infectio fetus majori probabilitate explicari posset e generali metamorphosi

morbosa, quam totus organismus maternus subit, et cuius praesertim sistema dermaticum, illudque membranarum mucosarum particeps fit, itaque uteri velamento mucoso non excepto. Postquam morbus fastigium adtigit, per modo adlatas superficies fomes contagiosus separari incipit, qui e mucipara emanans uteri pagina reclusum ibi fetum absque negotio inficere poterit, dummodo iste dispositione necessaria non careat.

(1) Sprengel, Institut. Patholog. gener. §. 42.

(2) Salzburg. med. chir. Zeitung. 1801. Beylage zu Nr. 32.

275. Quibus tandem inunctiones superficie cutaneae oleosae ideo infectionem arcere videntur, quod oscula vasorum inhalantium obliterando, contagii resorptionem impedian, suam sententiam eosque defendere non poterunt, donec non probaverint, adeo essentiali oeconomiciae animalis functionem per pauca momenta tantum absque vitae discrimine suspendi posse.

276. Si perpendimus nervos primam experiri stimulorum impressionem, atque praecipuos, ne dicam unicos, esse efficientiarum dynamicarum conductores, quas non solum versus organa centralia systematis sensitivi propagant, sed etiam in latum diradiant, propriam sibi efformando atmosphaeram; — si demum mente pervolvimus contagiorum volatilium agendi modum neque mechanicum, neque stricte chemicum esse, quatenus nec formam et cohaesionem, nec miscelam materiae organicae, quam immediate pertingunt, visi-

bili ratione alterare solent; invito ferme animo ad opinionem ducimur: diffusionem actionis contagiorum super organismum per nervos fieri.

277. Id confirmare adhuc juvant: celerrimus quorundam contagiorum effectus, quem interdum momento citius infectionem excipere videmus; major contagium suscipiendi facilitas sub concursu earum circumstantiarum, quae conducentem nervorum facultatem intendunt, uti est sensilitas major, cutis tenera, aetas junior, debilitas directa ejusque causae occasionales, praedominium hydrogenis in contagiorum vehiculis, quod elementum cum nervis familiare est, ac imponderabilibus proximum; symptomata nervosa, ceu constantiores febrium contagiosarum prodromi, et comites; praevalens passio incitationis vitalis p[ro]ae illa processus vegetativi; mors haud raro pure dynamica, quae infectos sideratorum more interimit; tandem actio contagiorum cum illa imponderabilium summe analogia.

278. **Contagiorum actionem cum illa imponderabilium ad prime collimare**, sequentes demonstrant rationes: 1) Principium activum fomitis contagiosi nequaquam in ejus vehiculo materiali, sed in efficientia dynamica sui generis, invisibili et imponderabili est quaerendum, quod viribus expansivis, centrifugis, ergo gravitationi contrariis et naturae materiali oppositis quaquavorsum diffunditur. → 2) Minimus ato-

mus contagii, pondere fere nullus, scintillae ad modum in infinitum multiplicatur, ac plura millia hominum inficere valet, quod quidem augmentum, ab omni materiali indole et chemicis mutationibus alienum, solis imponderabilibus proprium est. — 3) Cuncta, quae expansioni favent, uti calor, electricitas negativa, tenebrae, atmosphaera humida et phlogisticis principiis feta potentiam contagiorum intendunt, eorumque diffusionem promovent; — quae vero contractionem carent, uti frigus, oxygenium, et electricitas positiva, contagiosos somites destruunt, vel saltem eorundem vires infirmitant. — 4) Febres contagiosae tempore exacerbationis, sive incitatae expansionis et emanationis organico-dynamicae maximum offerunt infectionis periculum. — 5) De miasmatis contagiosi existentia non convincimur, nisi per effectus, quos in organismo ponit, et per concitatam vim sensitivam organi olfactus. — 6) Radiantem denique contagiorum actionem adhuc confirmare juvant metamorphoses morbosae, quas constanter in organis periphericis suboriri videmus. Centralia organa, uti cerebrum, cor, pulmones rarissime solum eminentioris ejusdam affectionis indicia offerunt, atque, dato etiam hocce casu, nunquam in viscerum meditullio, sed in ambitu eorum, in amiculis utpote membranaceis, meningibus, pericardio, vel pleura reactionis morbosae signa adparent.

279. Comparando potiora atria organismi, qui-

bus contagia suscipiuntur, atque effectus, quos in diversis organis ponunt, cum anatomica distributione et physiologica destinatione systematis nervosi, absque difficultate ad cognitionem illius sphærae nervosae pervenimus, quae actionem contagiorum p̄ae aliis percipit, ulteriusque diradiat. — Infectio, sive prima fibrae vivae versus stimulum contagiosum reactio, vix non semper insciis aegris contingit; processus morbosus ad sola organa vegetationis et motus automaticos limitatur; officia cerebri et medullae spinalis illibata perseverant, rarioribus tantum morbi gravioris et anomali casibus exceptis; hinc miasmaticae reactionis diffusionem non per aliam, quam per sphæram gangliarem fieri facile intelligitur, hujus enim radii per totum cutis ambitum distribuuntur, atque gubernationem vitae organicae, sive plasticae pro principe agnoscent scopo. — Alteram sphæram nervosam, quae contagii naribus, vel ore excepti actionem experitur, praebet par olfactorium, et par quintum, quae duo nervorum paria, licet a cerebro originem sumant, cum nervis tamen splanchnicis sive gangliaribus plurimum congruunt, quoad formam, structuram, ac intimam relationem cum functionibus vitae vegetativae,

280. Ad conclusionem igitur pervenimus: contagia primam reactionem in organis periphericis suscitare, quae non nisi per breve tempus ad hocce substratum limitata mediantibus nervis mox

supra totum diffunditur organismum, hancce vero primam diramationem per nervos gangliares fieri, si miasma cuti adplicatur, per olfactoryos contra et trigeminos, si a membranis mucosis narium et faucium excipitur fomes contagiosus. Ulterior contagiorum diffusio e nervis conducentibus, electritatis et caloris more, quoquoversum efficitur, ita quidem, ut nullum ferme punctum in corpore sit, quod a contagioso principio non penetraretur. „Totus homo, morbo contagioso laborans, morbus fit.” (Svieten.) Pro diversa tamen ad varia organa relatione principium contagiosum (dynamicum) in nonnullis liberum adparet (v. g. in quibusdam humoribus exrementitiis); in aliis latet occulte, nonnisi determinatis circumstantiis extricandum; utroque ergo in casu denuo cum imponderabilium natura exacte collimans.

9. PROCESSUS MORBOSUS, QUEM CONTAGIA IN ORGANIS PERIPHERICIS CONCITANT.

281. Symptoma catarrhalia, et efflorescentiae in cute adeo constantes esse solent febrium contagiosarum satellites, ut vix unam reperias speciem, quae, etsi non per totum decursum, saltem in primordio, vel in quibusdam stadiis manifesta irritationis inflammatoriae in dermate et membranis mucosis phaenomena non offerret. Morbosus itaque processus, quem contagia in organismi vivi limine, sive in atrii recipientibus provocant, est processus phlogoseos, e signis sibi

propriis haud difficulter dignoscendus, quem tamen nullatenus, uti Richtero placuit, in omni casu speciem excrementi critici imperfecti, sive metastaseos ad cutim delatae habendum esse censemus.

282. Quemadmodum specialis quarumlibet inflammationum indoles et forma a causae producentis et substrati patientis diversitate determinatur; ita quoque phlogosis miasmatico-contagiosa ex parte prophaseos specificae indolem specificam, ac sibi unice propriam, — ex parte substrati organici vero formam particularem, illam quippe phlegmhymentidis ac dermatitidis adipiscitur.

283. Varia et incomprehensibilis hactenus singulorum contagiorum erga factores vitales et diversas organismi sphaeras relatio, atque electiva veluti adfinitas efficit, ut nunc membrana mucosa narium, nunc illa fruminis, asperae arteriae, aut bronchiorum eminenter adficiatur, unde febres contagiosae modo coryzam, modo anginam, bronchitidem, vel peripneumoniam comitem habent. — Similis contagiorum ad cutem ejusque strata relatio varias ponit exanthematum formas, maculas, papulas, phlyctides, pustulas.

284. Quamquam processus phlogisticus, in iisdem constanter evolutus organismi sphaeris, quae primam patiuntur contagiosi influxus actionem, arctissimum indicat et supponit nexum dermatis

et systematis mucosi cum causa producente; nihil tam secius idiopathicus suscepti contagii effectus haberi nequit, sed rectius tamquam productum specificae metamorphoseos morbosae in toto corpore concitatae considerari debet. 1) Inflammatio idiopathica in illa tantum exsurgit parte, quae cum causa irritante in immediatum ponitur conflictum, ergo hoc intuitu semper topicum et arctioribus limitibus circumscriptum sistit affectum; — processus phlogisticus contra in febribus contagiosis supra totum extenditur dermatis et tunicarum mucosarum ambitum; quisnam vero medicorum contagii suspicionem in tota corporis peripheria fieri somnabit? — 2) Morbus idiopathicus persistere quidem potest causa amota, nunquam tamen evanescit causa persistente; — toties autem exanthematicas eruptiones disparere videmus processu miasmatico superstite. — 3) Inflammatio idiopathica sedem non mutat; miasmatica ex adverso metaschematismis eminenter est obnoxia. — 4) Inter actionem contagii, momentum quippe infectionis, atque primam inflammatoriae reactionis adparitionem semper intercalare intercedit tempus; imo in ipso intisionis artificialis casu phlogosis miasmatica non evolvitur, nisi post certum intervallum, abstrahendo a transitorio puncturae irritamento; — inflammationis idiopathicae phaenomena adlicatione causae citissime sequuntur.

10. PROCESSUS MORBOSUS, QUEM CONTAGIA IN ORGANIS CENTRALIBUS PRODUCUNT.

285. Fuit inter modernos praecipue **Stieglitz**, qui exanthemata contagiosa universim morbos ad solam cutem restrictos habuit, sequenti ratione suam dilucidans opinionem: „Fomites exanthematici a primo inde exortu in cute delitescunt, ibique vigent, et tamdiu inconspicua capiunt augmenta, donec aegritudinem propriam, seu febrem moliri valeant. Inter morbillorum, variolarum, et scarlatinae eruptionem ex aliis partibus ad cutem nihil advehitur, sed ibidem, febris potestate jubente, mutationes conspicuae et inconspicuae prodeunt, quarum germen in ipsa cute jam nidulatur, laetaque ex semet ipsis capiunt incrementa. Nihil prorsus ex illa reprimi, nihil ad alium locum transferri, nihil retineri potest; quapropter illae aegritudines, quae exanthematibus repressis supervenire solent, sequela nequaquam, sed potius causa sunt (1).” Valida autem contra hancce Stieglitzii sententiam argumenta expertissimus protulit **Richter** (2); remque ultro illustrare valebunt tam praemissa alibi, quam secutura praecepta, quibus exanthematum contagiosorum pathogeniam superstruimus.

(1) **Stieglitz**, Versuch einer Prüfung und Verbesserung der jetzt gewöhnlichen Behandlung des Scharlachfiebers. Hannov. 1807. S. 126.

(2) **Richter**, Therapia specialis. Tom. II. p. 218.

286. Omnis processus contagious inchoat in

organis periphericis modo plerumque invisibili ; clandestine gliscens per reliquum diffunditur organismum , donec requisitum energiae gradum adeptus sub aperto schemate specificae metamorphoseos morbosae, in penetralibus concitatae, caput extollat; inde denuo versus superficiem corporis reflectitur, ubi phlogoses sui generis proprio cyclo adstrictas, incendit, atque formatione producti morbosi extinguitur. Qualis nunc sit hujus specificae et cyclicae metamorphoseos natura, paucis adumbrare conabimur.

287. Primus , quem contagiorum stimulus super organismum diffusus producit, effectus alias esse nequit, quam virium vitalium incitatio aucta, quod quidem ex ratione agendi dynamica, et imponderabilibus analoga , nec non ex eminenti heteronymia ea inter et naturam humana abunde liquet. Quamprimum igitur actio stimuli adeo venenati ac deleterii per conduceentes nervos centrum versus propagata fuerit, ibidem irritabile principium provocat, arteriosum impri- mis systema ad vividiores reactiones concitat, ae- quilibrium inter singulos factores vitales perturbat, statum indifferentiae inter incitationem et vegeta- tionem tollit, atque generalem illam vitalitatis luc- tam succedit, cui febris nomen tribuitur.

288. Quo major fuerit inter efficientiam contagiosam et vitalem antithesis et differentia, quo magis a normali organismi, ejusque virium typo abluserit illa mutatio , quam fomes contagious in-

corpo infecto producere nititur, eo vividior quoque incendi debet virium vitalium conflictus. Inde evenit, quod nonnullae febres contagiosae per totum decursum moderatam virium exorbitantiam, aliae enormem hyperstheniae gradum offerunt; in aliis denuo libera vis vitalis reactio supprimitur, vel plane exhaustur, atque nunc debilitatis spuria, nunc verae, et quidem plurimum indirectae originem determinat. Quum autem illa heteronymia inter vim organicam, et potentiam contagiosam non semper a reali miasmatis virulentia, sed multo crebrius a diversa ac mere relativa subjecti receptivitate, nec non ab accidentalibus, quae eam modificant, circumstantiis dependeat, sponte liquet, statum incitationis vitalis, qualiscunque demum fuerit, nunquam essentiale et immutabilem processus miasmatici characterem per totum morbi decursum constituere, excepto solo febrium contagiosarum exordio, quod semper virium reactione incitata distinguitur.

289. Quaelibet igitur febris contagiosa sub decursu nunc hypersthenica, nunc asthenica fieri potest, quin intimam suam mutet naturam; cuvis enim practico notum est, idem seminium contagiosum in diversis individuis diversi characteris febres producere. Toties typhus nervosus putridum concitavit, variola benigna in malignam transivit, et vice versa, sub diverso circumstantiarum lateralium concursu. — Si perpendimus, solam quantitativam incitationis vitalis deflexionem in plus, vel in

minus nullatenus sufficere ad tantas adeoque diversas et specificas modificationes processum miasmaticorum concipiendas, sed necessario ad qualitativas vitae et organismi vivi alterationes recurri debere, sponte corruit doctrina Incitabilistarum, qui febres contagiosas morbis simpliciter dynamicis accenserunt.

290. Sub insigni illa lucta, integritatem vitae conservare nitente, quae in systemate arterioso et nervoso orsa brevi super reliqua protenditur systemata organica, processus vegetationis necessario in mutuum trahi debet commercium, omnem enim actionem dynamicam intensiorem et diurniorem chemicae constanter sequuntur mutationes. Sanguis ideo phlogisticam contrahit crasin, intensitati reactionis arteriosae respondentem, quae tamen sub continuato expansionis abnormis dominio, atque uberiori principiorum phlogisticorum evolutione serius ocyusve nisum in liquationem contrahit, atque specificas secretionum qualitates determinat. Pro diversitate elementi praevalentis, hydrogenii, azoti, carbonii diversae induci videntur liquationis formae; nunc hydrolica, uti in scarlatina, nunc septica, uti in typhis, nunc purulenta, uti in variolis. — Plurimum vero ad alterationem processus plastici contribuit cutis polaritas inversa, et conducendi facultas infracta, e pervicaci ariditate et calore mordaci facile dignoscenda, unde fit, ut accumulata princi-

pia phlogistica tanto facilius nova inire possint connubia, atque toti massae organicae alienam imprimant conditionem, licet non semper visibilem.

291. Praevalentem huncce nisum in liquationem comprobant: facilis febrium contagiosarum in asthenicum et putridum statum transitus; phlogoseos comitis in gangraenam, vel ichorosam suppurationem mutatio; incitata saepe saepius illorum humorum secretio, qui e phlogisticis conflantur elementis, uti v. g. bilis; insignis efficacia acidorum; atque paeceps defunctorum putredo.

292. Autonomam igitur et specificam metamorphosin morbosam, quam miasmata contagiosa in organismi penetralibus inducunt, consistere supponimus in generali virium organicarum certamine cum principio contagii dynamico, sub praevalente tamen semper factoris expansivi energia, atque in vegetationis processu ita alterato, ut in determinatas liquationum species emergat nisus. — Turbatum hocce inter incitationem et vegetationem aequilibrium melius restitui nequit, quam per formationem recentis producti e superfluis elementis conflandi, quod natura expultrix per definita eliminare studet colatoria; tali pacto oppressa factoris contractivi actio emancipatur, atque minans massac organicae liquatio arcetur, efficientia plastica pristinum vigoris normalis gradum adepta. — „Illud „prope certum videtur, ait eximius Burserius,

„quod in hujusmodi morbo (febre petecchiali) ali-
 „quid heterogeneum peculiaris venenatae et in-
 „cognitae naturae a reliquis humoribus secernitur,
 „propelliturque ad cutim.”

293. E praemissis intelligi poterit, cur omnes circumstantiae, quae expansionis nisum promovent, uti calor, effluvia mephitica, usus spirituorum et narcoticorum, electricitas negativa, vel etiam illae, quae inflammabilium emanationem praepediunt, uti pertinax cutis ariditas, maximum in febribus contagiosis adducant detrimentum; — insigne contra emolumentum praestent praesidia, quae contrarios exerunt effectus, uti frigus, aëris purus, substantiae oxygenio divites.

294. Licet omnis metamorphosis a volatilibus inducta contagiis tantam universitatem habeat, ut vix locus sit in corpore, qui de ea non participaret; consuescit tamen modo unum, modo alterum systema organicum eminentiorem offerre reactionem, e specifica quadam relatione erga fomitem ipsum concipiendam; uti mox symptomata nervosa, mox inflammatoria, mox illa processus plastici alterati praevalent.

295. Causa proxima specificae illius mutationis, quam organismus infectus subit, fundatur in specifica differentia et heteronymia inter principium vitale, et efficientiam dynamicam contagii, atque in continuo et reciproco utriusque nisu, se vicissim destruendi, vel adsimilandi. Quidquid igitur eam dissimilitudinem et dichostasiam inten-

dit, acriorem suscitare juvat conflictum, majoremque ponit aequilibrium restituendi difficultatem. Inde, uti jam alibi memoravimus, intelligitur, cur contagia exotica nobis advecta in principio strages maximas edant; ea vero ratione, qua per replicatam regenerationem plura individua pertransirent, et naturae nostrae magis homogena evaserunt, de prima sua malignitate plurimum amittunt. Concipitur pariter, cur Europaei in zonis torridis endemica ibi contagia facilius contrahant, iisque multo gravius prehendantur, quam indigeni, uti id de febre flava compertum habuerunt Humboldt et Bompaland. Ad infirmandam illam heteronymiam nulla potentior habetur circumstantia, quam morbus semel exantlatus, atque insitio artificialis vel ejusdem, vel analogi morbi, quod quidem vaccinationis in variolis arcendis et mitigandis efficacia abunde confirmat.

296. Quemadmodum duae affectiones universales in eodem spatio et tempore existere nequeunt (1), ita etiam processus miasmatico - contagiosus unius generis contemporalem aliis evolutionem excludit. Hosty, Bergius et Cruikshank repetitis evicerunt observationibus inoculationem variolae in aegris morbillo affectis vel incassum tentatam fuisse, vel nonnisi hocce ultimo affectu protinus devicto variolosas prorupisse pustulas. Quod autem febres contagiosae revera universales praebent affectus, ostendunt: syndrome phaenomenorum; decursus cyclicus;

incrementum corporis praecox, quod in juvenibus, postquam convaluerunt, haud raro sequi videmus; mutatus in adultis character moralis, atque insignis earundem febrium efficacia in eradicandis malis chronicis, quare merito depuratoriae dicuntur. — Quo magis morbus quidam a febris contagiosae natura distat, eo facilius cum ista copulari potest; nihil enim obstat, quominus corpora in eodem tempore et spatio plures subeant mutations, dummodo harum qualitates notabilem habeant differentiam (ita v. g. idem corpus una caleare, lucere, olere et electricum esse potest). Inde fit, ut non desint exempla copulae febris contagiosae cum morbo contagioso chronicō; crebrieres vero sunt complicationes cum processibus morbosis ex semicontagio oriundis; atque creberrimae cum morbis longe alias indolis et originis.

(1) Brandis, Pathologie. Kopenh. 1815. S. 157.

297. Specifica igitur metamorphosis, quam volatilea inducunt contagia, est processus morbosus universalis, vere diatheticus (recentiorum quorundam idiomate utendo); ergo processus vitalis abnormis, propriis obediens legibus, propriis phaenomenis distinctus, ac propria generans producta; ast ad solam restringendus vitam corporis humani organicam, quum functiones animales proprie tales (sensus externi, mens, voluntas, motusque arbitrarii) nunquam patiantur, nisi secundario, et in casu anomaliae. — Quod nullus affectus cerebralis aut medullaris contagiosam con-

trahere valeat indolem (si psychicum ac mere metaphoricum contagium excipiamus), rursus confirmat arctissimum nexus contagia inter et sphæram organicam, seu vegetativam vitae animalis.

298. *Regeneratio contagiorum* mediante processu morboso, quem in organismo, et speciatim in systemate vasorum capillarium ipsa met induxerunt, ex iisdem principiis concipi potest, quibus primigenam eorundem evolutionem illustrare studuimus. — Communis doctrina adsimilationis, quae miasmata in sanguine regenerari suadet, sponte corruit, si perpendimus humorum dignitatem ita circumscribendam esse, ut frui quidem eos vita, sed minori tantum gradu, neque per se morbos pati admittatur, et si addimus in sanguine nullam substantiam animalem, sive normalem, sive abnormem, praeformatam existere. Sanguis nonnisi prima elementa et conditiones dynamicas largitur, quae ad formationem productorum adeo differentium requiruntur; ipsa autem efformatio unice per diversam organorum secernentium, eorumque systematis capillaris vitalitatem perficitur. Prouti principium cholicum, uricum, saliva, lac, sperma, etc., ita etiam substantiae abnormes, uti pus, ichor, ipsique fomites contagiosi productum sistunt secretionis, nunc ad vitae normalis leges procedentis, nunc specifico modo alteratae.

299. *Particularis relatio organi secernentis ad elementa in sanguine præexistentia specialem de-*

terminat secreti humoris naturam, quae jam ad phlogisticam, jam ad oxygenatam inclinat; hancce informatam adfinitatem nonnulli processus morbosí quidem intendere, aut minuere, ast vix unquam inverte valent, unde etiam fomites contagiosos ex illis tantum emunctoriis separari vide-mus, quae phlogisticis principiis eliminandis praesunt, et particularem cum specifica eorum natura relationem chemico - dynamicam agnoscunt, vide-licet e superficie cutis et membranarum mucosarum. Ob eandem rationem humores, in quibus positiva praevalit aquae forma, uti v. g. urina, succus gastricus, lacrymae, contagiosum ingenium non acquirunt. — Renes non solum, verum etiam cunctas reliquas species glandularum separationi fomitum contagiosorum impares esse credimus.

500. Tempus regenerationis congruit cum maturatione processus morbosi; incipit cum stadio aemes, viget quam maxime tempore criseos, atque continuat decrescendo per indeterminatam declinationis partem, donec tandem convalescentia subintrante processus morbosus, et una cum illo facultas propagandi extinguitur. Convalescentes nullum amplius regenerant contagium, et nonnisi per fomitem corpori et vestibus adhaerentem, conductoris passivi instar, disseminationi obsecundant.

11. NATURA CONTAGIORUM, ET QUAE INDE FLUIT,
INFECTIONIS THEORIA.

501. Incomprehensibilis natura contagiorum

omnis quidem aevi medicorum adattentionem merito excitavit, eosque in diversas abripuit opiniones, maxima tamen parte steriles, ac illuminati saeculi nostri principiis nullatenus conformes.

302. Veteres, qui morbos contagiosos ab epidemicis distinguere nesciverunt, pravas aëris qualitates pro generali pestilentiarum causa habuerunt. Vigentibus serius pathologiae humoralis principiis, essentia contagiorum in diversa humorum animalium depravatione, acrimoniosque specificis quaerebatur, atque processus morbosus, quem generant, fermentationis species declaratus est, quam sententiam inter alios Sennertus, Ettmüllerus, Fromondius, Laubender, Wedekind et Crell (1) in medium protulerunt, hodierno tamen aevo oblivioni merito traditam.

(1) Fr. Crell, Diss. contagium vivum lustrans. Helmst. 1768.

303. Ab illo tempore, quo chemica ars giganteis promota passibus corporum organicorum elementa constitutiva, horumque proportionem et naturam exactius determinare cepit, nova affulsit illustrando contagiorum ingenio spes. — Omnes Chemiatri in eo conveniunt, quod fomitem contagiosum pro inflammabili agnoscunt principio diversis sub formis et connubiosis extricato. Latham Mitchill et Sallton-stall gas nitrosum oxydatum; Valentini et Hartmann gas hydrothionicum; Van Mons et Ackermann hydrogenium carbonatum; Steffens et Marcus nunc hydrogenium, nunc azo-

tum; Authenrieth, Roeschlaub et Gutfeld materiem quandam absolute anoxydantem generalem contagiorum basim declararunt. Alii denuo singulis miasmatum speciebus diversas phlogisticorum uniones tribuere voluerant (Harles), uti scarlatinac hydrogenium cum azoto, typho hydrogenium cum carbonio, sulfure, vel gas nitroso. — Multiplicantem vero contagiorum vim soli tribuunt humorum adsimulationi, quam Roboretus, Dömling et Cappel jam suo tempore declararunt; chemicam videlicet supponunt adfinitatem, qua similia elementa eliciantur, quemadmodum fermentum toti panificio suam qualitatem impertit.

304. Potiora argumenta, quibus fautores hancce opinionem, sive theoriam chemicam suffulcire adnituntur in sequentibus consistunt: 1) Primigena contagiorum evolutio sub iisdem accidit conditionibus, quae inflammabilium genesi auscultant. 2) Eminens contagiorum virtus est expansionem organicam incitare, eamque omnes infirmant potentiae, quae contractionem cident. 3) Omnis processus contagiosus nisum in liquationem ponit. Collimant plurimum effectus contagiorum cum illis narcoticorum, quorum praevalens elementum est hydrogenium; contagia enim volatilia nervos proxime et perniciose adficiunt, viresque facile prosternunt. 5) Fomites contagiosi non per alias vias organismum infectum descendent, quam quae in statu salutis principia phlogistica eliminare consuescunt.

305. Utut validis hisce argumentis, pluribusque aliis, a Clariss. Hartmanno (1) sueta sua perspicacia in medium prolatis, nil objicere valeamus; deflectimus tamen ab exposita theoria chemica, quatenus praedominium unius alteriusve clementi phlogistici ad solum vehiculum, sive ad materiale substratum contagii restringimus, activum autem ac vere contagiosum principium altioris ordinis, dynamicum, et imponderabile esse statuimus.

(1) Hartmann, Theorie des ansteckenden Typhus.

306. Si fomites contagiosi cum supradictis substantiis phlogisticis identici forent, etiam eosdem effectus producere deberent; quod tamen experientiae aperte repugnat; nullus enim morbus ab hydrogenio, azoto, vel carbonio inductus eam acquirit proprietatem, ut sanis communicetur individuis mediante specifico elemento, quod ipse genuit. Porro febres contagiosae omni momento artificialiter construi possent, si vel hydrogenium, vel azotum essentiam contagiorum constitueret. Tandem principia phlogistica non offerunt talem ad organismum relationem, ut proclivitatem in eundem processum secunda vice subeundum extinguant. — Insuffientem igitur credimus quamlibet theoriam, quae contagiorum naturam e solis legibus chemicis et materialibus explicare contendit.

307. Omne miasma contagiosum est substantia animalis, quae duobus componitur elementis; uno materiali, palpabili, ponderabili; altero

immateriali, invisibili, dynamico, imponderabili, quod quidem cum priori in arctissimo existit vinculo, sub certis tamen circumstantiis etiam in distans activum reddi potest (1).

(1) Val. ab Hildenbrand, über den ansteckenden Typhus. Wien 1815. S. 112.

308. **Vehiculum materiale**, cuius gratia contagium in spatio et tempore existit, est semper humor quidam in superficie corporis externa secretus, nunc liquidus, nunc vaporosus, cui tamen adhuc natura animalis, proinde et certus gradus plasticitatis competit, (Hartmann) ex albuminis praesentia facile colligendus; ipsa enim materies perspirabilis, ex aegris contagio infectis, emanans juxta experimenta Moscati floccos praesentavit, condensato muco similes, si frigidis corporibus, v. g. globis vitreis supra lectum suspensis excepta fuerit. — Inter consueta contagiorum vehicula (Träger) referimus mucum, lympham puriformem, pus, saniem, et materiem perspirabilem.

309. **Mucus** in omnibus quidem febribus miasmaticis contagiosam induit virtutem, speciatim vero in illis morbis, qui membranas mucosas principale et unicum agnoscent substratum, uti ophthalmoblenorrhœa, coryza virulenta, dysenteria, etc. — Eminentem vero inficiendi facultatem contrahit illa pituita, quae ex organo immediate contaminata, et, sub decursu processus miasmatici, præ aliis affecto separatur, quod maxime de contagiis imperfectis valet.

310. *Lympha puriformis*, pus, et sanies illorum contagiorum substratum materiale sistunt, quae processum inflammatorium altioris gradus in dermatio concitant systemate, suppuratione vera aut spuria, exulceratione, vel gangraena terminandum, uti essent contagia variolae humanae verae et spuriae, pestis bubonicae etc.

311. *Materies perspirabilis* demum, quae per totam corporis et organorum spiritum ducentium superficiem forma vaporis secedit, sub frigidiori temperatura in guttas colligenda, communissimum largitur infectionis fomitem. — Humores contra animales cum praevalente positiva aquae forma, uti lac, lacrymae, succus gastricus, urina, a contagioso principio aegerrime inquinantur, ac ideo vehicula nunquam praebent.

312. Si perpendimus mox enarratas humorum secretiorum species, sive contagiosa polleant virtute, sive ea destituantur, nullam visibilem offerre discrepantiam, ipsamque analysin chemicam e muco contagioso non alia principia extraxisse, quam quae in muco, contagiosa virtute experte, deprehendi solent; si adtendimus, fomites contagiosos per concitatam in organismo sano infectionem, vel per amissionem facultatis infectricis nihil de proprio amittere pondere, imo moleculam ponderis ferme nullius gravissimos effectus in quamplurimis individuis producere posse, in-vito animo ad conjecturam ducimur: *principium contagiosum nequaquam in substrato*

materiali, sed in efficientia quadam dynamica, imponderabili, quae priori inhaerent, consistere debere.

313. Sicuti quaevis fere potentia dynamica specificam relationem cum quopiam organo sensitivo agnoscit, lux cum oculo, sonus cum aure, calor cum nervis gangliaribus; ita principium activum contagiorum energiam organi olfactus per eminentiam suscitat, atque hoc intuitu (habito nempe qualitatis sensibilis respectu) cum effluviis odoriferis (Riech-principi) proxime congruit. Omnes emunctae naris observatores in eo conveniunt, quod diversae febrium contagiosarum species, v. g. variolae, morbilli, scarlatina, specificos spargunt odores, ab expertissimo Heim nuper optime distinctos. — Ita quoque atmosphaera cubilium, in quibus plures typho exanthematico, pestilentiali, vel gangraena nosocomiorum affecti decumbunt, tetri aliquid olere solet. Sudorem aegrorum febre flava decubentium odorem piscium putridorum eructasse, Robert Jackson retulit, dum eum morbum in insula Dominica grassantem observavit. — Fodoré foetorem valdopere ingratum persensit, ac si e combusto gas carbonico - phosphorato prodiisset, cum febris pestilentialis Anno 1800 Nicaeae desaevit. — Referente Campero variolae sumnum offerunt inficiendi periculum, quando halitus aegrorum grave olet. — Testibus C. L. Hoffmanno et Haygarthio typhi et

váriolarum contagia per aërem azoticum facilius conducuntur, quemadmodum odores penetrantes.

314. Negari nequit proprietatem corporum odoriferam a praedominio elementorum phlogisticorum, et speciatim hydrogenis determinari; activum tamen principium, quod nervos olfactrios ferit, imponderabile potius habendum est, fragrantes enim substantiae, etsi auras longe latè que imprægnaverint, nil de proprio amittunt pondere, neque ponderosiora evadunt corpora inodora, licet intolerabili imbuta sint foetore, aut fragrantia. — Analogiam tandem inter principium solidum et contagiosum confirmare adhuc juvat eminens frigoris et oxygenii vis in contagiis aequa, ac odoribus infirmandis, nec non Brugmanni observatio, quae contagium gangraenæ nosocomialis ea ratione, qua odorem perdidit, inficiendi quoque facultatem amisisse docuit (1).

(1) Brugmann et Delpech, über den Hospitalbränd. Jena 1816. §. 45.

315. Plures quidem medici actionem contagiorum volatilium illi imponderabilium non absimilem esse agnoverunt, nosque ipsi hancce non praetervidentes analogiam scitu necessaria suo loco subjunximus (§. 278). In definienda vero intima natura hujus efficientiae dynamicae inter se discrepant auctores, quatenus nonnulli eam cum electrico, alii cum magnetico fluido, et alii denuo cum biotico principio identicam esse pronunciarunt.

316. Qui actionem contagiorum cum illa electricitatis comparant, sequentibus innituntur argumentis: **U**bicunque pestiferi morbi grassantur, electricitas negatiya, teste **T**houvenelio, predominari solet. **F**igurae electrophori subito evanescunt ab influxu vaporum oxymuriaticorum et nitrosorum, quibus insignis competit contagia destruendi virtus. **W**altherus, se faciliorem infectionem observasse, credit, dum galvanica impregnatio praegressa esset. **C**ertum est, oleo et adipe conductionem galvanicam impediri; **B**aldwini observationibus oleosae unctiones etiam egregium suppeditant remedium, pestis infectionem arcendi. Non desunt tandem testimonia subitanee percussionis, quam infecti a typho, vel peste perceperunt, ac si fulmine icti fuissent.— **H**aec omnia tamen non nisi analogiam utriusque principii (imponderabilis), nullatenus vero identicam naturam evincere poterunt; electricitatis enim effectus ubique sunt iidem, constantes, adeoque generales, ut in omnibus corporibus, vivis et mortuis, organicis et anorganicis easdem leges sequantur, contagia ex adverso in vivis tantum, ac peculiari organisatione et dispositione praeditis corporibus reactiones suscitare valent, et quidem ita specificas, ut per nullam electricitatis speciem consulto produci possint.

317. Pariter praepostera videtur Troxleri conclusio, contagia magnetismo subjicienda esse, quoniam magnes eorum more qualitatem

suam in infinitum fere auget et multiplicat; magnetismi enim idem ubique est effectus, miasmatum contagiosorum vero diversissimus. Insuper magnetismi activitas nulla ratione separari (isolari) potest; de contagiis contrarium valet.

318. Quum igitur contagiorum agendi modus neque cum illo electricitatis, neque cum illo magnetismi, multo minus autem cum effectibus lucis et caloris aequiparandus sit, et tamen efficientiae cuidam dynamicae ac imponderabili adscribi necessario debeat, ad alias generis principium dynamicum concludere cogimur.

319. Contagia id sibi privum habent, quod mediante eodem processu morboso, quem suscitant, iterum regenerantur, sui simile progignunt, ac ejusmodi per organismos vivos transitu ex minimo, nullius quasi ponderis atomo in infinitum multiplicantur, — proprietas, quae nullis sane, quam organicis competit corporibus; — contagia sunt producta vitae animalis, quibus adhuc certus plasticitatis gradus inest; — ergo contagiis character organicus necessario tribuendus, qui praeter determinatam materiae formam et miscelam, simul praesentiam principii dynamic i includit, nomine biotici, seu vitalis insigniti. Haece idea de natura organica contagiorum, ab observatione et sanae physiologiae praeceptis petita, utut antiquiorum adtentionem non prorsus effugerit, recentiori in primis aevo magis excoli cepit, secundam sternens pro miasmatogenia illustranda viam.

320. Qui organicam contagiorum naturam defendunt, medici in duas differentes digladiantur sententias; nonnulli enim fomites contagiosos animalcula propria, jamjam organisata et viva, alii germina latentia (keimungsfähige Materien, schlummernde Keime), sive materiem animalem prolificam et fecundantem declararunt. Quid alterutra offerat veri, aut hypothetici, exactior docebit analysis.

321. Inter antiquos jam **Lucretius**, **Varro**, **Columella**, et **Vitruvius** prima rudimenta theoriae seminii vivi posuerunt, animalcula quaedam minuta supponentes, quae oculis percipi non possint, et per aëra dispersa intus in corpora per os et nares perveniant, atque pestilentiales, difficilesque morbos efficiant. Hujus hypotheseos labentis, imo a **Galen** i temporibus usque ad **Sennerti** aevum oblivioni traditae, Restauratores valentissimi seculo decimo septimo fuere R. P. **Athanasius Kircherus** Jesuita doctissimus (1), et **Christ. Langius** (2); serius **Cogrossius** (3), **Vallisnerius**, **Lancisius**, **Linnaeus** (4), **Plencitz** (5) et **Wichmann**; nuperrime **Scuderi** (6), **Henricus Acerbi** (7), et **Mylius** (8) eandem ideam denuo in memoriam revocarunt, diversis sane utentes argumentis. Reponunt quippe causam proximam et effectricem contagiorum in animalculis minimis, vivis, parasyticis, quae sub datis circum-

stantiis in corpore humano nidificant, explicantur, multiplicantur, aliisque individuis per contactum communicantur:

- (1) Kircheri, Scrutinium physico-medicum contagiosae luis, quae pestis dicitur. Romae 1608.
- (2) Langii Pathologia animata. 1688.
- (3) C. F. Cogrossi, Nuova idea del male contagioso de' buoi. Milano 1714.
- (4) Exanthemata viva Diss. in Amoenitat. acad. T. 5. p. 92.
- (5) Plencitz, Tractatus de contagio.
- (6) T. M. Scuderi, Elem. physiolog. et patholog. Catinae 1815.
- (7) Enrico Acerbi, Dottrina del morbo petecchiale. Milano 1822.
- (8) In Harles Rheinischen Jahrbüchern. B. VI.

322. Abstinendo ab omni prolixiore refutatione theoriae contagii vivi, praecipua adducere jubarbit argumenta, quae hypotheticum ejus valorem protinus evincunt. — Quodvis animal, etsi mere infusorium foret, habet determinatam, e solidis et fluidis compositam organisationem, quae in fomitibus contagiosis desideratur. — Si causa contagiorum proxima in animalculorum congerie considereret, quae in corporis superficie nidificant, effectus non alias, quam topicus esse posset; eo enim momento, quo insectorum illorum transitus in massam sanguinis cogitaretur, etiam eorundem mors supponi deberet, quum nulla substantia composita, et multo minus ens quoddam vivum in circulationis torrente suam integritatem conservare possit. — E contagio vivo neque determinatus cyclus febrium contagiosarum, neque

regularis exanthematis eruptio, quae v. g. in variolis semper a facie orditur, neque spontanea morbi (absque remediis) solutio, neque immunitas residua explicationem admittunt. — Quomodo conciperetur exanthematis abitus, quem toties observare licet, morbo nondum soluto, causa proinde superstite? — Cur remedia, quae vermes passim necant, febres exanthematicas truncare, atque reproductionem contagii impedire nequeunt? — Ultima tandem ratio, quae omnem verosimilitudinis umbram tollit, est mere fictitia illorum animalculorum suppositio, quae nec lynceis fautorum ipsorum oculis, quantumvis vividae imaginationis vi animatis, nec microscopiorum adminiculo distingui potuerant; sunt ergo entia imaginaria, somnii et phantasiae producta. Quapropter absurdum foret existentiam entium corporeorum supponere velle, quae sensus nostros fugiant; simili enim jure etiam omnes reliquae potentiae invisibles ad animalcula non visibilia reduci possent.

323. Quod in nonnullis fomitibus contagiosis, uti v. g. in *viro scabiei*, manifesta adpareant animalcula (*Acarus exulcerans*); ex eo nondum licet, eorum praesentiam ad omnia reliqua extenderet contagia. An quid detexeris in nonnullis, quod in pluribus detegere nequiveris, id bono animo, sapientique consilio de tota rerum universitate adfirmabis? — Caeterum ipsum *scabiei acarum*, quemadmodum plures alias vermiculo-

rum species, quales in pure, sanie, spermate passim nascuntur, potius effectum altioris nisus formativi, dissimilationis atque generationis aequivocae, quam mali causam proximam declarare fas est.

324. Corruente igitur hypothesi de contagio vivo, et stante nihilo minus contagiorum natura organica in alteram necessario verti cogimur sententiam, quae fomitem contagiosum principium animale fecundans declarat, totumque infectionis actum cum generatione comparat. Hancce theoriam, quam praeeunte Bachio⁽¹⁾, Reimarus, Autenrieth, Brandis, Goeden, Harles, Kieser, aliique recentiorum sunt amplexi, nobis quoque plurimum arridere fatemur, quatenus plurima sane adduci possunt argumenta, quibus evincitur contagiorum productionem et reproductionem iisdem subjacere legibus iisdemque determinari conditionibus, quibus processum generationis subjectum esse novimus. — En potiores stabilitae theseos rationes:

⁽¹⁾ Bach, Specimen de morbis contagiosis. Halae 1804.

325. I. Morbi contagiosi entium organicorum instar producuntur, et quidem dupli modo; vel per epigenesin, vel per generationem secundariam; generati semel in infinitum fere regenerantur. — Quemadmodum organismi tantum imperfectiores per generationem aequivocam nasci solent, perfectiores contra semper e generatione secundaria pululant; ita etiam contagia imperfecta saepissime

sponte nasci videmus, perfecta vero (saltem in plagis temperatis) plerumque nonnisi e generatione secundaria scaturiunt. — Notari tamen debet, primum productum generationis originariae non esse fomitem, sed morbum contagiosum, cuius ope ipse fomes efficax separatur.

326. II. Ad quamvis genesin secundariam requiritur conflictus inter duos organismos synonymos (quoad genus) vivos, quorum unus, positivus, principium prolificum generat et separat (mas); et alter, negativus, genitaram recipit et sibi adsimilat (femina). — Primum momentum sistit organismus infectus, qui semen morbidum, contagium videlicet separat; alterum praebet organismus inficiendus, qui semen contagiosum recipit. Ex hocce conflictu duali nascitur productum novum, genitoribus prorsus simile; organismus nimirum contagiosus. — Medium vero, quod utriusque mutuam actionem determinat, est contagium ipsum, geniturae virilis ad modum vehiculo materiali, et principio activo dynamico conflatum.

327. III. Generatio secundaria, tamquam productum processus vitalis, nonnisi inter organismos vivos locum habere potest; — contagiorum productio eandem sequitur legem. Ideo vita cessante fomites contagiosi neque generantur, neque ultro generant; cadavera nec inficiunt, nec inficiuntur, licet aliorum corporum mortuorum instar contaminari, ac passivi conductores esse possint.

328. IV. Quemadmodum productum genera-

tionis secundariae semper organismis generantibus simile est; ita quoque contagia nunquam alias generis prosignunt morbum, quam cujus sobolem sistunt, ergo semper synonymum.

329. V. Quo major organismorum homonymia, eo facilior per eorum unionem evadit propagatio; quapropter morbi e contagiis perfectis ultra speciem humanam non propagantur, nisi fors artificiali insitione, atque peculiari circumstan- tiarum concursu. Ipsa semicontagia inter mam- miferas tantum serpunt bestias, animalibus frigi- di sanguinis et plantis, naturae nimis heterony- mae, prorsus innocua, nisi actionem pure che- micam vehiculi excipiamus.

330. VI. Non omnis copula evadit fecunda, etsi spermatis efficacia in dubium vocari nequeat; nunc enim femina impraegnatur, nunc polluitur tantum; — pariter non quivis organismus conta- gio contaminatus inficitur.

331. VII. Semen prolificum nonnisi vita ad requisitum perfectionis culmen elata generatur et secernitur; — ita quoque febres contagiosae in stadio acmes et criseos, ubi summa incitationis auctae et nitus plastici energia viget, infectionis periculo eminent.

332. VIII. Contagium collimat cum genitura virili, quod ejus principium dynamicum expansi- vum etiam in distans, ergo ultra vehiculi mate- rialis confinia activum est; agnoscit igitur atmo- sphacram contagiosam, aurae seminali analogam,

quae halitu ferme imponderabili germen futuri producti ponit.

333. IX. Ratio quantitatis in nullum venit censem, minimus enim atomus fomitis contagiosi ad gravissimum morbum producendum sufficit, atque mirifici augmenti capax est; — simili ratione exiguum spermatis moleculam plurimis ovis fecundandis sufficere, Spallanzanii experimenta abunde docuerunt.

334. X. Prouti inter duos organismos vivos non omnino homonymos, dummodo proxime ad fines sint, generatio hybrida locum habere potest, ipsumque productum hybridum quandoque ulterius generat; ita etiam idem casus in morbis contagiosis obtinet. Hancce progeniem concipimus, si organismus recipiens (negativus) jam ab alia contagii specie infectus est, quin tamen adhuc processus morbosus plene eruperit; vel si eundem morbum contagiosum jam alias subbivit (durchgeseuchte Individuen); vel demum si contagio humana sub transitu per bruta specificam suam indolem quodammodo mutant. Exempla contagii hybridri offerunt varicella, variola vaccina spuria, rubeola.

335. XI. Omnes conditiones externae, quae fertilitati et generationi originariae universim favent, etiam contagiorum productionem et multiplicationem promovent; unde in aestuoso coelo, ubi processus organicus in plantis aequa, ac in animalibus insignem energiae gradum adipiscitur,

et sub innumeris exsurgit formis, contagiorum potiorum incunabula merito reponuntur. Infusoria, mucores, et contagia sub iisdem circumstantiis nasci videmus.

336. XII. Spermati virili tantus inest vis formativa gradus, ut infusoria (cercarias) ibidem constanter generari videamus; idem observare licet in nonnullis fomitibus contagiosis. Ita in viro scabiei speciem acari, in pure variolae vaccinae corpuscula quaedam sphaerica, ceu prima organisationis rudimenta (*Sacco*) armatus oculus detegit, quin tamen ideo haecce epigeneseos producta pro ipso elemento fecundante et multiplicante agnoscere conveniat.

337. XIII. Unica qualitas sensibilis, cujus ope efficientia dynamica contagiorum in sensus cadit, est odor particularis; unicum itaque organon sensitivum, quod cum contagiis in relatione dynamica existit, est olfactus; atque hoc intuitu denuo cum graveolente spermate virili collimant.

338. XIV. Genitura et contagium sunt producta secretionis determinatae; prior secretionis normalis, abnormis alterum; neutrum vero in sanguine praeexistit, qui elementa tantum, viresque primivas subministrat per vitalitatem specificam organorum secretiorum (normalem in primo casu, morbosam in altero) in novas formas unienda.

339. XV. Totum munus generationis ad vitam organicam pertinet; — morbi contagiosi pariter solam vitam vegetativam, processum scilicet pla-

sticum, motus automaticos et sensum communem respiciunt; quivis autem morbus reproductionis ideam multiplicationis includit.

340. XVI. Producta generationis in omnibus vitae stadiis cum febribus contagiosis maximam offerunt analogiam. — Momento fecundationis respondet *infectio*; graviditati, vel periodo incubationis *tempus delitescentiae*, sive *opportunitatis*; fetui in lucem edito *morbis invasio*; aetatibus *progredientis evolutionis stadium incrementi*; aetati virili, atque facultati propagativae una *evolutae stadium acmes*; senectuti *decrementum*; morti *salus aegri ad pristinum restituta*. — Processus igitur contagiosus, est processus evolutionis organicae regulariter *progredientis*, iterumque *regredientis*.

341. De qualicunque sermo sit *theoria*, praeferriri semper merebitur illa, quae, minoribus objectionibus obnoxia, ortum, phaenomena et cardinem rei ad amussim explicat, quin cum rationalibus et exploratis scientiae fundamentis et praeceptis collidat; — quapropter etiam praemissam miasmatogeneseos theoriā, e principiis vitae erutam, quae infectionem et generationem (*Ansteckung und Zeugung*) ceu processus organicos homonymos, identicos, iisdem legibus gubernatos, fomitemque contagiosum pro specie geniturae fecundantis considerat, amplecti non displicuit, quo usque saltem argumentum adeo abstrusum meliorem statuere vetat.

342. Quomodo eveniat, morbos e perfectis contagiis oriundos sub opposita climatum, anni temporum, aliarumque circumstantiarum ratione autonomam suam conservare naturam, atque per seculorum seriem immutatos regenerari? — Cur contagia perfectiora, in nostris saltem terris, non nisi per generationem secundariam multiplicentur, semicontagia vero infusiorum adinstar per epi-genesin nascantur? — Cur contagia non in aliis animalibus, quam in sanguine calido praeditis, generentur? — Cur specifica illa metamorphosis, quam contagia volatilia cient, determinatum excurrat cyclum, ac ad solam vitam vegetativam limitetur? — Cur exantlata febris contagiosa immunem reddat organismum eadem repetito sub-eunda? — rogas. En tot aenigmata, quae non nisi praemissis principiis solvi, vel aliqua saltem ratione illustrari poterunt.

343. Immunitas nonnullorum hominum in contagiis suscipiendis nulli alii statui melius aequiparari posset, quam sterilitati feminarum, cuius causa proxima vel in absoluto organismi muliebris vitio, vel vero in mere relativa et individuali antipathia, mox perenni, mox temporaria est quaerenda. Nonnullae feminae steriles manent, qualicunque demum connubant viro; aliae e contrario steriles diu habitae brevi concipiunt, quamprimum virum mutant; vel etiam ab eodem masculo, cuius amplexibus per annos absque fructu succubuerunt, tandem fecundantur, postquam ni-

mirum illam contrahere potuerant reciprocam relationem organico - dynamicam , quae ad formandum germen requiritur. — Pari ratione nonnulli homines quorumlibet contagiorum, vel saltem certarum specierum insidiis per totum vitae curriculum impunes resistunt ; alii, postquam per menses in columem in nosocomiis conservarunt salutem, inopinatae succumbunt ; alii denuo infectionem quidem non effugiunt , hujusque communiora praeludia sat clare patefaciunt , peculiaris autem idiosyncrasiae gratia embryonis morbosi evolutioni et maturationi adeo obstant, ut, abortientis feminae instar , ab infesto hospite brevi liberentur.

344. Quamvis nullus negare ausim, immunitatis rationem , docente Sprengelio , in peculiari humorum (adjungo et solidorum) mixtione aegerrimae mutanda , vel capacitate conducendi impedita latere posse , proximam tamen causam potius in defectu relationis organico - dynamicae inter principium contagiosum et bioticum reponere vellem. — Quatenus omnis actionis dynamicae ratio in antithesi et heteronymia factorum invicem colluctantium fundatur ; eatenus etiam concipi potest , cur febris contagiosa semel exantlata dispositionem in eandem subeundam plerumque extinguere , vel saltem infirmare soleat ; tollitur enim per processum miasmaticum , in toto organismo concitatum , illa differentia et antinomia , sine qua conflictus dynamicus locum habere nequit. Contagium ipsum , ejusdem processus miasmatici pro-

ductum, indifferens evadit stimulus, nullisque reactionibus provocandis par, nisi post longam annorum seriem, vel per circumstantias nobis adhuc ignotas inducta illa |indifferentia pedetentim deleatur. Eadem ex ratione intelligitur quadantenus, cur in corpore semel infecto, licet continuato ejusdem contagii influxui exponatur, nulla recentis infectio, sive supersaturatio (Uebersättigung), veluti species superfetationis contingere possit.

345. Haec tamen omnia unice de cóntagiis volatilibus, processum morbosum universalem, seu evolutionem in toto organismo pathologicam provocantibus dicta sunt; miasmata fixa enim, quae in determinatis tantum partibus et sphaeris organicis reactiones mere locales suscitant, tot alias illibatas relinquunt corporis provincias, in quibus omnino recentis, sive simultaneae, sive succedaneae infectionis possibilitas admittitur.

NOSOGRAPHIA GENERALIS FEBRIUM GONTAGIOSARUM.

346. Inter essentials characteres febrium contagiosarum posuimus cyclum determinatum, nulla arte abbreviandum, propriisque stadiis distinctum, quorum seriem modo singillatim percurrere oportet. Totus decursus a primo infectionis momento ad plenariam morbi resolutionem usque in sequentia dirimitur stadia, quae cunctis febribus criticis propria sunt:

OPPORTUNITAS.

347. Nomine opportunitatis, sive deli-

tescentiae insignimus latentem illam periodum, quae inter infectionem et primam morbi explosionem intercedit. — Infectio, tanquam conflictus dynamicus inter contagium et organismum vivum, est opus unius momenti, quod, veluti conceptio, insciis plerumque aegris contingit. Pauci solum habentur casus aegrorum, qui hocce infectionis momentum indicare valent, vel saltem suspicantur in gratiam insolitae cujusdam sensatio-
nis improvise obortae, quam mox cum ictu elec-
trico, mox cum perceptione aurae narcoticae, dolorisve pungentis comparant. Diversa exempla ab Orraeo, Helmontio, Robertsonio, Lar-
reyo et Bouquevillio notata inveniuntur (1).

(1) Bernhardi, Handbuch der Contagienlehre. S. 90.

348. Non solum relativa contagiorum actio, sed quam maxime natura eorum, seminiis organicis prorsus analoga, efficit, ut effectus conspicui non nisi post datum temporis intervallum sequantur, cuius duratio pro diversitate fomitis contagiosi, dispositionis, aliarumque circumstantiarum nunc ad paucas limitatur horas, nunc ad plures dies, rarissime tamen ultra hebdomadam extendi solet.

349. Ab illo inde temporis momento, quo virus contagiosum cuidam corporis parti inflictum est, phaenomena quaedam, prodromorum nomine nota, in conspectum prodeunt, quae plerumque adeo generalia sunt, ut nullatenus latentis contagii indicia offerant, sed laesam simpliciter functionum integritatem et harmoniam significant. Quan-

doque tamen miasmaticam infectionem divinare nos sinunt symptomata quaedam nervosa , aliis morbis inconsueta , qualia ebrietati levi , vel toxicationi narcoticae propria esse solent ; utilissimudo ingens , et insuperabilis ad motum inertia , temulentia , vertigo , oculorum obnubilatio , insomnia terrifica , anorexia , inquietudo , anxietas , nausea , vomitus , animi desponsio , cutis ariditas , quae omnia praecognitum timorem tanto magis corroborare juvant , si aliae causae , similibus turbis concitandis pares , non innotescunt ; et si fundata conjectura , vel persuasio praegressi commercii cum hominibus aut suppellectilibus infectis accedit . Ex hocce stadio adhuc redditus in salutem conceditur .

INVASIO.

350. Quamprimum aegri limina morbos ac evolutionis per totum organismum diffusae ingrediuntur , cujus primordium horrores patefaciunt , nullus amplius datur exitus , nisi per crisin , vel per mortem . Hocce stadium invasionis in febribus contagiosis nil peculiaris offert , praeter perseverantia opportunitatis symptomata , atque ordinarios frigoris febrilis , plus minusve intensi , comites . Prouti vel solemnis et unicus horror , vel repetitae horripilationes morbum ordiuntur , ita etiam duratio exordii variat , a paucis horis ad integrum nycthemerum protracta .

INCREMENTUM.

351. Phaenomena , quae increscente malo

evolvuntur, generalem non solum totius machinae animalis revolutionem, sed etiam specialem singularum organismi sphaerarum passionem aperte indicant. Incenditur calor universalis, ingratus plerumque, et urens, comite siti intensa, cephalalgia, cutisque siccitate; emicant sueti coryzae satellites, narium oppilatio et ariditas, anosmia, sternutamenta, suffusio et illacrymatio oculorum; augmentur intensitate praecursores, quippe temulantia, carebaria, vertigo, nausea, vomitus; comparent exanthematis varii vestigia, cuius eruptio-
nem tensio, pruritus, vel ardoris sensus pree-
dit; pulsuum frequentia, plenitudo, et robur,
vitalisque turgor auctus systematis arteriosi reac-
tiones vividiores abunde testantur; quandoque
symptomata nervosa altioris ordinis adsociantur,
uti delirium, sopor, convulsiones. — Pro diversi-
tate relationis specificae, quam certa contagia cum
organismi systematibus et organis contrahunt, topo-
cae hinc inde evolvuntur phlogoses, nunc in
faucibus, trachea, pulmonibus, nunc in hepate,
intestinis, glandulis lymphaticis, etc., quarum
praesentia specialem determinat febris contagiosae
formam. Inde liquet, characterem prevalentem
esse inflammatorium, nunc simplicem, nunc ner-
voso complicatum. Id denique notandum venit,
quod febres contagiosae ab initio libenter cum
gastrica incedunt illuvie, in decursu vel sponte
dissipanda, vel aptis remediis removenda, quin
primitiva passio in sua progressionе turbetur.

352. Duratio hujus periodi, quae stadium ebullitionis, et eruptionis exanthematicae complectitur, a tribus ad septem dies extenditur, pro diverso, quo processus miasmaticus eget ad sui perfectionem, tempore.

353. Quandoque vires vitales jam primis morbi diebus collabuntur, a nimia contagii venenositate pessundatae, quem praecocem, improvsum, ac absque causa patente obortum virium lapsum, malignitatem nominant practici, mortis plerumque inevitabilis tristem nuncium.

ACME.

354. Ad summum culmen evectus et maturatus processus morbosus non solum characteres sibi privos in omni extensione patefacit, sed etiam generationis facultatem adipiscitur, unde in hocce stadio eminet infectionis periculum. Status virium vitalium in periodo fastigii, sive consistentiae mox primitivam exorbitantium moderatam, vel enormem conservat, mox in debilitatem vergit, spuriam, vel realem. Per totum processus miasmatici decursum peculiaris viget in expansionem nisus, atque continua ferme emanatio (Ausströmen), unde factoris contractivi potentia reprimitur, et quidem tanto magis, quo minus cutis sicca, et in conductionis munere impedita secessum principiorum expansivorum et diffabilium permittit. Pro speciali ingenio contagii, ejusque ad organismum vivum relatione, hujus

debilitatis spuriae, sive oppressae virium vitalium actionis phaenomena nunc ad solum limitantur systema arteriosum, nunc etiam ad nervosum protenduntur, quemadmodum id in typhis constanter accidit. — Diutius suppressae, vel a contagii virulentia nimis accensae vires tandem exhauriuntur, atque in pessimam asthenias indirectae conditio-
nem conjiciuntur.

355. Vegetationis alteratum munus nunc clarius innotescit e specifico odore, quem aegri spargunt, e nisu in liquationem, e phaeno-
menis et productis inflammationis comitis catar-
rhalis et dermaticae, e maturatione vesicularum et pustularum, e secretione muci puriformis, lym-
phae acrioris, puris, ichoris, quae species humo-
rum maximam acquirunt inficiendi potestatem, etc. Singula phaenomena, quae in hocce stadio sub manifestis exacerbationibus et remissionibus de-
currente emicant, specifico febris contagiosae cha-
racteri respondent.

356. Stadium acmes, quod periodum flores-
centiae, suppurationis, et stadium ner-
vosum quarundam febrium includit, per tres,
quatuor, septemve dies excurrere solet, prouti to-
tus cyclus metamorphoseos morbosae intra sep-
tem, vel quatuordecim dies absolvitur.

CRISIS.

357. Sub acerrimo vires vitales inter et princi-
pium contagiosum certamine posterioris adsimila-

tio, destructio, vel eliminatio succedit, quod quidem beneficum naturae munus nunc unica explosione decisiva, nunc pluribus repetitis conatibus perficitur, atque levantibus evacuationibus pristinam functionum harmoniam restituit. Potiores crises fiunt per urinas, per secretionem muci, per sudores, et per epidermidis emortuae separationem, quibus secretionum productis, urina excepta, fomes contagiosus inhaeret. — Si organa emunctoria eliminando producto morboso, et corpori, ut ita dicam, defaecando imparia fuerint, vicariae concitantur reactiones, phlogoses metastaticae, nunc lethales, nunc salutares, pr nobilitate organi, quod emunctorii vices agit.

DECREMENTUM.

358. Ratio decrementi plerumque dependet ab efficacia naturae in processu morboso citius seriusve truncando, a gravitate et indole morbi, atque a particularibus circumstantiis secundis, aut sinistris. — Placantur pedentim reactiones viuum ea proportione, qua per producta eliminta processus morbosus infirmatur; redeunt functiones ad normam sub continuatione beneficiorum excretionum; cutis desquamatur; latex lymphaticus, vel purulentus, qui e ruptis vesiculis et pustulis transsudavit, ab accessu aëris in crustas coit, quibus deciduis subjecta cutis ad consolidationem disponitur. In quibusdam tamen casibus, utut princeps perfecte devictus sit morbus,

fatalia remanent postuma, quae recens, sub optimo rerum adspicatu, discrimen minantur.

CONVALESCENTIA.

359. Morbi gradui, indoli, extensioni, malignitati respondet etiam promptior, vel tardior virium et organismi refection, postquam omnes evanuerunt devictae febris satellites. Quamquam in convalescentibus dispositio in morbum vix superatum exstincta est, remanet tamen haud exigua propensio ad alias generis mala contrahenda, quam praesertim virium notabilis detritus, ac superstes erethismus fovet; unde solertissima inculcari debet injuriarum vitatio. — Nonnulla symptoma ad seram usque convalescentiam perdurare consueverunt, uti lassitudo, temulentia, memoriae hebetudo, sensilitas moralis, proclivitas in pathemata, facilis cordis palpitatio, pulsuum frequentia, desquamatio cutis, defluvium capillorum, oedema pedum.

DECURSUS ANOMALUS.

360. Etiamsi febres contagiosae proprie tales specificum suum characterem sub qualibuscunque, imo oppositis circumstantiis conservent, pluribus tamen subjiciuntur variationibus et anomaliis, quarum ratio in climate, anni tempore, influxibus cosmicis, constitutione epidemica vel endemica, in subjecti diversitate, ejus temperamento, idiosyncrasiis, vitac genere, aetate, morbis perpessis,

in diversis epigenematisbus fortuitis, complicatiōnibus, nec non in ipsa therapia prava latent. — Inde evenit, quod eadem febris contagiosa, quae tempore hyemis, maxime in subjectis plethoricos characterem inflammatorium altioris gradus offert, dyscrasia sanguinis phlogistica, arteriosae reactionis exorbitantia insigni, atque topicis inflammationibus gravissimis stipatum, — quod eadem, inquam, febris latrante Syrio in subjectis exhaustis, faventibus aerumnis, miseria, annonae caritate, animi despōsitione, aëre pravo etc. in statum liquationis et debilitatis summae convertitur, vel vero de charactere epidemico, gastrico, bilioso, typico, aliōve participat. Ipsi⁹ luna⁹ imperium in pestem orientalem ab Orraeo et Chenoto, in febrem flavam a Jacksonio confirmatum fuit.

361. Aliud, praeter varios characteres febriles, anomaliae genus offert status exanthematis, quod vel prorsus desideratur, vel prorumpere cunctatur, et irregulari serie propullulat, vel nimis cito evanescit, efflorescentiis parasyticis commiscetur, vel demum insolitos exulcerationis, aut gangraenae exitus petit.

362. Anomalum pariter decursum reddunt: insuetae organorum passiones, encephali, cordis, pulmonum, hepatis, etc.; morbi summa malignitas; nec non ex adverso levitas tanta, ut aegri omnis fere febrilis incommodi expertes morbum extra lectum superent, exemplo variolae benignae, atque typhi, ambulatorii dicti.

TERMINATIONES.¹

363. Transitus febrium contagiosarum in salutem contingit sub iisdem conditionibus, iisdemque modis, quibus febres criticas universim resolvi novimus. Princeps sanationis opus perficiunt vires medicatrices naturae, artis auxiliis, vel circumstantiis faventibus debite directae; etenim aequilibrium inter factores vitales restituendo morbosam organismi infecti metamorphosin extinguunt, atque principia abnormia in penetralibus et ambitu corporis generata et uberioris adcumulata vel adsimilant, vel sub certis formis, scoriae instar, versus peripheriam pellunt et eliminant.

364. Quandoque febres contagiosae vere depuratoria evadunt, chronicas labes diversi generis eradicant, salutem priori meliorem adducunt, atque nutritionis munus in junioribus expediendo incrementum corporis promovent.

365. In casu funesto febres et inflammationes contagiosae necem parant nunc repentinam, nunc lentam, et quidem 1) Per sublatam functionem organi nobilioris, encephali, aut pulmonum, unde mors apoplectica, vel suffocativa. Prior mox a phlogosi graviori, illiusque communissimo exitu, hypolepsi, mox vero a viribus nervosis nimis vehemente, aut nimis diu excitatis, suppressis, ac tandem exhaustis dependet, haud raro primis jam morbi diebus obtinens (sideratio miasmatica); posterior turgore inflammatario pulmonum inducitur. —

2) Per debilitatem universalem, et liquationem massae organicae (mors paralytica et syntectica). — 3) Per crises infaustas, erroneas, metastaticas. — 4) Per postuma dynamica, vel organica.

366. Possunt denique febres e contagio adhuc in alios abire morbos, quorum diversitas plerumque a specifica febris ipsius indole determinatur; ita variolae in cariem et arthrocacem, morbilli in phthisin pulmonalem vel diarrhoeam chronicam, scarlatina in varias hydropis species abire consuescunt.

367. Peculiarem adhuc mentionem meretur eminens febrium contagiosarum nisus in mutationem characteris et formae; unde transitus characteris inflammatorii in nervoso - asthenicum, vel septicum, atque inflammationis superficialis metaschematismi, sive metachoreses ad organa interna inter communiores pertinent adparitiones, et quidem plerumque discriminis plenas.

368. Quemvis processum miasmatico - contagiosum febrilem peculiaris comitatur manatio, sive incitatus nisus virium expansivarum, quo efficitur, ut potiora reactionis signa in organismi peripheria adpareant, atque principia inimica illuc determinentur, nec non pro exitu disponantur. Quamprimum huicce motui organico, peripheriam versus magis concitato, obstaculum quoddam opponitur, quod beneficium principiorum noxiiorum

per superficiem secessum **impedit**, uti frigus repentinum, usus adstringentium, spasmus cutaneus, debilitatis altior gradus, etc., invertitur directio nisus centrifugi, vel saltem perturbatur, evanescit processus inflammatorius in ambitu corporis, atque vicariae incenduntur reactiones in organis centralibus, et quidem constanter in eorum amiculis ambientibus, mucosis, vel serosis, quae alioquin propter structurae et functionis homologiam cum superficie cutis in relatione sympathica, vel antagonistica existunt. — **Phlogoses** vicariae tali pacto evolutae comparent vel in membranis mucosis pulmonum et intestinorum, vel in vela mentis serosis cavorum et viscerum, in arachnoida, pericardio, pleura, peritonaeo, atque omi nosas libenter pariunt effusiones.

369. **Phlogoses metastaticae**, a metachoreticis exacte distinguendae (§. 62), contingunt plurimum in organis parenchymatosis et cellulosis, in hepat^e, pulmonum meditullio, glandulis, ossibus, textu cellulari, cuius substrati causa etiam lubenter in suppurationem abeunt, atque hoc intuitu denuo ab inflammationibus simpliciter vicariis discrepant.

370. **Prouti contagia** summe diffusibilia, v. g. scarlatinosum, morbillosum et tyficum, ob maiorem processus inflammatorii instabilitatem metachoresibus favent; ita contagia, quae ad fixam magis inclinant naturam, manifestius processum plasticum alterant, atque in ipsis partibus primi-

tus patientibus morbosas secretiones puris, ichoris, lymphae puriformis producunt, uti variolosum et pestilentiale, majorem, caeteris paribus, in metastases ostendunt nisum.

PROGNOSIS.

371. *Febres contagiosae propter beneficam causae producentis naturam, ejusque facilem multiplicationem, nec non propter generale incendium, quod in toto ferme organismo concitatur, semper morbos praebent discriminis plenos, qui non solum singulis individuis insidias struunt, sed integras saepe saepius depopulantur regiones, dum vaste debacchari incipiunt; et quidem tanto magis, quod plerumque aliarum calamitatum, belli, annonae charitatis, obsidionum, exundationum fideles esse solent comites.*

372. *Quod vero periculum summopere auget, est peculiaris ille, quem adnotavimus, in metaptes, metachoreses et metastases nisus, unde sub optimo saepe rerum statu repentinae continent mutationes, atque aegri haud raro e medio tolluntur, qui jam extra teli jactum credebantur; alias morbo primario feliciter superato inexspectata post huma recenti metu terrent, et optatae convalescentiae spem protinus destruunt. — Ubi cunque igitur de morbo contagioso, vel de simplici tantum ejus suspicione agitur, prae sagium futuri eventus maximam postulat prudentiam et circumspectionem.*

373. Momenta potiora, quae in decursu febrium contagiosarum timorem tristioris eventus incutiunt, sunt: subjecti conditio prava, cachectica, debilis; miasmatis virulentia major; decursus morbi preeceps; praecox virium lapsus, et liquationis imminentis signa; exanthematis eruptio impedita, vel ejus jam evoluti improvisus abitus; adparatus symptomatum nervosorum; complicationes cum morbis praeeistentibus, vel in decursu obortis; passiones contemporales viscerum nobiliorum; concursus circumstantiarum adversarum, aëris mephitici, victus pravi, miseriae, animi depresso, medelæ neglectæ vel perversæ; oppressa demum actionis vitalis libertas sub operationibus criticis. — Conditiones oppositæ laetius admittunt praesagium. — Speciales regulæ prognosticae, suo loco subjungendæ, diriguntur, ab individua et specifica febris contagiosæ natura.

THERAPIA.

374. Ad cuncta ea, quae de contagiorum natura, agendique modo preecepimus, reflectenti facile liquet, febres contagiosas directam curam prorsus excludere; causa enim nunquam in organismo remanet, sed, postquam momentaneum absolvit conflictum, enervatur, atque effectum relinquit, nulla arte truncandum, solisque naturae viribus maturandum et extinguendum.

375. Non defuerunt tamen medici, qui miasmata contagiosa per totum febrium decursum in

organismo latitare, eaque omni momento eliminari, vel enervari posse, sibi imaginati sunt. Ast nullis hactenus experientiis comprobata habetur propositorum remediorum virtus antimiasmatica absoluta: licet aliqua eorum efficacia in morbo mitiori reddendo negari nequeat. Potiora hujus generis remedia sunt alexipharmac a, emetic a, oxygenata, mercurialia et frigus.

376. Communissima quondam praxis, contagiosos fomites e corpore expellendi, fuit alexipharmac a passim dicta; studebant videlicet per diaphoretica potentissima, per balnea calida, ac per machinas sudatorias (Schwitzkästen), tempore Sydenhami et Boerhaavii mirum in modum decantatas, imaginarii fomitis efficere eliminationem. Tantum vero abest, ut hancce mendendi rationem prodesse credamus, ut inde potius nisum expansionis summopere incitari, atque plus mali, quam boni praestari defendamus.

377. Emeticorum usus ab aliis laudatus mere hypotheticae innititur opinioni, qua infectionem per contagium deglutitum fieri, proinde promptam sanationem per emesin suscitatam perfici supposuerunt. In mentem revocanti, quae de atriis contagiorum paecepimus, corruit pariter indicatio vomitum ciendi. Unicus casus, qui emeticorum efficaciam vindicare posset (exceptis complicationibus gatricis), est ille, ubi morbus adhuc in stadio delitescentiae, vel in ipso explosionis momento versatur; ubi nempe gliscens

favilla apertum et stabile incendium nondum concitavit. In hocce autem casu beneficium emeseos violentae potius a concussione universali et specie metasyncriseos organismi, maxime in systemate nervoso et capillari inductae, quam ab evacuato somite contagioso esset repetenda.

Büchner, de provido emeticorum usu in morbis acutis contagiosis. Halae 1756.

378. Magis rationalem medendi methodum, recentiori praesertim aevo propositam, praebere videtur usus remediorum, quae oxygenio abundant, quatenus natura contagiorum volatile cum illa elementorum phlogisticorum plurimum analogi habet. — Huc referuntur omnia acida, oxyda metallica, victus vegetabilis, atque atmosphaerae artificiales oxygenatis vaporibus imbutae. Licet efficaciam oxygenii in destruenda miasmatum virulentia, in minuendo infectionis periculo, atque in ipso febrium contagiosarum decursu mitigando, plurimis observationibus evictam habeamus; insufficientem tamen ejus declaramus vim in processu miasmatico jamjam inchoato ad libitum delendo.

379. Idem dictum sit de mercurialibus, quorum usurpatio in febribus contagiosis non nisi per analogiam commendata fuit, quatenus mercurius in pluribus morbis contagiosis afebrilibus, praesertim in syphilide et scabie summe beneficos excrere solet effectus.

380. Balnea frigida, adspersiones et lotiones

jam ab Hippocrate, Galeno, Asclepiade Bithyno, Antyllo, Herodoto, Paulo Aegineta, et Caelio Aureliano in febribus ardentibus et malignis, inque inflammationibus acutis commendatae leguntur (1). Seriori aevo nonnisi sparsae occurrunt observationes, quae, frigoris usum non protinus neglectum fuisse, confirmant. Ita Bartholinus applicacionem externam nivis, Samoilovitz frictiones glaciales contra pestem laudavit; Robert. Jackson balnea frigida in febribus acutis, quae in Jamaica grassabantur, cum emolumento adhibuit. Recentissimo autem aevo eminuit Currie (2), et Giannini (3), psychrolusiam veterum, ejusque in febribus contagiosis utilitatem summis encomiis extollendo. — Non inficiamur ecquidem, actionem frigoris contractivam expansionis nisui, quem contagia volatilia universim promovent et intendunt, e diametro oppositam esse, talique pacto funestas eorum virtutes refrenare, ac optatum lenimen adducere posse, dummodo debitis cautelis dirigatur cura; longo tamen alieni sumus, ut solo frigoris influxu processum miasmatico-contagiosum destrui, truncari, ac pristinam salutem ante praefixum maturationis terminum restitui posse admittamus.

(1) Floyer, Ancient Psychrolusia revised. Lond. 1702.

(2) Medical raports on the effects of Water etc. Liverpool 1804.

(3) Della natura delle febbri e del miglior metodo di curarle. Milano 1805.

381. Per quantum cuncta haecce adminicula, singulis casibus debite adaptata, utilia esse possunt in evolutione febris contagiosae praepedienda, (si opportunitatis in stadio exhibeantur), vel etiam in ipso processus morbosi vigore temperando, nunquam tamen directae indicationi, quae causam amovere, velexstinguere nititur, satisfacere valebunt.

382. Consideranti, febres contagiosas esse morbos dynamicos, solis naturae viribus vincendos, sponte liquet, cardinem indicationis curative in eo versari, ut ars statum virium ad amussim moderetur, et omnia, quae criticis moliminibus sese opponunt, obstacula sedulo amoveat. Quatenus pyrexiae miasmaticae in primordio semper morbos cum incitatione aucta sistunt, eatenus antiphlogisticis et deprimentibus oppugnandae erunt, quorum selectum gradus exorbitantiae aut suppressionis determinabit. Persistente per totum decursum charactere inflammatorio, haec sola methodus debilitans sufficit ad sanationis opus suf-fulciendum; imo in leviori morbi gradu, et sub moderata virium exorbitantia persaepe sola injuriarum aversione, et apto vitae regimine (medicina negativa) tuta absolvitur cura. — Ex antiphlogisticis autem praecipue arrident illa, quae expansionis nisum temperant, et liquationem arcent, uti acida vegetabilia, et tractamen frigidiusculum.

383. Vires vitales, quamprimum diutius exor-

bitantes, vel suppressae labi incipiunt, vel plane exhaustionis statum minantur, prudenter erigendae sunt remediis nervinis, cardiacis, eupeptis, tonicis et vesicantibus.

384. In omni tamen casu cutis functionem expedire juvabit, quare diaphoreticorum nunc leniorum, nunc excitantium usus ab omnibus merito proponitur practicis. Quatenus lotiones aqua frigida institutae inversam cutis polaritatem restituunt, ejus pervicacem ariditatem leniunt, ac faciliorem principiorum phlogisticorum et imponderabilium secessum promovent, eatenus omnino diaphoreticorum tribui adnumerari possunt, atque consuetis vix non tutius agunt; habent enim illam praerogativam, quod sub maximo hyperstheniac gradu aequa, ac viribus jam labentibus adhiberi possint. Epispasticis demum et vesicantibus non minor in cutis perspiratione promovenda virtus competit.

385. Particulares therapiae modificationes, quas morbi aetas, decursus regularis vel anomalus, complicationes accidentales, specifica febris ipsius indoles, atque organorum patientium diversitas sibi expostulant, ad speciales tractatus relegare oportet.

PROPHYLAXIS.

Juncker, de mediis, contagii epidemici ortum, communicationem et actionem in corpus prohibentibus, Dissertatio.
Halae 1758.

Kortum, Anweisung wie man sich vor allen ansteckenden Krankheiten zu schützen habe. Leipzig. 1779.

Barzelotti, Polizia di sanità per evitare i contagj ec. Sie-
na 1806.

386. In morbis contagiosis febrilibus, qui adeo libenter disseminantur, suamque tyranidem facili negotio super populum extendunt, regimen praeservativum maximi sane est momenti. Princeps adtentio ad sequentia dirigenda crit momenta: 1) Ut originaria evolutio contagiorum indigenorum impediatur. 2) Ut exoticorum introductio arceatur. 3) Ut communio sanos inter et infectos tollatur. 4) Ut organismus sanorum, qui aegris infectis adsistunt; minus receptivus reddatur. 5) Ut ipse fomes contagiosus destruatur.

1. IMPEDIENDA CONTAGIORUM EVOLUTIO.

387. Conamina medentium et Magistratuum providorum non semper adeo felici coronantur eventu, ut, optimis etiam praeervationis adminiculis adhibitis, cuncti, vel singuli homines contagionis insidias effugere valeant; quare omnis impendi debet solertia in originariam contagiorum evolutionem praepediendam, quae quidem ad patrios tantum fomites extendi poterit.

388. Sub gravi hocce opere ad illa potissime respiciatur momenta, quorum concursum generationi contagiorum in primis favere novimus, uti sunt aër mephiticus, ejusque scaturigines, coabitatio plurium individuorum sive sanorum, sive aegrotantium in locis angustis, victus pravus, annonae charitas, miseria etc. (§. 208). Irriti tamen

semper manebunt singulorum medicorum conatus, nisi Reipublicae auctoritate et potestate suffulciantur.

389. Bellici tumultus, qui omnis generis calamitatum fertilissimam praebent Lernam, communiorem quoque sistunt pestium indigenarum causam, maxime ex eo, quod necessitas plurium nosocomiorum extruendorum, ac ab uno in alium locum transportandorum, multiplex militum aegrorum et convalescentium cum civibus regionum et urbium obsessorum commercium, nec non domiciliorum spatiosorum, contuberniorumve militarium (*Casernen*) penuria (1) publicae saluti omnino damnosa evadunt. — Plurimum interesset; ut Nosodochia castrensia (*Kriegsspitäler*) nunquam removerentur, sed communi Regnantium et Populorum conventione per inimicas quoque cohortes, ceu sacra humanitatis asyla, veneranda sarta tectaque conservarentur (2); — ut funesta plurium militum, sive sani, sive aegroti sint, in angustis domibus adcumulatio interdicatur, quum saluti minus obsit tuguria (*Baraken*), vel tentoria in aper-to exstruere campo, quam angustas occupare aedes, ibique insignem sine proportione numerum coacervare; — ut aër omni die aliquoties renovetur, vel suffimentis acidis depuretur; — ut maxima aegrorum et vestimentorum servetur mundities, dejectiones alvinae et urinae, mutula exceptae, protinus dimoveantur; — ut demum aegri, qui majus evolutionis contagiorum periculum in-

cutiunt, illi v. g. qui febribus nervosis et putridis, gangraenis, ulceribus amplis, vel scorbuto adfecti decumbunt, ab aliis sedulo separentur. — Similes praecautiones ad cuncta illa extendi debent loca, ubi plures homines tam sani, quam aegrotantes cohabitare coguntur, uti sunt nosocomia civium, carceres, orphanotrophia, conclavia navium, urbes obsessae etc. — Nullum, uno verbo, praesidiorum intentatum maneat, quibus Hygiene publica civium salutem tueri docet.

- (1) *Luccae*, etwas über die Verbreitung contagioser Krankheiten durch einquartierte Soldaten. In Kopp's Jahrbüch. der Staats-Arzeneykunde. B. VII.
- (2) *Val. Hildenbrand*, über den ansteckenden Typhus. S. 282.

2. ARCENDA CONTAGIORUM EXOTICORUM INTRODUCTIO.

390. Diversa exstant contagiorum genera, quae, licet apud nos nunquam sponte nascantur, longe tamen lateque diffundi possunt, si ab exteris advehuntur regionibus. Communissimam introductionis occasionem praebent bella cum nationibus, quarum natale solum epidemicas, vel èndemicas lues fovet, atque commercium mercimoniarum contaminatarum. Invigilandum igitur erit in Regionum marginibus et portibus, ut clandestinus introitus mercium et hominum infectorum, vel suspectorum tantum praeveneratur, quod quidem propriis legibus sanitariis hunc in scopum sancitis obtinebitur.

391. Quamprimum in portu navis adpellit, ex illis praesertim proveniens oris, quibus pestilentiam endemicam, vel fortuito subortam esse compemus, per quadraginta dies scrupulosac subjiciatur observationi, omnisque cum ea impeditatur communio. Si durante hacce mora quadragesima, cui nomen Quarantine, vel Contumacia tribuitur, nulla morbi contagiosi in advenientibus, vel illis, qui eorum commodis inserviunt, adparent indicia, omnia suppellectilia, ipsaque merces, aëris perflatui prius exposita, diversis depurari debent modis, antequam usus et commercialis distributio concedatur. Ipsae litterae, et monetae, ceu communissima mutuac hominum relationis media, sanorum manibus non erunt committendae, nisi prius lotae, vel suffimigiis expurgatae fuerint. Maximam adtentio- nem postulant illae merces, quibus contagiosi fomites pertinacius adhaerere solent, uti lana, gossypium.

3. SEPARATIO INFECTORUM.

392. Quousque febris quaedam contagiosa ad singulos tantum limitatur homines, praeservatio- nis cura medicis privatis relinquitur, ut infecto- rum cum sanis communionem, per quantum fieri licet, impedian, vel saltem superfluam contrec- tationem aegri, ejusque suppellectilium prohi- beant, aliasque cautelas necessarias praescribant. Quamprimum vero pluribus in individuis ejusdem

loci, vel plane in diversis locis prorumpens lues disseminationis periculum minatur, medici renunciationem Magistratui facere tenentur, ut aegri infecti vel intra proprios lares solerter custodian-
tur, vel in Nosocomiis separatis colligantur, eo-
demque tempore idonea disponantur praecepta
ad ulteriore diffusionem averruncandam.

393. Opponunt quidem nonnulli huicce aegro-
rum inclusioni in propriis Loimocomiis (*λοιμός*, pestis, et *κομεω*, curam gero), barbare Lazaretis dictis (Pesthäuser), quod per at-
mosphaeram a pluribus aegris una decumbenti-
bus inquinatam, non solum individua reclusa sum-
mo vitae discrimini exponantur, sed etiam aedium
aēr multiplicato miasmate contaminetur sic, ut,
qui hos miseros necessario convenire debent, Me-
dici, Sacerdotes, Altores, confertissima conta-
gia facilius hauriant, vestibus colligant, et vel
ipsi hinc infecti moriantur, vel sua contagione
adhaerente, quotquot convenerint aedes, homi-
nesque, inficiant. — Tali autem opprobrio non-
nisi Nosodochia angustia, male constructa et ad-
ministrata, non eventillata, nimio aegrorum nu-
mero conferta, et requisito famulitio priva ob-
noxia esse poterunt.

394. Nosocomia igitur curandis aegris infec-
tis destinata ita construantur et instruantur, ut
spatiosa, ampla, multarum fenestrarum et janua-
rum sint, ut ventus vi plena aedes lustrare pos-
sit; ne numerosissimis scateant aegris; ut suffi-

cientes praeſciantur Medici, Chirurgi, et Parabolani, et ut horum non minus, quam aegrotantium commercium cum sanis interdicatur, niſi prius corpus et vestimenta scrupulose expurgaverint. — Si ejusmodi Loimocomia non proſtarent, plebs egna, peregrinaque strata in plateis et angiportibus, vel in angustis tuguriis conferta miserrime perire, ipsamque luem praecipiti paſſu disseminare deberet. Benefico tamen scopo haecce languentis humanitatis asyla, ceu tutissimi tetrarum pestilitatum cuiusvis generis argines ſatisfacere nullatenus poterunt, niſi celum Regimen larga ſuccurrat manu.

395. Si vero neque tali praecautione gressus contagionis refrenari poſſunt, diffusionis periculo indies increbente, et si brevi tempore plures homines in diversis ejusdem loci partibus funesto cum hospite conflictantur, horumque pauci tantum exitium evadunt, tunc serio Regimen de pestis pernicioſae verosimilitudine majori monendum, ut promulgatis edictis ſiſtat illam, omne commercium infectae urbis, aut pagi cum locis limitrophis intercipiendo (Cordon).

396. Circa praeftantiam intercipiendi communionem urbis cuiusdam, pestilentiali morbo invisač, cum civitatibus externis summac orſae ſunt inter Medicos et Senatus publicos discordiae, quatenus ejusmodi consilio jacturam ingentem vecigalibus et mercatoribus, ſaepeque irreparabilem inferri adduxerunt. Ecquis autem liberae mer-

caturae commoda, beneficiaque majoris faciet, quain populi salutem? — Ne tamen frustra turbetur commercium, civiumque opulentia periclitetur, ob simplicem funesti mali timorem et suspicionem, plurium, peritorumque medicorum unanimi consensu contagiosa luis oborientis indoles decidi prius debet.

397. Grassante qualicunque epidemia contagiosa interdicenda sunt conventicula, theatra, nundinae, processiones, aliaevae functiones publicae, ut mutua hominum communio, per quantum fieri potest, evitetur. — Cadaverum sepultura suum quoque meretur respectum; funera publica prohibenda, ne dissipatio miasmatis promoveatur, civiumque animi prosternantur; ipsa vero cadavera cito et profunde humanda.

398. Eo severius capiendum erit consilium, quo magis exitiale fuerit dominantis epidemiae contagiosae ingenium; quapropter communiter ad pestem orientalem extendi solebant propositae cautiones. Quum tamen et aliae febres contagiosae summum adducant periculum, si longe lateque debacchantur; ideoque merito loimicæ compellari possunt, eandem omnino sibi exposcunt in ulteriori diffusione averruncanda solertiam. Quapropter contra variolam, praeceunte Junckero, atque recentiori aevo contra typhum contagiosum, pestis bellicæ nomine omnino dignum, a plerisque medicis circumspectis eadem jure proponitur prophylaxis.

399. Separationis beneficium confirmat non solum communis coenobiorum immunitas peste undique saeviente, verum etiam typhus pestilentialis hodieque Byzantii endemicus ferme, qui cautoribus Europaeis, suburbium Pera inhabitantibus parcit, dum continuas inter Turcas edit strages, qui sinistra fatalismi superstitione obcoecati omnes vilipendunt praecautiones.

4. TUTELA SANORUM.

400. Separatio aegrorum infectorum quidem jam plurimum tuetur reliquorum hominum salutem, quum tamen adeo perfecta esse nequeat, ut omnis prorsus communio, saltem mediata suspenderatur, maxime de illis loquendo, qui miseris aegris solatium et curam praestant, cogidandum est, ut eorum corpora suscipiendo contagio minus idonea reddantur, et cunctae evitentur occasiones infectioni et diffusioni faventes.

401. Febres contagiosae peculiarem illam agnoscent virtutem, quod secunda vice nonnisi rarissime invadunt; quare pro cura et famulitio aegrorum talia elegantur individua, quae morbum jamjam subiverint. Docuit pariter observatio, febres quasdam contagiosas, artificiali insitione productas, multo mitiorem tenere decursum, unde medici hancce praxin eo scopo introduxerunt, ut corpora contra infectionem fortuitam tuta reddant, atque epidemiarum diffusionem praependant (1).

(1) Heinrichmayer, Diss. de artificiali contagiorum insitione. Erlang. 1802.

402. Variolarum inoculatio plurimos obtinuit ad seclas, suamque praestantiam conservavit, donec detectae vaccinae, ceu prophylaxi magis innocuae et securae, locum cedere debuerit. — Morbillorum tentata insitio pluribus obnoxia fuit difficultatibus, neque votis respondit, quapropter pericula de fomite scarlatinae et typhi inserendo instituta non sunt. — Sponte liquet, ejusmodi artificiales insitiones, scopo prophylactico, nullatenus illis tentandas esse contagiis, quae ex sua natura maxima horrent venenositate, summumque vitae periculum ponunt, sive accidental modo suscepta, sive insita fuerint, uti essent contagia typhi communis, pestis bubonicae, et febris flavae. Id confirmant funesta exempla insitionis viri pestilentialis, a Mac - Gregorio relata (1).

(1) Mac-Gregor, Medical sketches on the expedition of the army etc. London 1804.

403. Nonnulli practici, quos inter praecipue Professorem Valli nominare sufficit, per analogiam ducti variolae vaccinae in arcendis humanis virtutem exploratam ad alias quoque febres praevertendas extendere voluerant, e qualicunque demuni contagii specie originem trahant; ast experientiae repetitae opinionem praestabilitam non confirmarunt. Destituimur itaque antidoto prophylactico adeo generali, ut cujuslibet contagii susceptionem impedire valeat; neque ratio suadet ejusmodi panaceam unquam inventum iri.

404. Aliud praesidium providens, quo homi-

num salutem tueri, atque infectionis periculum minuere studemus, offert aptum vitae regimen. Jam antiquitus vita sobria et temperata debitis extollebatur encomiis. Commendanda igitur erunt: aëris ambientis puritas, victus nutriendis, praesertim vegetabilis, modicus vini et spirituorum usus, heluationis fuga, moderatum corporis exercitium, mundities, lotiones frigidæ, et animi hilaritas.

405. Medici, Chirurgi, Sacerdotes, Famuli, qui circa febrientes versantur, contactum aegrorum, rerumque contaminatarum, nec non aspirationem atmosphaerae aegros circumfluentis, per quantum licet, evitent, est enim hocce inter omnia tutissimum munimentum; manus frequenter lavent; os eluant aceto simplici, vel aromatico, quale est illud quatuor latronum; aromata varia, uti fructus cardamomi, caryophyllos, aut radicem aconi calami masticent; faciem avertant, dum aegros alloquuntur, vel stragula adtollunt pulsum, aut abdomen explorandi causa, ne halitum et vaporem ab aegro manantem hauriant; ventriculo jejuno lectos nunquam adeant; strophis aceto radicali imbutis narces obturent, vel saltem crebrius confricent; salivam cōram aegris resorbere caueant; vestes, quibus induiti erant, deponant, dum infectam egrediuntur domum; vel vero, suadente Muratorio (1), propria ex linteo, aut serico cerato confecta toga utantur eo tempore, quo aegris adsistunt.

(1) Muratori, del Governo della peste. Moden. 1710.

406. Plurimum denique interest, ut infectorum curae dicati timiditatem et formidinem omni opera dispellant et circumscindant; qui enim animo meticuloso aegrotorum limina intrat, de eo in his morborum periculis plerumque actum est. Saluberrimum hilaritatis esse influxum, in hominum valetudine contra contagiorum injurias firmando, jam antiquitus notum erat. Ita progressibus dirae illius pestis, quae nomine atrae mortis seculo decimo quarto totam Europam peragravit, Pontifex maximus sapienter opposuit universalem peccatorum remissionem, ut fracti hominum ac desperabundi animi firmarentur. Pari scopo jussit quondam pagi Bernensis Magistratus convivia, et epulas, et ludos publicos haberi, quibus populus continuo laetus ab animi desponsione liberaretur.

407. Quidquid superficiem periphericam corporis ita disponere valeret, ut suscipiendo et conducendo contagio inepta evadat, quidquid ergo, cum Physicis loquendo, corpus humanum hoc intuitu isolaret, tutissimum sane praebaret prophylacticum. Ast impossibilis est ejusmodi separatio organismi, quin simul et reliqua communio eum inter et incitamenta vitalia intercipiatur. Unctiones oleo olivarum factas, Cels o quidem jam notas, omnium tamen primo a Consule britannico, Georgio Baldwino contra pestem orientalem propositas (1), serius a Gallis medicis Desgenettes et Lud. Frank commendatas, ac a sola observatione fortuita mutuatas, quod, qui

λυχναῖς exercuerunt, aliique in oleariis occupati pestilentiae immunes extiterint, in quibusdam profuisse casibus non inficiamur. Admittere tamen nequimus, hosce litus oleosos ubique eo solum respectu prodesse, quod cutim obliniendo contagii ingressum arcent; novimus enim organa respirationis multo communius sistere infectionis atrium, atque didicimus observationibus Humboldii et Graebergii, oleum olivarum externe adplicatum etiam in peste jamjam evoluta opes tulisse.

(1) Berchtold, Beschreibung des neuen, mit dem glücklichsten Erfolge angewandten Mittels gegen die Pest. 1791. — Baldwin, Osservazioni circa un nuovo specifico contro la peste Firenze 1800.

. 408. Minoris adhuc efficaciae in tuenda hominum salute contra infectionis periculum, sunt: cauteria et fonticuli, ab Ettmüller o, Rive rio, et Bartholino proposita; insitio scabiei; fumus tabaci; usus internus opii, theriacae, sodae phosphoratae, mercurii, et acidorum mineralium. — Quod vero unum non praestat e cunctis medicinalis supra adlatis, securius praestabunt plura simul adhibita.

5. DESTRUCTIO CONTAGII.

409. Quousque seminium contagiosum non fuerit extinctum, etiam eradicandae pestis qualisunque generis nullam concipere licet spem. Concurrunt quidem ad extinctionem aliquo modo praemissae cautelae, quae regenerationem conta-

gii impediunt; quodvis enim germen necesse est, emoriatur, si pabulum deficit. Remedia vero, quae contagiosos somites immediate destruunt, et annihilant, sunt: perflatus, ignis, frigus, suffimenta, et lotiones. Lucis potentioris atque electricitatis influxum, contagiis pariter inimicum, ita dirigere, ut optata obtineatur destructio, non est in potestate medici.

410. Aër atmosphaericus quorumvis contagiorum virulentae virtuti delenda adeo idoneus est, ut per paucum tantum tempus suspensa, ejusve influxui exposita esse non possint, quin suam amittant activitatem. Ideo cubilia aegrorum diligenter eventillanda sine ullo anni temporis respectu. Cum tamen januae et fenestrae, quamvis aliquoties in die reseratae, ad perflatum facilius admittendum non sufficient, in nosocomiis maxime necessaria evadunt spiracula, vel camini et fornaces a vento sic dicti. Suppellectilia contaminata vix ulla alia vi inficiendi facultatem citius et facilius perdunt, quam vividi, purique aëris admixtione, ac evibratione. — Venti frigidi, aquilonares, e salubribus flantes oris, nullaque mephite imbuti saepe improvise pestilentias dissiparunt (1).

(1) Svietenii, Comment. in Aphorism. Boerhaavii. Tomus V. §. 1407.

411. Ignis, et maximus caloris gradus insignem in contagiis protinus destruendis habent efficaciam, jam canae antiquitati notam.

Provocamus ad dignitatem Hippocratis, qui Acronis Agrigentini, aut Jachenis Aegyptii exempla imitatus, furentem tota Graecia pestilitatem accensis passim per compita, per domos, et undique crebris ignibus, profligavit. Flammas ligno juniperi accenso motas et per cubile circumlatas semper proficuas vidimus. — Utensilia, linteae, vestes, lana optime depurantur ad fusione aquae bullientis, cōctione, vel crematione in fornacibus. Minoris valoris suppellex comburatur.

412. Frigus, quod omnis generis germina organica destruit, adeo potens contagiorum antidotum sistit, ut in climate septentrionali febres contagiosae rārissime evolvantur, ibique evolutae brevi extinguantur. Solae immersiones diuturniores suppellectilium pollutorum in aqua frida, ac frequentiores aegrorum lotiones plurimum conferunt ad segetis contagiosae fertilitatem coērcendam.

413. Quemadmodum bina caloris extrema dynamico modo fomites contagiosos destruunt; ita diversae substantiae, si cum rebus inquinatis in contactum veniunt, vel diversa atmosphaerae inquinamenta eundem effectum praestant per resolutionem chemicam, et quidem copotentius, quo magis ad unum alterumve polum chemicum accedunt.

414. Plures quidem exstant experientiae, quibus innotuit ipsos mephiticos aëres contagiosis suffocandis pares fuisse; juvat meminisse extinctionem pestis cujusdam Londinensis per clo-

cas undiquaque reseratas. Nemo tamen sanae mentis similibus uti vellet adminiculis, quibus salus hominum alia ratione in periculum conjicitur. — Lindii adsertio, fumum ligni combusti contagiis inimicum esse, nondum extra omnem dubitationis aleam posita est. J o s. Frank quidem fidem facit, morbos contagiosos in tuguriis Judaeorum, et rusticorum Rutheniae, fumo imbutis, raro deleterios fieri; ast contrarium demonstrat observatio Campbellii, qui febrem typhosam inter incolas alpium Scottiae, quorum habitacula denso turfae combustae fumo scatere solent, maximas strages edidisse retulit.

415. *Suffimiglia resinosa*, juniperi, olibani, mastiches, styracis, benzoës, et similiūm, — deducto certe ab Aegyptiis more, apud quos vetus consuetudo fuerat, ut aërem conclave et templorum quotidie crebris suffitibus ex resina et myrrha adularent, — ab aliis laudantur, vilipenduntur ab aliis scopo atmosphaeram depurandi. Pluribus tamen observationibus confirmata habemus odoris fortioris in contagiorum vi mitiganda potestatem (Moseley). Observatum fuit, loca aromatum promtuariis vicina a peste intacta mansisse; ita quoque constitit, in pestilentia quadam Londinensi immunes mansisse homines, qui navibus construendis occupabantur, dum perpetuo versarentur in aëre picca fragrantia imbuto.

416. Si reflectimus ad naturam fomitum contagiosorum, jam a priori concludere licet, in

substantiis oxygenio scatentibus maximam contagia destruendi virtutem reponi, quam experientia reapse abunde evicit. Expeditissimum ideo remedium adversus omnia inquinamenta atmosphaerae, sive mephitica, sive contagiosa, praebent vapores aceti, et acidi nitrici juxta mentem Johnstonii et C. M. Smithii extricati, praeccipue vero suffitus oxymuriatici, a praeclaro inventore Guyton-Morveau (1) nomen adepti, dummodo ea cautione adhibeantur, ne stimulo suo respirationis organa offendant. Emuriatis sodae unciis tribus et oxydi manganesii drachmis quinque cum acidi sulfurici drachmis septem, uncia una aquae dilutis in vase vitro tritis vaporess excluduntur oxy-muriatici, quibus et atmosphaera, et omnis suppellex optime depurgatur. — Cavendum vero, ne nimia in suffitibus reponatur fiducia, valentioraque praesidia negligantur, quae inter, uti jam monuimus, evitatio contactus corporum infectorum primum locum tenet. Habent vero vapores acidi illam quoque praerogativam, quod praeter fomites contagiosos in aura suspensos, mephites simul corrigunt, a coacervatis aegris extricatas. Aëris marini, quem contagiis inimicum habuit expertissimus Lind, salubritas non minus oxygenis redundantiae tribuenda videtur. — Analogas demum adhuc virtutes antimiasmaticas recentiori aevo adscripserunt exhalationibus aquarum, quae pro corio condensando inserviebant (Val-

li), carboni humectato (Doeberein er et Kieser), atque nuperrime chlorurati sodae (Labarraque).

(1) Traité des moyens de desinfecter l'air. Paris 1802.

417. Ultimum denique pro destruendis contagiis adminiculum suppeditant lotiones aqua frigida, vel bullienti, vel quod multo efficacius, lixivio caustico, aliisve liquidis acribus institutae; dummodo utensilia per ejusmodi operationem de sua integritate nil amittant. Lintea igitur, lana, lectisternia et ligna hoc modo tutissime expurgantur.

418. Postquam morbus loimicus felici omine cessavit, ipsae aedes, in quas contagium irrepit, repurgandae, trullissandae, ac diu eventilandaerunt, ut omnis contagii delitescentis favilla extinguatur; omnisque novae explosionis metus protinus abigatur.

B. DE CONTAGIIS ET FEBRIBUS CONTAGIOSIS SPECIATIM.

419. Quamvis intimae contagiorum naturae nulla hactenus habeatur certitudo; nihil tamen secius, praecipuorum effectuum, quos suscitant, syndromen in singulis speciebus paulo curatius perpendenti, veluti triplicem contagiorum febrilium ad organismum relationem distinguere licet, quae ex eminentiori nunc unius nunc alterius systematis organici passione innotescit.

420. I. Nonnulla contagia volatilia processum vitae plasticum ea ratione alterant, ut exanthematica, quam produxerunt, phlogosis constanter in puris genesis nitatur; contagia pustulantia, pyogenetica, aeolecthymatica. Huc spectant variolae humanae verae, varicella, et variolae brutorum insititia. — II. Alia ob particularem cum principio irritabili adfinitatem insignes per totum ambitum corporis incendunt reactiones in systemate vasorum capillarium, unde exanthemata emicant saturatissimo rubore conspicua, nullum tamen in consuetos inflammationum exitus nisum patefacentia, sed manifestissima cuticulae desquamatione solvenda; contagia phoenicistica, seu rubefacientia. Hujus generis sunt morbilli, scarlatina, et rubeola. — III. Alia denuo jam a primo exordio systema sensitivum, ejusque centra in primis adgrediuntur, nervosa concitant symptomata, atque substantiis narcoticis et inebriantibus summe analogas exerunt vires; contagia methistica, seu typhica. Typhus exanthematicus nostras, typhus pestilentialis, siue anthracicus (orientalis), atque typhus icterodes (occidentalis) tres constituunt ejusdem prosapiae fratres, quorum differentia in climatis, et morbi genitoris (primigenam contagii evolutionem carentis) diversitate potius, quam in essentiali intimae naturae discrimine latere videtur.

a. CONTAGIA PUSTULANTIA.

i. VARIOLA.

C. L. Hoffmann, Abhandlung von den Pocken. Münster 1770.

Sarcone, del contagio del vajuolo e della necessità di ten-
tarne l'estirpazione. Napoli 1773. — A. d. Ital. v. Lentini
Gött. 1782.

Unzer, Abhandlung von den Pocken. Halberst. 1781.

Paulet, Histoire de la petite Vérole. T. II. à Paris 1768.

Hopfengärtner, Beobachtungen über die Pockenkrank-
heit. Stuttgart 1799.

Hildebrand, Bemerkungen und Beobachtungen über die
Pocken. Braunschw. 1788.

Burserii, Instit. pract. med. T. II. Cap. IX.

421. Morbum adspectu horrendum, generique
humano a remotissimis inde temporibus summe
exitialem constituit illud exanthema contagiosum
sui generis, acutum, febrile, pustulosum, in
propria nitens post huma, ab exteris regionibus no-
bis advectum, quod latinis Variola (diminuti-
vum a Varis, apud Celsum sic vocatis pustulis
faciei, juxta alios ab adjectivo varius, varia,—
subintelligitur aegritudo, quasi proteiformis) Gal-
lis la petite vérole, Italis Vajuolo, Anglis
Small-pox, Germanis Pocken, Blattern
audit. Plouquetio Aeolectyma dicitur, a
graeco αἰολος variegatus, et ἐκθυμα efflorescentia.

ANTIQUITATES.

Schaufuss, Neueste Entdeckungen über das Vaterland und
die Verbreitung der Pocken und der Lustseuche. Leipz. 1805.

422. Incerta quidem sunt non minus loca,
IV.

quam tempora primae variolarum originis; sereque infructuosa iis eruendis conclebrium scriptorum sagacitas hactenus fuisse videtur. Sequentia tamen historicis innixa testimoniis maxima cum verisimilitudine, ne dicam certitudine, proferri possunt.

423. Innotuit ex antiquissimis Sinensium traditionibus, quas inspicere nonnullis licuit Ecclesiae Romanae emissariis, variolas in Regno Sinico jam circa Annum 1722 ante Christum natum observatas, ac in proprio libro *Teon-tchiufa* descriptas fuisse. Inde morbum ad confines Japaniae et Indiae orientalis terras ob mutuum commercium transferri debuisse, ratio non solum suadet, verum etiam veteres, quae supersunt Brachmanorum traditiones confirmant, variolam pro antiquissima declarantes labe, in cuius tutelam Indorum Mythos propriam creavit divitatem. Hasce notiones doctissimo Anglo Moore (1) in acceptis referendas habemus.

(1) Moore, the history of the small-pox. London 1815.

424. Disceptatum acriter est superioribus prae-
sertim temporibus, utrum variolae priscis Graecorum et Romanorum medicis notae fuerint; statuebant enim quidam, manifesta hujus morbi vestigia in libris Hippocratis, Galeni, et Aetii reperiri; alii vero illud negabant. Eruditissimi viri Hahnius (1) et Trillerus (2) aeri studio con-
nati sunt, variolas e Graecorum monumentis cruce-
re. Contrariam vero sententiam tuentur aequali eruditione, ast firmioribus, ut videtur, argumen-

tis innixi, **Celeberrimi Werlhofius** (3), **Meadius** (4), **Freindius** (5), **Svietenius** (6), **Grunerus** (7), ac inter modernos omni laude superior **Sprengelius** (8). Opinione quidem dissentiebant clari illi viri, animis minime; unde amicum illud dissidium summa cum modestia absque ulla acerbitate tractatum fuit, ut magno esse possit hodiernis diebus exemplo, quomodo bella literaria geri debeant.

- (1) **Hahn**, Variolarum antiquitates nunc primum e Gracis erutae. Brigae 1733.
- (2) **Trilleri**, Epistolae duae de Anthracibus et variolis veterum. In ejus Opusculis Medicis. Francof. 1766. Vol. II.
- (3) **Werlhof**, Disquisit. med. et philolog. de Variolis et Anthracibus. Hannov. 1735.
- (4) **Mead**, de variolis et morbillis. Goett. 1748.
- (5) **Freind**, Historia medicinae. Lugd. Bat. 1734.
- (6) **Svietenii**, Comment. in Boerhavii Aphorism. T. V. §. 1379.
- (7) **Gruneri**, Morborum Antiquitates. Vratisl. 1774.
- (8) **Sprengel**, pragmat. Geschichte der Medicin. Tom. II.

425. Quidquid sit de cana antiquitate hujus morbi, quem nonnulli plane generi humano coacrum pronunciarunt, in eo saltē conveniunt plerique eruditi, quod incunabula variolarum in Oriente quaerenda, quod ex Arabia super plerasque hujus mundi plagas diffusae, ac ab Arabibus Medicis omnium primo exacte descriptae sunt.

426. Annus primae adparitionis variolarum in Arabia fuit natalitus Mahomedis (A. 558 aerae nostrae, juxta alios A. 572), quo Habissini, ejecta regum Homeritarum prosapia, reliquam quoque

Arabiam subacturi, et Christianam fidem, quam ipsi profitebantur, etiam in Hagschaz stabilituri, Maccam ea mente invaserunt, ut Caabam, magnum illud templum sedemque Paganismi arabici everterent. Haec e manuscriptis Masudii, quem vulgo Arabum appellant Livium, eruit doctissimus Philologus Reiske (1). Aethiopes igitur, qui jam Hippocratis tempore gravem Graeciae pestem intulerant, illo anno variolas Arabiae intulerunt, quas omnigenae monstrositatis ferax Africa, obscoeniore alicubi, et putri situ educasse videtur, nuper enim Lichtenstein ad fluvium Arausiae in interiore Africa variolas inventit, ex aequatoriali regione illuc delatas (2). Ut vero hic populus intra brevissimum temporis spatium religionem et imperium, ita quoque novam hancce lucem per Aegyptum, Syriam, Palaestinam, et Persiam propagavit, maxime ab anno 622, quo fugam petiit Mahomed, ad Annum 640, quo Saracenorum exercitum dicens Omar, Mahomedis successor, Alexandriam expugnavit. Arabs Ahron, qui tunc temporis Alexandriac medicam exercebat praxin, primus de variolis, ceu morbo jam vulgari et communiter noto, deque earum causis et cura scripsit, cuius tamen Pandectae ad nostram actatem non pervenerunt. Arasaki, passim Rhazes vocatus, e Persia oriundus, unus e praecipuis Arabum medicis (ad finem seculi IX) distinctam et exactissimam historiam variolarum (Arab. Dschadarī) scripsit (3), licet, se vetu-

stiorum Arabum, et imprimis Ahronis scripta compilasse, ipse fateatur.

- (1) Reiske, Opuscula medica ex monumentis Arabum et Hebracorum. Halae 1776.
- (2) Reise in's südliche Afrika. 2. Th. S. 405.
- (3) Rhases, de variolis et morbillis. Arab. et Latin. London. 1766.

427. Non minus obscura sunt prima variolarum in Europae regionibus vestigia, atque in varias hoc intuitu historiographi abiverunt sententias.— **G**regorius **T**uronensis pestem notat peculiaribus nuptam efflorescentiis, quas variolas milianas, seu coralles pustulas vocabant. Grassabatur haec annis 565—568 p. Chr. per Galliam, ipsiusque regis Burgundiae Guntrami impiam uxorem e vivis abrexit (1). Referente **M**ario Episcopo Aventicensi anno 570 morbus validus cum profluvio ventris et variola Galliam et Italiā afflixit (2). Etiamsi **W**erlhofio et **G**runero lubrica et incerta videbantur haecce variolarum indicia, maxime quod non congruant cum certioribus apud Arabes vestigiis, biennio posterioribus; nihil tamen secius majorem adipiscuntur probabilitatis gradum, si conferimus posteriores eruditissimi **S**prengelii indagines historicas, qui traditionibus **A**bulfedae, celebris Arabum historiographi innixus, annum Mahomedis natalem 558 aerac Christianae fuisse perhibet (3), quem **M**asudius 572 esse voluit.

(1) **G**regor. **T**uron., Historia Francor. Lib. V. C. 55. 56.
— **S**prengel, Geschichte der Medicin. 2. Th. S. 265.

- (2) Paulet, Histoire de la petite vérole. T.I. p. 78.
 (3) Sprengel, Geschichte der ersten Ausbreitung der Pocken im Abendlände. — In den Beyträgen zur Geschichte der Med. 1. B. 1 St.

428. Majori cum probabilitate conjicere licet, infelix illud lolium initio seculi VIII, — ab Anno 712 ad 732, — quo barbara Saracenorum illuvies, ab Arabia proveniens, in Hispaniam, Galliam, Siciliam et Italiae partem exundavit, Europae illatum fuisse. Seculo X. quo Arabs Avicenna maximam variolis dicavit attentionem, plura occurebant variolantium in Gallia, Germania et Britannia specimina, testantibus variis ejus aevi Chronicis (1). Inter cetera eluxit Balduinum, Arnulfi, comitis Flandriae filium anno 961, hoc morbo obi- visse; Principem Elfridam vero (Anno 907) atque Episcopum Kaminaldum (977) feliciter evasisse (2). Non effugit aciem observatorum illius jam epochae variolas specificum spargere odorem.

(1) Moore, Oper. cit. p. 86. etc.

(2) Schnurrer, Chronik der Seuchen. Tübing. 1823. Th. I. p. 185. et seq.

429. Plurimum vero ad variolosac luis diffusio- nem contulisse videntur expeditiones adversus hos- tes doctrinac Christianae seculis XI. et XII., ob crebriorem exercituum europaeorum cum Sarace- nis, sacras terras occupantibus, conflictum. Con- stantinus Africanus, qui sub finem seculi XI. Salerni floruit, plurimis Arabum operum ver- sionibus latinis celeber, primus vulgatiorem tunc introduxit usum variolarum nominis, quod

arabico Dschadari substituit. Ab illo tempore
formidabile flagellum evasit, quod non solum epi-
demicum per vices adquirens dominium nefandas
edidit strages, verum etiam adeo perennem in
solo humano radicem fixit, ut necessariam ferme
ac inevitabilem calamitatem crediderint cum vulgo
medicorum plurimi, desperantes fore, ut ejus
germen, naturae humanae quasi insitum ac inu-
stum, unquam extirpetur.

430. Neque intra solius Europae meridionalis
cancellos constitit mali infrenata saevitia, docente
enim historia ad arcticas usque penetravit oras,
imo ad remotissimas globi terrauei regiones fatis
volventibus, ac indies aucto hominum commercio
migravit Anno 1517 in Americam septentrionalem
prius hac labe prorsus immunem, — inchoante
seculo XVII. in Virginiam et Carolinam translatam
fuisse variolam ephemerides testantur. Anno 1707
Islandiam, et anno 1733 Groenlandiam depopu-
lata est. Kamtschatkam nonnisi Anno 1767 per-
vasit. Felicioribus, hoc saltem intuitu, Lapponiae
incolis hactenus pepercit haecce inexorabilis pe-
stilens.

HYPOTYPOSIS.

431. Quamvis variola ab illo inde tuentis vacci-
nae, per immortalem Jennerum vindicatae, tem-
pore eodem fere modo rarescat, quo hujus insitio
felicissimo successu per humaniores terrarum pla-
gas divulgatur; nihil tamen secius penitior mali
cognitio cuilibet medico artem facienti maximi-

momenti et perquam necessaria est, tanto quidem magis, quod variolarum hodieque sparsim occurrentium exempla, mali favillam nondum protinus extinctam esse, abunde testantur. Rectioris notionis causa variolae omnium primo regularem decursum tenentis descriptionem pandere, eoque praemisso communiores anomalias subnectere oportebit.

a) VARIOLARUM DECURSUS REGULARIS.

432. Variolarum decursus communiter in quatuor dispesci solet stadia: 1) Stadium febrile, seu ebullitionis. 2) Stad. eruptionis. 3) Stad. florescentiae, maturationis, seu suppurationis. 4) Stad. exsiccationis, s. desquamationis. Inserendo tertium inter et quartum criseos periodum, consueta febrium criticarum stadia sat clare distinguuntur.

433. Opportunitas. Illico ab infectionis momento generalia quaedam evolvuntur salutis laese symptomata, uti morositas, lassitudo, quietudo ($\beta\lambda\gamma\varsigma\rho\mu\sigma\varsigma$), somni desiderium, pavores nocturni, anorexia, sitis, — e quibus de morbo imminente, nullatenus vero de ejus specie divinare licet. Haecce intercapedo ab infectionis momento ad febris accessionem, periodus delitescentiae sive opportunitatis dicta, pro circumstantiarum diversitate variae durationis esse potest, quam Hufelandius duarum septimanarum, Heimius novem solum dierum practendit.

434. **S t a d i u m e b u l l i t i o n i s.** Invadit variola, febrium more, cum horripilationibus vagis, frigore, capitis dolore gravativo, anxietate, nausea, ipsoque vomitu. Apud infantes non raro sopor, dentium stridor, et convulsiones accedunt, morbo caeterum miti. Hisce phaenomenis cum fugaci calore alternantibus, ac a 12 ad 20 horas persistentibus aestus subsequitur universalis; turget facies; oculi rubescunt, fulgent, illachrymantur; inten ditur cephalaea, quam persaepe sanguinis stillicidium e naribus moderatur; numero et intensitate augmentur prima morbi praecludia; nunc pervigilium, nunc somnolentia, in tenellis nervorum distensiones, in adultis deliria interdum comparent; urget sitis et faucium ariditas, raucedine, vel etiam levi tussicula juncta; sternutatio repetita, nariumque oppilatio membranae pituitariae irritationem aperte indicant. — Halitus infantibus jam in hocce stadio foetet, ipseque sudor peculiarem, veluti mucidum saepe spirat odorem. Alvus in quamplurimis obstructa esse suevit; in quibusdam levia tormina; urinae a mictu turbidae, albescentes, jumentariae observantur; pulsus micant frequenter cum vigore et plenitudine. — Cuncta senescente die increbescunt, ad noctem integrum porrigitur, sublucanis tandem horis tantillum mitescunt. Hoc stadium febrile, sive incubationis triduum esse solet, quo absoluto eruptionis subintrat periodus. In paucis tantum aegris hae turbae, advertente Petro Frankio, sub largiori

et olente sudore feliciter sponuntur, ac variolosa febris sine variolis, hoc primo contenta stadio, in totum dispergitur.

435. *Stadium eruptionis.* Erumpente ad finem tertiae, vel initium quartae diei exanthemate, pleraque symptomata ad maximum evecta fastigium quidquam declinant. Comparent omnium primo ad faciem, ad labium superius et latera nasi, circa mentum, serius ad jugulum, pectus, abdomen, ad extremitates superiores, ac ultimo ad inferiores maculae parvae, rubicundae, plus minusve numerosae, discretae, vel hinc inde coagminatae, quae brevi medio tenus paulisper elevantur (papulae) nodulo duriusculo instructae, culicum morsibus haud plane dissimiles, ardore et pruritu stipatae. Molestant pari tempore symptomata anginosa, dysphagia, raucedo vel aphonya, ardor, tensio et salivatio, quae vel a phlogosi membranae mucosae oris et faucium eruptionem praecedente, vel a variolis subinde ad fauces, palatum, linguam, orisque parietes propululantibus dependent.

436. Totum eruptionis opus plerumque triduo absolvitur, quartum, quintum et sextum comprehendens morbi diem. Eadem proportione, qua exanthema per totum corporis ambitum, vel per potiores saltem superficie plagas successivo ac regulari passu prorumpit, febriles turbae pedetentim imminuuntur, donec eruptionis opere perfecto papulisque rite clatis, ac morbido latice repleri

incipientibus, carum veluti umbra tantum animad-
vertatur. Singulæ autem papulæ ad basim dilatatae,
et amoene rubentes prima jam, vel secunda
ab eruptione die pellucidam in apice ostendunt
vesiculam, seroso ac limpido, mox vero turbido,
flavo-albescente liquore repletam, in medio fo-
veola instructam. Haec papularum in vesiculos
conversio eruptionis ordinem sequitur, ac ideo
omnium primo in facie, quo loco primum prodierunt,
omnium ultimo in artuum extremis succedit.

— Quodsi major sit horum abscessorum numerus,
singulorumque halones inflammatorii inter se
confluant, intermedia iis cutis tenditur, intumes-
cit ac rubet. Palpebrae in multis oedematose tur-
gentes ac rubentes clauduntur, vel et conglutinan-
tur; vultus insigniter inflatur, unde physiognomia
variolantium propria, neque capillata capitatis
pars, neque bulbi oculi superficies anterior vario-
lis immunis manet. Vola manus et pedis planta
parcissimas offerunt pustulas, easque nonnisi mor-
bo graviori ac per totum corpus late diffuso, unde
a plebe pro tuto futurae immunitatis indicio ha-
beri solent.

437. *S t a d i u m m a t u r a t i o n i s.* Die morbi
septima eruptionis opus omnino terminatum est,
manifestaque subintrant in variolis suppurationis signa.
Utut solitaria quaedam tubercula in-
terdum primis jam diebus dissipentur, quin sui
vestigium relinquant, maximus tamen eorum nu-
merus in suppurationem vertitur nulla quidem

arte praecavendam, ac specificae morbi indoli insitam. — Incenditur febris ferme nova, suppuratoria, horroribus interdum orsa, cum aestu magno, siti, capitis dolore, anxietate, pulsu frequenti, duro, pleno; quandoque dyspnoea, sopores, deliria, jectigationes accedunt, non sine suffocationis vel apoplexiae periculo. — Vesiculae ab initio deplanatae, lentis aut ervi magnitudinem vix excedentes, sensim sensimque dilatantur, ad tolluntur, ac tandem in pisi dimidiati, cuti adfixi, formam et molem excrescunt, cum levi ad apicem impressione, seu foveola. Diaphanum, quo prius scatebant, serum in purulentum vertitur laticem, cuius prima guttula in vertice vesiculae, — nunc pustulae nomine protinus dignae, — generatur, pedetentim basin versus divulgatur, et in lactis spissitudinem abit, unde varius variolarum color, margaritaceus, cinerascens, demumque albo-flavescens. — Sub hocce suppurationis incessu singulae variolae, halone roseo-puniceo circumspectae, notabilem adhuc inflammationis gradum patefaciunt, cuius et reliqua cutis particeps fit, et tamquam ex erysipelate intumescit, tenditur, turget ac dolet, donec absoluta puris genesi, singulisque pustulis ad basin usque repletis et ex toto infarctis phlogoseos minuatur vigor, quo facto variolae rubella privantur zona, albescunt, vicinarum partium inflatio considet, ac ipsa comes febris manifeste frangitur in plenam aegri securitatem. In aethiopibus variolae multum detrahunt

nigritudini cutis, et subcinereo colore se per cutes extollunt.

438. Urinae nunc, et per reliquum fere morbi tempus turbidae sunt, aut et puriforme deponunt sedimentum; salivatio molesta non raro a variolis oris cavum occupantibus, nonnullorum tamen emolumento fovet, alvus infantibus laxatur, quod medicorum quidam e pustulis variolosis, per mucosam fistulae cibariae tunicam sparsis, explicare satagunt; transpiratio aegrorum ingratum, veluti mucidum et subdulcem spirat putorem, e cuius qualitate specifica jam a procul variolarum praesentia sat tuto indicari potest. Hac periodo maximum viget infectionis periculum. In pure generando et perficiendo variolae plerumque triduum consumunt, ita ut cum nono morbi, sive sexto a prima eruptione, die plenam floridamque subeant suppurationem, quae eundem sequitur ordinem, quem exanthema in successivo eruptionis operé observavit. Hinc variolae praecocius efflorescentes, uti illae faciei, jam perfecte suppurant, ubi in pedibus tardius cimicantes prima tantum puris indicia exhibent, et dum hae pure replentur, illae jam siccescere incipiunt.

439. Stadium exsiccationis. Circa nonam, decimam, vel undecimam morbi diem, pro vario istius impetu, variolae, et quidem omnium primo illae faciei, in apice obscurius offerunt punctum, quo loco epidermis dehiscit, ac lymphatico-purulenta exstillat materia, mox in cru-

stas ab attactu aëris convertenda. Sub hisce crustis, ad vicina interdum spatia protensis, haud raro nova colligitur materia, quae sub notabili pruritu crustosum tegmen, jam bruneo jam fusco colore notatum, sublevat, novamque escharam substituit. Arescentibus tali pacto variolis omnis dissipatur phlogoscos nota, atque vicinae cutis tumor pallescit et considerit; febris tamen suppuratoria sub hocce exsiccationis processu quandoque persistit, quin imo ingravescit, si subtus delituerit acris ichor, si crustae pertinaciter adhaerentes separari cunctantur, vel si incautiores aegri scabendi cupidine seducti cutim recenter irritant.

440. Ocyus seriusve tandem crustac secedunt, et in cute maculas atro-purpureas paululum elatas, pruriētes ac diu conspicuas, quandoque foveolas depressoas, vel cicatrices perennes relinquunt; febriles turbæ omnino componuntur sub alvi laxioris levante secessu, copiosaque ephidrosi; redit pristina animi hilaritas, reviviscit appetentia ciborum; restaurantur infractae vires, atque laeta morbum, feliciter et absque posthumo malo exantlatum, excipit convalescentia.

b) VARIOLARUM ANOMALIAE.

441. Non semper adeo regularis et propitius, prouti cum depinximus, variolarum esse solet decursus; persaepe enim ab ordine sueto discrepat, symptomata aliena immiscet, ac varias, easque haud raro funestissimas, contrahit anomalias,

quarum origini sequentes potissimum auscultant circumstantiae: 1) Ex parte subjecti prava conditio corporis; cacochymiae et diatheses morbosae diversae, uti vermes, scrofula, rhachitis; virium languor; dentitio; graviditas; aetas nimis tenera, vel admodum proiecta. — 2) Dominium epidemiac funestioris, vel infausta climatis et loci constitutio, hominum saluti insidias struens. — 3) Accidentales circumstantiae adversae, uti regimen incongruum, therapia prava, neglectus medelac, animi pathemata, calamitates publicae, acrumnae domesticae. — 4) Complicationes cum aliis morbis, febrilibus, cachecticis, nervosis. — 5) Fors et maleficum somitis contagiosi ingenium, quale v.g. sub prima morbi, ex Oriente advecti, invasione observare licuit:

442. Animadvertisimus praecipuas anomalias
 a) vel in charactere febris comitis; b)
 vel in exanthematis forma et decursu;
 c) vel in ambobus, quod creberrimum est.
 Qualesunque vero fuerint, mox in singulis tan-
 tum adparent stadiis; mox totum variolarum de-
 cursum contaminant, eumque nunc praecoci le-
 tho truncant, nunc ultra praefixos limites pro-
 trahunt.

a) ANOMALIAE RESPECTU CHARACTERIS
 FEBRILIS.

443. Variolae inflammatoriae. Omnis quidem febris variolosa simplex et benigna

e genere inflammatoriarum est, in specie vero febris catarrhoso-exanthematica, quod e symptomatum syndrome et pathogenia facile evincitur. Interdum tamen character inflammatorius ad altiorem, insolitamque evehitur potentiam, praesertim dum favent epidemia hyberna, subjecti temperamentum sanguineum, plethora, dentitio, graviditas, puerperium, ebriositas etc., quo in casu morbus non solum cunctas exhibit acrioris incendiū notas, sed etiam majori terret periculi metu, ac peculiares in medendo sibi exposcit cautiones. — Febris variolarum eruptionem praecedens et comitans, aestu insigni, orgasmo et turgore maximo, urinis flammeis, oculis micanibus, pulsibus plenis, duris, fortibus vel et suppressis stipatur; sanguis e sauciata fluens vena dyscrasiae phlogisticae notas offert, in variis visceribus congestiones aut verae inflammations emicant, unde variolam mox cum encephalitide, mox cum angina gravi vel peripneumonia sociatam cernere licebit. — Ipsum exanthe ma praecocius prorumpit, singulae variolae intenso suffunduntur rubore, gravius inflamman tur et dolent, et quamvis uberrime efflorescant, febrem tamen non sublevant; suppuratio aegrius succedit.

444. Variolae gastricae, seu gastricissordibus sociatae. Negari quidem nequit, variolas etiam regulariter incidentes, praesertim in exordio et exsicationis periodo, opitu-

Iante simul epidemia aestiva, gastrici systematis munera laesa offerre (1), unde aegroti statim ab ineunte morbo saporem oris pravum, nauseam, linguam sordescentem ac repetitos vomendi conatus produnt. Attamen levioris ejusmodi notulae gastricae praesentia anomaliam vix constituit, sed vel ab offensis plexibus nerveo-splanchnicis per contagii stimulum inimicum, vel ab impedita per copiosas pustulas et crustas diaphoresi ortum trahit. — Si vero graviora adparent signa bilis in primis viis redundantis, aliasve generis colluviei, primis jam morbi diebus animadversa, ac per totum morbi decursum persistenta, ita ut peculiarem sibi mereantur in medendo respectum, variolas anomalas declaramus, quas libenter confluere et foedas in cute cicatrices relinquere practicis observatum est. Praeter errores diaeteticos, ab aegro commissos, origini hujus anomiae aestas proiecta, eique propria constitutio gastrico-biliosa eminenter favet. Id genus consortii variolarum a magno Stollio (2) cerebro observatum, ac diligenter notatum invenimus.

(1) A. Th. Richteri, Therapia-specialis. Tom. II. p. 256.

(2) Max. Stollii, Ratio medendi. Tom. II. Cap. XII.

445. Variolae nervosae, sive nervoso charactere inquinatae, diversa mox in principio, mox in decursu patefaciunt phænomena systematis sensiferi, ac speciatim sensorii communis vehementer affecti, uti sunt: prostratio virium summa et improvisa, vertigi-

nes, coma, vel delirium, dolores acerbi capitis, dorsi et lumborum, meteorismus, tendinum subsultus, convulsiones. Ubi haecce symptomata feralia in morbi adparent exordio, neque suspicionem de vera debilitate movebunt, a statu congestionis in encephalo nervorumque irritatione potius derivanda; casus in infantibus sensilibus haud infrequens. Hujusmodi vero turbae sub morbi decursu subortae ad veram omnino debilitatem concludere sinunt, quam confirmare juvant pulsus exiles, debiles et molles, facies collapsa et pallida, decubitus neglectus, urinae stramineae, tremor universalis, animi deliquia, aliaque plura ad febrem nervosam referenda signa.

446. Sub hacce tristi rerum positione ipsa exanthematis eruptio et florescentia mirum in modum a consueto detorquetur tramite, acceleratur, retardatur. Variolae per totum corpus simul, aut in partibus extremis praecocius quam in facie efflorescunt, nec aequali numero divulgantur, sed in facie in primis conglomerantur et confluunt, in aliis locis desiderantur, vel vix erupiae evanescunt. Neque febris, neque aliae nervorum affectiones erumpentibus variolis immittuntur, sed potius denuo ingravescunt; ipsum vero exanthema peculiares contrahit anomalias. Singulae enim pustulae inflammatorio ambitu destitutae pallescunt, tamque exiguae interdum sunt, ut miliarium potius, quam variolarum referant specimen; alias e contrario plures vesiculae dilat-

tatae in amplas confluunt bullas, praesertim in vultu; puris loco serum limpidum, lympham densam, vel ichorem acrem generant (*variola e serosae, lymphaticae, ichorosae*); quandoque in varis vacuis omnis desideratur latex (*v. siliquosae*). — Ejusmodi pustulae praeterea ad apicem plerumque umbilici in modum latescunt et deprimuntur (*v. depressae, umbilicatae*); vel verrucarum more indurescunt (*v. verrucosae*). — Febris suppuratoria, quae cum primis puris initii incenditur, gravissima esse solet, supradictis symptomatibus status nervosi ac debilitatis nupta.

447. Illis, qui ominosum malum feliciter superant, variolae pedetentim ad exsiccationem perducuntur, crustae tamen pertinaciter adhaescunt, vigesima interdum die adhuc conspicuae, atque magnis separatae portionibus subjectam cutim ulceribus erosam patefaciunt, foedas cicatrices relinquenteribus. Infantes segniter convalescunt, pristinumque vigorem aegre recuperant, quo quidem sudores profusi, urinarum hypostaticarum et alvi diarrhoicae fluxus praecipuam contribuunt symbolam.

448. Prioribus vix non peiores sunt *variola e septicae*, quae praeter cunctas debilitatis notas simul manifestos liquationis putridae characteres offerunt. Aegroti jam ante variolarum eruptionem aestu intenso et mordaci detinentur, sitiunt ultra modum, summe inquieti jactitantur.

Ipsum vero exanthema cadem irregularitate prorumpit, ut in varietate praecedente, singuli variadparent complanati, in ambitu livescunt, fuscescunt, insolitam interdum adtingunt magnitudinem; puris benigni loco, ichore acri et cruento, vel sanguine atro replentur (v. sanguinace), imo putri halitu inflantur (v. emphysematosae). Plures pustulae confluentes, aut pustularum lacus vel scalpendo, vel sponte rumpuntur, effluensque sanies in tetras brunei aut nigri coloris crustas coalescit, sub quibus haud raro ulcera gangraenosa partes vicinas et subjectas exedentia nidulantur; quandoque interstitiis variolarum inseruntur maculae lividae, aut nigrae, petechiae dictae, vel vesiculae gangraenosae.

449. Interea acgroti sub virium summa prostratione vel delirant, vel adtoniti obstupescunt; aperto siccoque ore difficilem trahunt spiritum; tremula manu muscas aut floccos venantur; truncо ad pedes ruente, divaricatis decumbunt cruribus, ac intolerabilem omnibus, nisi tencrae et lacrymabundae matri, mephitem spargunt. Aestus corporis in dies intensius mordet, succorumque pansorum in septicum liquamen nitentium signa ulterius augentur; unde alvi profluvium, urinarum inscio aegro ac furtim secedentium factor insignis, sudores viscidii, haemorrhoeae funestae, praesertim epistaxes periculi plenac, facies hippocratica, pulsus inordinate micantes, debilissimi, vacui, vermiculares, mors tandem

ferme inevitabilis lugubrem claudit scenam. Qui morbi atrocis fatum effugere potuerant, aegri posthumis malis plurimum interimuntur, cachexiis, exulcerationibus viscerum, et tabe lenta.

450. Propter maximum, in quo aegri versantur, discrimen, facilemque luis per plurima individua diffusionem, variolas putridas non minus ac nervosas practici passim malignas nuncupare sueverunt, ad quarum originem eadem contribuunt injuriae, quae astheniam, et statum liquationis in febribus invitant, suo loco disquirendae.

β) ANOMALIAE RESPECTU EXANTHEMATICIS.

451. Potiores exanthematis variolosi irregularitates determinantur ab ipsis, quas febris comitis character pati solet, anomaliis, facili negotio ad varorum numerum et ubertatem, extensionem, formam, decursum, sedem et complicationes reducdae.

452. Numerus variolarum in decursu normali adeo inconstans est, ut determinata stabiliri nequeat regula. Libenter tamen anomalum hoc intuitu dicimus morbum, ubi paucae tantum in singulis partibus efflorescent pustulae, febre caeterum sat vehementi stipatae; vel si ex adverso ingens pustularum tribus per totum progerminat corporis ambitum, quo in casu vix unquam discretae manent, sed inter se confluunt (v. confluentes), vel agminatim colligun-

tur (v. corymbosae). Febrim denique variolosam absque exanthemate Cel. Viri, Burserius, Vogel, P. Frank, Hensler, Lentin, et alii defendant.

453. Habito respectu formæ sequentes occurunt variolarum varietates: variolæ serosæ sive crystallinae; lymphaticæ; ichorosæ; sanguineæ, haematodes, seu scorbuticae; emphysematosæ; siliquosæ; depressoæ; verrucosæ; variolæ parvae, ceu miliæ, et magnæ, seu bullosæ, quas jam superius adsignavimus. — Ratio eruptionis praecocioris, tumultuariae, inversæ, vel tardigradae, suppurationis nimis præceps, vel ultra modum lenta aliam constituit anomaliae speciem.

γ) COMPLICATIONES.

454. Innumera quidem esse possunt variolarum cum aliis morbis consortia; crebriora tamen sunt cum dentitione difficiili, vermibus, scrofulis, cum affectionibus rheumaticis et catarrhalibus, cum rhachitide et crusta lactea. Quae de complicatione variolarum contemporali cum morbillis, scarlatina, aliasve febris vere contagiosæ specie a nonnullis practicis notata inveniuntur, nobis prorsus dubia et ambigua videntur, tum quod pathologica obstet lex, qua sancitum est: duos processus contagiosos acutos una decurrere in eodem individuo non posse, tum quod omni fide

dignae observationes docuerint: morbillos non-nisi variolarum cursu absoluto obortos fuisse, quamvis infectio primis jam successerit diebus. Complicationes variolae cum morbis e contagio fixo, vel semicontagio oriundis (§. 191), uti cum syphilide, medorrhoa virulenta, tussi convulsiva, etc. experientiis quamplurimis confirmatae, nullo subjacent dubio. Haud infrequentes demum sunt copulae exanthematis variolosi cum miliaribus, pemphigo, strophulo, furunculis et petechiis,

SUBSTRATUM MORBI.

455. Principem variolarum sedem largitur totus ambitus cutis, ea solum differentia, quod partes quaedam, uti v. g. facies, pustulis variolosis libentius occupantur, aegrius vero aliae, uti vola manus et planta pedis. Phaenomeni ratio hucusque adsignari nequivit. — In determinando strato systematis dermatici, quod speciale variolarum substratum sisteret, discrepant auctores; etenim **Astruc**, **Cotunni** et **van Geuns** opinantur, locum, quem venenum variolosum in cute capiat, esse rete Malpighii mucosum; **Bichat** vero et **Cruikshank** felicioribus in cutem pustulatam injectionibus, cinnabrina massa institutis, ac tentata serius ejusdem portionis maceratione evicerunt exanthematis sedem in superficialium vasorum capillarium reticulo, quod corii substantiam et corpus Malpighii intercedit (1). — Quae C. L. Hoffmannus (2)

Autenriethius (5) de propriis glandulis subcutaneis, variolarum sedem praebentibus, praecipiunt, — quarum destructioni per morbum prior planct immunitatem adversus secundam infectionem tribuere voluit, — ab Hufelandio jam abunde explosa et refutata fuerunt.

- (1) Bichat, allgemeine Anatomie. Uebers. von Pfaff. II. Th. 2. Abtheil. S. 179.
- (2) Ch. L. Hoffmann, Abhandl. von den Pocken. Münster 1776.
- (3) Physiologie. 3. Th. §. 796.

456. Quod internam variolarum sedem adtinet a nonnullis medicis defensam, ab aliis acriter pernegatam et ab eximio Cotunno insigni diligentia et perspicacitate explosam, sequens proferimus judicium, unde simul patebit, qua ratione discrepantes Auctorum sententiae quodammodo conciliari possent. De variolis conjunctivae oculi, narium, oris, palati, faucium, tracheac, bronchiorum, partiumque obscoenarum nullum superest dubium, si observationes de Haenii, Svetenii, Starkii, Cotunni, Raimanni, ac proprias experientias conferimus, neque obstat exanthematis evolutioni membranarum mucosarum textura et organisatio illi dermatis omnino analoga. Imo directus earundem cum mundo externo et speciatim cum aëre atmosphaericō conflictus, cuius gratia strictius externae, et non internae superficies dici deberent, protopathicae infectioni plurimum auscultat. Ob

candem rationem ipsum tubum alimentarem pustulare posse nemo quidem inficias ibit, quum tamen phaenomaenon in praxi rarissimum sit, circumstantiae quaedam locales, fors in acreidine succorum ventriculo et intestinis collectorum, vel in defectu aëris atmosphaerici quaerendae, sese opponere videntur. — Omni vero fide carent adassertiones de variolarum sede in organis et superficiebus stricte internis, quemadmodum in musculis, nervis, hepate, pleura, cerebro; quibus omnibus jam ex parte organisationis deficiunt conditiones ad processum dermatitidis subeundum absolute necessariae, qui variolarum non minus ac omnis aliis exanthematis essentiam constituit. Quare ejusmodi variolas internas a Fernelio, Kerkringio et Meadio observatas potius hydatides, aut ulcuscula fuisse cum Cotunnio contendimus.

Schmiedel, de sede variolarum non in sola cute. Erl. 1758.
Cotunnii, de sedibus variolarum syntagma. Neapoli 1769.
Otto, Diss. de conciliandis medicis quoad variolas internas dissentientibus. Goett. 1777.

AETIOLOGIA ET NOSOGENIA.

457. Ad variolosam luem contrahendam peculiarem requiri dispositionem, nullis controversiis obnoxium est; etenim non omnes homines variolas nondum perpessi, si semet contagio exponunt, sine exceptione illo obruuntur, imo nonnulli plane saevienti undequaque pestilitati impunc rexituntur.

458. Variola nulli parcit aetati, nullique sexui, ac ideo perperam morbus habetur oeconomicae corporis infantilis proprius, qualis est rhachitis, crusta lactea, et angina membranacea. Licet negari nequeat, infantes p[re] caeteris in hanc febris contagiosae speciem insigni pollere proclivitate; non desunt tamen numerosa exempla de variolarum apud adultos, imo decrepitos senes preventu, quorum nonnulla apud Svietenium, Rosensteinum et Frankium notata inventiuntur. In fastis historiae memoratu dignae sunt variolae, quas Ludovicus XV. Gallorum Rex anno sexagesimo quarto subiit, postquam aetate quatuordecim annorum spurias variolas perpessus esset, nec non illae, quibus divam Imperatricem Mariam Theresiam provecta aetate affectam fuisse novimus.

459. Ast quid mirum, si neque fetus, in utero materno abditus, ab hacce funesta clade tutus vivit, quod quidem diversa docuerunt neonatorum pusulis variolosis obsessorum, vel cicatricibus inde productis signatorum exempla (1), quorum plura Celebris Burserius industrie collegit (2). In nonnullis casibus manifestae matrem paulo ante agitarunt variolae, ac de contagio per maternum organismum embryoni communicato nullum relinquent dubium. Id tamen singulare observatum suit, variolarum florescentiam in neonato vix unquam collimasse cum analogo variolae maternae stadio, sed semper tardius irruisse; unde ad op[er]i-

nionem, jam alibi ventillatam ducimur (§. 274), originem nempe variolae fetus non ex massa humorum praegnantis seminae, quos varioloso fomite inquinatos esse volunt, sed potius e secretione viri ad finem morbi contingente, atque e contagiosa atmosphaera per uteri superficiem mucosam manante, fetumque ambiente et inquinante repetendam esse. — Argumentum confirmare juvant exempla a Borrichio, Petro Pintore et Cottunio adlata de matribus, quae sub decursu variolarum optime florentium proles mundissimas, omni exanthematis vestigio immunes sunt enixaæ (3), quod nulla ratione contingere potuisse, si toti succorum moli inficiendi facultas inhaereret. — In aliis contra casibus fetuum variolantium, nulla variolae in organismo materno praegraessae vestigia habebantur; jure tamen meritoque suspicandum est, virulentum somitem a matre embryoni illatum fuisse, illam autem vel favente immunitate morbum non contraxisse, sed passivi tantum conductoris vices egisse, vel vero, aliorum medicorum juxta sententiam, morbum variolosum absque exanthemate foras conspicuo perpessam esse, quem tenero fructui clanculum communicavit.

(1) Jermyn, Diss. de variolis a graviditate fetui traditis.
Leid. 1792.

(2) Burserii, Institut. med. practicae. Vol. II. §.

(3) Cotunnii, de sedibus variolarum. §. 69.

460. In quonam consistat ea ad variolas propclivitas, prouti et singularis quorundam individuo-

rum immunitas, huicdum nemo potuit illustrare. E praxi dumtaxat innotuit, omnes illas circumstantias, quae suscipiendis contagiis generatim renituntur (§. 247), etiam variolarum genesi obstatere. Principem hoc intuitu efficaciam sibi vindicavit morbus ipse, qui semel modo eundem hominem invadere consuescit. Quamquam nullae controversiae obnoxia, omnique fide digna habentur exempla variolarum verarum bis in eodem homine observatarum, quorum viginti tantum ex omni hominum memoria collegit literatissimus Sprengelius (1); hicce tamen numerus adeo exiguus est, ut rarissimas nonnisi a regula exceptiones indicet. In reliquis casibus omnimode dubiis vel prior, vel secunda infectio ad variolas spurias aut mere topicas est referenda. Qui hancce immunitatem e despumatione sanguinis, variolarum germen jam a nativitate foventis (2), vel e destructis per morbum glandulis subcutaneis (3) explicare conabantur, meras protulerunt hypotheses jam dudum refutatas.

(1) Sprengel, Institut. pathologiae specialis. Vol. II. §. 540.

(2) Hunauld, Diss. sur la petite vérole. Paris 1747.

(3) Chr. L. Hoffmann, Abhandl. von den Pocken.

461. Quod pro catarrctica m adtinet variolarum causam, in diversas medici abiverunt sententias, utut contagiosum et pestiferum morbi ingenium, fatente Avicenna, ab omni aevo perspectum habuerint. Inde etiam tot adeoque discrepantes morbi theorias, quibus variolarum

genesim et naturam illustrare studuerunt, ortum duxisse nemo mirabitur.

462. Antiquissima theoria fuit illa Ahronis, qui causam morbi in sanguine et bile aestuante et inflammata reposuit. Postiores Arabes, praesertim Mesue senior, Rhazes, et Avicenna, qui distinctius et enucleatus de variolis scripsierunt, ab eadem opinione parum recedentes proprium statuebant sanguinis menstrui fermentum, ab embryone jam in utero matris conceptum, et ocyus seriusve per cutis glandulas ejiciendum. — Fernelius ac Sydenhamus in occultis aëris atmosphaerici qualitatibus morbi fontem quaesiverunt.

Freind, Historia medicinae, p. 306.

Sprengel, pragmat. Geschichte der Medicin. 2. Th.

Moor, the history of the small-pox.

463. Recentiori aevo non defuerunt viri, modis variis, satis tamen incongruis, primum variolosi fomitis exortum explicare studentes; declararunt quippe funiculi umbilicalis ligationem et rectionem nimis praecocem, antequam humorum ex infantis corpore ad placentam circuitus omnino peractus sit, primam variolarum scaturiginem, unde contagii variolosi proclivitas in corpus humanum derivanda esset. Quodsi vera foret singularis haccce hypothesis, jam ab Horstio proposita, ac nuper a Mesmero (1) recocta, tunc etiam omnis salus in partus auxilio obstetricio meliori quaeri deberet, quo scilicet variolae multo

tutius quam vaccinarum insitione praecaveri et prorsus extirpari possent. — Praeter quod ratione nullatenus consentaneum videtur, morborum contagiosorum germina fetui humano insita supponere, repugnat ipsa experientia. Caesar Marescotti, publicus quondam medicinae Rector in Academia Bononiensi retulit, funiculum umbilicale a nulla peritorum Obstetricum vinciri ac rescindi, quin omnis ex eo sanguis expressus esset, et tamen infantes variolis, ut antea, subjici. J. B. Frambaglia aliud evidentissimum habuit exemplum infantulae, quae, ut a partu omnis e funiculo umbilicali expressus fuerit sanguis, variolas contraxit, antequam vitae suae annum expleverit; ac infausto succubuit fato (2). Cur Sinenses, a quibus inventa et ad nos transmissa dicitur ista prophylactica methodus, non potuerant huc usque variolosam exterminare contagem? — Cur morbus non ab omni aevo, et in omni orbe existit, dum causa ita antiqua esset, ac genus humanum? — Quomodo vaccinae insitio, admissa suhtili hypothesi, variolosam lucem avertere posset?

(1) Mesmer, über den Ursprung und die wahre Natur der Pocken. — In Wolfart's Asclepion. Jahrgang 1812. September-Stück.

(2) Burserii, Instit. med. pract. T. II. Nota ad §. 160.

464. Illi prorsus auctores, quos inter ingeniosissimus Kieserius, nostro aevo satis conjecturali variolas naturae conamen salutare, sive

morbum ad corporis infantilis evolutionem et perfectionem necessarium habentes (1), evidenter falluntur non solum, verum etiam salutem generis humani ea ratione, qua omnem prophylaxin superfluam declarant, in periculum vocant.

(1) *Isis, von Ocken. Jahrg. 1818. St. 10.*

465. Inter hodierni aevi medicos nullus amplius dubitabit, unicam variolarum causam efficientem esse proprium ac specificum contagium, e tropicis regionibus, speciatim ex Aethiopia et Arabia nobis advectum, atque successivo passu per totum fere orbem disseminatum, quod cum aliis contagiis communem habet proprietatem, identicum in organismo humano concitandi processum morbosum, cuius ope regeneratur, ac infinitum multiplicatur, quo usque necessariae favent circumstantiae. Latent autem hujus aequae, ac reliquorum contagiorum intima natura, nec non conditiones, sub quibus primigena ejus origo in solo natali locum habere potuit. Variolam productum esse contagii leprosi, vel pestilentialis degenerati, uti quidam voluerunt (1), nullis argumentis firmatam sistit conjecturam. Fors majori eum probabilitate variolas, ceu varietatem *sycosis africanae* considerare liceret, qui morbus, Arabibus *Safathi*, Indigenis *Yaws* dictus, in Africa et speciatim in Aethiopia et Guinea endemicus, maximam cum variola legitima habet analogiam, etenim per eminentiam invadit infantes, decurrit cum febre et pustulis variolae simillimis,

nitur in vitia ossium, quandoque absque medicina sponte sanatur, et semel tantum idem plecit individuum. Quid de conjectata variolarum origine e *κριστοῖς* equorum Arabiae, quam de Carro (2) proposuit, sentiendum sit, alibi disquiremus.

(1) Gregor Turon, Lib. V. C. 31. 55. — Martini, Epistol. p. 343.

(2) De Carro, Histoire de la vaccination en Turquie etc. Vienne 1804. p. 55.

466. *Vehiculum princeps contagii est latex purulentus e pustulis sponte manans, vel consulto eductus, cuius ope artificialis variolarum insitio omni momento fieri potest, sive liquidus adhuc fuerit, sive in crustas coactus, dummodo subjecti non obstet immunitas.* Tanta autem est fomitis hujus activitas, ut etiam ultra physicos materiae limites extendatur, aërisque complexum circa aegrotos contagiosis effluviis contaminet, quod jam ipse specificus foetor in cubilibus, plures aegros recludentibus, testatur. — Reliquos humores animales contagiosa virtute carere ex Hunteri, Hoffmanni et Haygarthi experimentis didicimus.

467. *Pus in variolarum benignarum pustulis generatum, a Jacobo van Geuns (1) curiosius examinatum, est humor blandus albo-flavescens, saporis subdulcis, odoris peculiaris, nec verbis significandi; aqua bulliente, alcohole et acidis mineralibus mixtum coagulum format;*

succos plantarum coeruleos nulla ratione alterat; globulis iisdem abundat, qui alii etiam puri insunt. Hicce vero latex nequaquam ipsum contagium, sed modo ejus vehiculum est (§. 312); activum principium sensus fugit, nisi illud esse credas, quod nares ferit.

(1) Van Geuns, Diss. pathologica de morbo varioloso.
Ultraject. 1794.

468. Infectio variolosa triplici contingere potest modo: 1) Per contactum immediatum fomitis virulenti cum cute, vel membranis mucosis, praesertim si hae partes laesae, aut pellicula tenerima obiectae sunt; ergo per contrectationem aegrorum, per oscula, suctionem, ad cubitum, quapropter mulieres, quae pusiones variolis laborantes in brachiis gestant, vel ubera eis praebent, nunc variolosam contrahunt febrem, nunc vero, si morbum jam alias sunt perpessae, singulis saltim pustulis in brachiis vel mamillis infestantur. 2) Mediante contactu suppellectilium viro contaminatorum, vestium, strophiorum, poculorum, siphonum, etc. 3) Per atmosphaeram aegrorum pestifero ac specifice olente halitu pollutam, unde variolarum populariter grassantium diffusio optime explicatur.

469. Atrium infectionis in quovis superficie corporis cum mundo externo communicantis loco extare potest; creberrimum vero in membranis mucosis, vias aëreas investientibus, quaerendum esse existimamus, in quibus etiam

plurima symptomata morbosa, ipsaque pustulatio eminenter vigent. Ventriculi ope contagium variolosum non suscipi, evincunt observationes materiae virulentae impune deglutitae, cadaverumque extispicia, quae stomachum semper variolosis pustulis immunem fuisse docuerunt.

470. **C**ontagium variolosum id commune habet cum aliis contagiis perfectis, quod ad bruta non transit, nisi vi et artificio inseratur, inque hocce ipsissimo casu aegerrime communicatur, et nunquam morbum universalem, sed solitarias tantum pustulas generat, e quibus homini denuo insitis pristina variola humana non reproducitur amplius. Cicurari itaque videtur miasma hocce contagiosum transitu per organismos brutorum heterogeneos. Viborg variolas humanas duabus simiis, Gasner vaccis, alii canibus inseruerunt, ac pustulas oriri observarunt, quantumvis Woodvillius huncce transitum neget.

471. Variolae ab influxu diversarum circumstantiarum, praecipue ab epidemiae genio, climate, constitutione endemica, atmosphaera depravata, regimine incongruo, a complicationibus, etc. diversas patiuntur anomalias, summumque haud raro malignitatis gradum adtingunt; intima tamen contagii natura nullis obnoxia evadit vicissitudinibus, abunde enim evictum est, laticem virulentum e malignis variolis depromptum mitem prorsus ac

benignam aegritudinem produxisse, et viceversa. In hacce singulari miasmatis contagiosi dote ratio inveniri posset, naturae ac formae adeo constantis, quam morbus emni aevo, in omnibus climatibus immutatam conservavit. — Quod vero pus variolosum vetustate aliisque circumstantiis nondum satis cognitis (fors etiam continuata regeneratione, et transitu per bruta) obsolescere, ac in sua efficacia contagiosa infirmari possit, nulli subjacet dubio. Utrum inde variolae spuriae, vel pustulæ mere locales et apyreticae nascantur, inter medicos hodieque disceptatur. Virus variolosum ultra sex hebdomadas vim contagiosam haud quaquam servare, plures contendunt, quin tamen huicce opinioni protinus nos subscribere possimus. Aër purus, acida et alcalia virus cito destruunt, si vero influxus ipsi contrarii arcentur, longiori tempore delitescere, ac impro vive in morbum erumpere posse videtur.

TERMINATIONES.

472. Febris variolosa abit in salutem opitulantibus naturae viribus, quibus plus minusve decisivae efficiuntur crises per sudores largos, et urinas sedimentosas, dummodo nulla obstet anomalia. — Eadem ratione, qua febriles omnino dissipantur turbae, crustarum sequitur defluvium per plures continuos dies, donec levigata, vel foveolis et cicatricibus faedata cutis pristinum adtingat integratatis statum. Pauperes absque

ullo saepe saepius auxillio medico feliciter revalescere, experientia abunde confirmat, summamque medicatricis naturae in hoc malo debellando efficaciam esse testatur.

473. Dubia nobis videntur, quae de critico ptyalismi valore proferri solebant; hujus enim symptomatis in omni stadio comparentis, et subinde per totum decursum absque levamine persistentis originem potius a topico pustularum oris irritamento, vel ab inflammatione membranae mucosae derivamus. Crebra oculorum iliacrymatio, quae variolosam comitatur ophthalmiam, rem abunde dilucidat et corroborat.

474. In mortem dupli ratione terminantur variolae, directa nimirum et indirecta. Directa mors obtinet: 1) Ex parte characteris febrilis, praesertim nervosi et putridi; 2) In gratiam impeditae eruptionis, vel exanthematici, ut ajunt, retrocedentis; ergo mors ex infausto metaschematismo, quae tamen nonnisi in stadio eruptionis contingere potest, maturatae enim semel pustulae non amplius repelluntur. 3) Ob contemporalem nobilioris visceris phlogosin, cerebri inprimis, aut pulmonum. — 4) Per metastasis resorpti puris ad organa vitalia primi ordinis, quae ergo nonnisi ultimis stadiis variolae succedere poterit. — Indirecto modo letum pariunt postuma diversa.

475. Consuetiora consecaria, quae va-

riolas imperfecte solutas et anomalas excipere solent, originem suam repetunt vel a pustulis copiosis, malignis et confluentibus, quarum suppuratione nimis lauta et rodente adfectarum partium organisatio destruitur, vel vero e depositione funesta fomitis virulenti resorbt. In primo casu exteriores tantum partes adfici, interaneas in secundo, sponte liquet. — Praecipuam adtentio- nem merentur sequentia postuma fatalia, quorum nonnulla vitae insidiantur, alia corporis formam et venustatem solum deturpant, et chronicas infirmi- tates producunt: 1) Vitia oculorum partiumque ad- jacentium, ulcera corneae, leucomata, hypopyon, onyx, staphyloma, caecitas, fistula lacrymalis. — 2) Exulcerationes membranae Schneiderianae, ca- ries ossium nasi, ozaena, (graveolentia), vox nasali. — 3) Apostemata in aure penitiori, otorrhoea chronica, surditas. — 4) Cutis ulcera pervicacia (helcosis), cicatrices foedae, suturae, deformitates, ectropium, lagophthalmus. — 5) Caries ossium in extremitatibus, spina ventosa, arthroocace, an- chyloses. — 6) Phthisis pulmonalis, vel intestinalis.

PROGNOSIS.

476. Inter cuncta generis humani flagella, vix ullum aliud tantam ei intulit cladem, quam variolae, quibus olim ante insitionis artificialis per- vulgationem salutiferam inter Europacos quot- annis, si calculis Trallesii, Dimsdali et Ramazzinii fides habenda, quadringenta quin-

quaginta millia individuorum succubuerunt. Prouti autem morbus tenellis ab omni aevo maxime infestus fuit, ita etiam in eos summam exercuit tyrrannidem. — Laetamur hodiernis diebus, quibus tuta innotuit prophylaxis, santicam illam luem ita rarescere, ut in providioribus saltem Regnis sporadicis tantum ac plerumque benignos ejusdem casus videre liceat. — Potiora momenta, quibus praesagitio futuri eventus innititur, sunt: subjecti aegrotantis conditio, febris character, symptomata et decursus, atque exanthematicis ratio.

477. Quoad subjectum. Excepta tenerima aetate ac dentitionis periodo, infantes et pueri inter tertium et decimum annum, licet sensiliori fibra donati, variolas felicius pre adultis superare observantur, ipsaeque cicatrices relictae facilius delentur. Tempore evolutionum physiologicarum, pubertatis, catameniorum, graviditatis aut puerperii majora plerumque a variolis pericula sunt pertimescenda. Senes gravius plectuntur. Latentes denique in organismo diatheses morbosae, uti rhachitica, scrofulosa, verminosa, libenter anomalies pariunt.

478. Quoad febrem, ejus characterem, decursum et symptomata. — Quousque febris variolosa characterem inflammatorio-catarrhalem, aut inflammatorio-gastricum moderate evolutum, nullisque insolitis viscerum passionibus stipatum offert, illamque exhibet ima-

ginem, quam ei in regulari decursu competere diximus (433—441), eousque faustum pollicetur exitum. Quamprimum vero ordinarius febris variolosae character inflammatorius vel gastricus ad altiorem evehitur potentiam, vel plane in nervosum aut septicum vergit, insignia inducit rerum discrimina. Hinc malum omen portendunt omnia illa signa, quae ejusmodi funestas variolarum anomalias indicant, nec non circumstantiae earum origini faventes. Pessimi moris symptomata, quae mortem plerumque machinantur, sunt: prostratio virium improvisa, absque causa nota; delirium aut sopor; carphologia et crocidismus; petechiae; haemorrhagiae; diarrhoea effraenis; ardor in visceribus mordax cum siti clamosa. Convulsiones, quibus infantes eruptionis tempore adficiuntur, nisi graves fuerint et diutius persistant, salutis spem minime detrahunt; ast tanto magis periculosae evadunt sub protractiori morbi decursu. Peripneumoniae, aut encephalitidis societas non inferiora adducit pericula. Incessus morbi lentior minori terret metu, quam nimis acutus et praeceps.

479. *Quo ad exanthema.* — Quo regula-
rior fuerat exanthematis eruptio, cum febris alio-
rumque phaenomenorum decremento, quo mi-
nor pustularum numerus, quo amoenius hae flo-
rent, ab invicem distantes, margaritaceae, ro-
sea zona cinctae, elevatae, in vertice depresso,
determinato tempore maturationis fastigium ad-

tingentes, — eo felicior esse consuescit rerum adspectus. Si vero irregularis est eruptio, nimis praecox, tarda, inaequalis, imperfecta; si febiles motus nullam inde experiuntur remissionem; si pustulae maximo prorumpentes numero inter se confluunt, et conglomerantur; si suppurrari cunctantur, vel vix maturae collabuntur, ichorosum fundentes liquorem, qui ardentem febrem fovet; — tum tristis eventus timorem incutiunt. Pessimae sunt variolae sanguineae, gangraenosae, arescentes, emphysematosae, petechiis et vibicibus interstinctae.

480. Quo ad circumstantias laterales. Anni tempus, atmosphaerae constitutio, epidemiae ingenium, clima et complicationes variolae cum aliis morbis ad mitiorem vel infestiorum decursum plurimum contribuunt. Benignius incedunt hyeme; aestate libenter malignae evadunt ob facilem characteris biliosi, nervosi aut putridi societatem. In locis uliginosis, udis, palustribus, in nosocomiis et brephotrophiis angustis et male ventillatis pravam induunt indolem. Quae populariter grassantur et undique divulgantur, variolae, plerumque periculi plenae; neque melioris notae sunt, quae tussi convulsivae, morbillis, dysenteriac populariter debacchantibus, aliisve pestilentiis intercurrunt, et quae homines scorbuto, aut lue venerea confectos adgrediuntur. Animi passiones deprimentes, consternatio, terror, calamitates publicae, annonae charitas, tumultus bellici graviorem reddunt morbum.

THERAPIA.

481. Ratio variolis medendi eisdem innititur regulis therapeuticis, quas diversis jam locis inserere occasio fuit; agitur enim de febri contagioso-exanthematica, quae in decursu regulari characterem inflammatorio-catarrhosum, aut inflammatorio-gastricum sibi privum habet, ac ideo in primis methodo antiphlogistica, aperiente et leniter diaphoretica eget. Specialia tantum sub jungere juvabit praecepta, quibus ob morbi specificum ingenium, atque exanthematis particularem decurrenti modum satisfacere oportet, ut morbus feliciter devincatur.

482. Quum incerta propemodum sint signa, e quibus ante febris variolosae evolutionem praegressa divinari possit infectio, vix ulla durante opportunitatis periodo conceditur medella. Illa caeterum praesidia, quae in primis epocha divulgatae insitionis artificialis innotuerunt, et ad morbi violentiam infringendam laudata sunt, imo mature exhibita infantes a variolis tutare dicebantur, uti aqua picea, vesicatoria, calomel, aethiops mineralis, et famosae quondam pillulae Rosensteini (e mercurio dulci, camphora, aloë et gummi Guajaco compositae), de sua celebritate plurimum amiserunt.

483. Idonea cura primi variolarum stadii, quod febrile vocant, magni est momenti, ac ad regularem morbi decursum plurimum contribuit. Praeter usum medicamentorum refrigerantium,

emollientium, leniterque eccoproticorum, aëris temperies moderata, frigidiuscula potius quam calida, quindecim circiter thermometri Reaumuriani graduum, monente Hufelandio, ad prime convenit, quare aegrotantes interdiu a lecto arcendi, aerique libero committendi sunt, tutando tamen corpus a frigoris insueti et ventorum accessione. Ubi major vis morbi aegrotum extra lectum morari non permittit, levioribus saltem tegendum erit lodicibus. Ut blanda cieatur diaphoresis, infusa egelida florum verbasci vel sambuci cum roob baccarum hujusce fruticis, aut refractas doses radicis ipecacuanhae vel tartari stibiati suademus, quas illis tantum in casibus adaugere oportet, ubi clariores saburrae sursum turgentis notae emeseos necessitatem dictant. Alvum non morigeram optime solvunt clysteres laxantes, ac internus puluae tamarindorum, vel solutionis mannatae usus, quarum inefficaciores vires interdum salibus mitioribus acuere licebit.

484. Dum florescere occipiunt variolae, cum in modum procedendum erit, ne eruptionis opus praepediatur, vel tumultuarie promoveatur, sed ut debita ratione succedat. Quam ob rem sedulo vitare oportet omne id, quod exanthema in evolutione anomalum reddere valet. Nocebunt igitur alviductiones et phlebotomiae generosae, refrigerium, stimulantia, maxime vero sudorifera potentiora, quibus olim scopo alexipharmaco in summum aegrorum detrimentum usi sunt et me-

dici et profani, ea quidem fallaci spe delusi, ac si variolis uberius prorumpentibus omnis materies morbosa foras expelli, et tanto securius organis-
mi in futurum immunitas induci posset; novimus autem unicam pustulam, dummodo regulariter de-
currat febre stipata, recidivam aequa avertere ac uberrimam variolarum catervam. Juvat etiam in
hocce stadio usus remediorum refrigerantium, di-
luentium, leniter diapnoicorum, aërisque ambien-
tis frigidiuscula temperatio, quibus modesta va-
riolarum eruptio optime expeditur. Multum vero
interest, ut pauciores illis in locis efflorescant
pustulae, ubi major eorundem numerus nobilio-
rum organorum munera, vel venustatem duntaxat
periclitatur, quemadmodum in oculis et vultu.
Hufelandius et Hoffmannus hunc in finem
faciem et oculos aqua frigida saepius lavari et
collui suadent. Alii linteolo, cui camphora prius
interitur, faciei superposito variolarum eruptio-
nen minui perhibent. Primordia exanthematis in
oculis quandoque usu aquae saturninae valde di-
lutaे discutiuntur. — Si anginosa phaenomena,
vel intensior in oris parietibus ardor et salivatio
molestant, gargarismata et collutoria emollientia
cum lacte non erunt omittenda. Convulsiones,
coma, subsultus tendinum, deliria, aliave sympto-
mata nervosa, quae interdum in teneroribus in-
fantibus observantur, durante hacce periodo erup-
tionis, praesertim retardatae, diaphoreticis lenio-
ribus, sambucinis, camphorac dosibus parvis, si-

napismis aut vesicantibus, exanthematis explicationem promoventibus, plerumque placantur, nisi malignum fuerit morbi ingenium.

485. Quatenus variolis ad suppurationem vergentibus recens incenditur febris, facilisque succedit resorptio puris, in urinis haud raro advertendi, major quoque in hocce stadio requiritur medici cura. Febrem suppuratoriam temperamus potibus refrigerantibus, praesertim acidulis, qui sanguinis irritati circuitum sedant, simulque nisui in liquationem obstant. Usui remediorum solventium, maxime nitri et mercurialium meliores practici omni jure se opponunt. Ad venacsectionem tunc solum recurrendum esset, ubi insignis orgasmus, vel congestio gravior in capite aut pulmonibus adparet. Scopo puris resorptionem impidente vel minuente suadent pustulas acu aut lanceola perpungere, ac effluentem materiem spongia, lacte tepido et aqua madefacta abstergere. Hancce tamen medendi methodum, — quam plures ex eo non approbant, quod pustulis irritatis febrim augeri, suppurationem ab accessu aëris atmosphaericci depravari, ac deformes in cute cicatrices succrescere credunt, — ad solos casus pustularum valde turgentium, dehiscere cunctantium, vel ichoroso et rodente latice refertarum limitandam esse censemus. — Ne absorptum pus damna paret, ejus exitui per urinas potius faveendum, quod potibus leniter diureticis, aquis selteranis, sero lactis, decocto graminis, aliisve hu-

jus generis medicamentis efficere molimur. — Alvus quidem blande solvenda, nunquam vero catharticis fortioribus eluenda. Opium, quod non nulli ad irritationem ulcusculorum permulcendam suaserunt, remedium sistit anceps, ac saepe damnosum, nisi alvus nimis fusa, peculiaris erethismus, aliave symptomata nervosa ejus deposcant usum. Oculorum ardorem et ariditatem lacte tepido caute instillato lenimus, cujus ope pariter conglutinatas solvere oportet palpebras, ut functae arceantur a nobilissimo organo corrosiones a pure retento pertimescnda.

486. In stadio exsiccationis morbi curram eadem ratione prosequimur, promovendo ante omnia potiorum emuncitorum munera, donec omni febris ac suppurationis indicio evanescente, vicina immineat morbi solutio. Dum variolae siccescere et crustis obtegi incipiunt, gravis plerumque evolvitur pruritus, ita ut aegroti cutim et maxime faciem scalpendi cupidinem vix domare possint. Impedire autem oportet scalptum ammonitionibus blandis, aut, si hae irritae fuerint in infantibus, manuum ligatione, ne recenti pustularum irritamento febris augeatur ac foedae cicatrices provocentur. Plumae permulsio lenis ingratum pruritum plerumque mitigare solet. Crustas duriores, cuti fortiter adhaerentes, lacte ejusve cremore illinimus, vel emolliente quadam decoctione foveamus, ut separatio sollicitetur; pinguibus tamen non fidimus. In coronidem curae Sydenhami

et Rosensteinii consilia sequendo, purgantium usus omnimode prodest, quo metastases haud raro praecavere licet; moderatus tamen sit, oportet, ne vires infrangantur, aliave ratione munus viarum digerentium offendatur.

487. Regimen diaeteticum naturae morbi adcommodatum cum indicationibus therapeutis in eundem collimare debet scopum. Prae aliis autem atmosphaerae puritati, ventilationi, linteorum munditiei, atque victui in principio tenui, serius analeptico et nutrienti studeatur, quibus convalescentia optata tutissime adducitur. Crustis maximam partem deciduis balneum confert, ut cutis functio denuo in pristinum restituatur.

CURA VARIOLAE ANOMALAE.

488. Pro diversitate characteris febrilis, quem variolae in decursu contrahunt, atque morborum, quorum societatem ineunt, diversa esse debet curatio, unde tot speciales nascuntur medendi rationes, quot existunt variolarum anomalarum et complicatarum species.

489. Variolae inflammatoriae, ex supradictis signis facile dignoscendae, simpliciori adparatui antiphlogistico vix unquam cedunt, sed constanter venaesectionibus egent, quibus non solum virium exorbitantia et phlogoseos universalis vel localis impetus infringitur, sed ipsa pustularum eruptio facilior redditur, earumque ubertas coercetur. Quae prima morbi aetate, in altiorem

inflammationis gradum magis prona, negliguntur sanguinis emissiones, serius nullo suppleri possunt remedio, ac totius characteris nervosi importune evoluti terminaturae culpam habent. — Locales congestiones in encephalo, oculis, vel faucibus, topicalam per hirudines praestandam depletionem postulant.

490. Vix in ullo alio morbo exanthematico, quam in variolis, sordes tam facile succrescunt, praesertim si errores diaetetici, aut aestivae epidemiae genius faverit. Principem in hujusmodi variolarum gastricarum casu indicationem in prompta saburrae eductione consistere, cuivis elucebit; quem in finem nunc emeticis, nunc purgantibus opus erit remediis. Solutio tartari stibiati, quae alvum simul laxat, hic praeferri meretur, atque toto morbi decursu haec ipsa cum aqua diluta, vel mixtura salina cum granulo tartari emetici, aut serum lactis tamarindatum cum fructu propinatur. Cessante phaenomenorum gastricorum adparatu, ab evacuantibus desistendum erit, praeprimis dum suppatoria evolvitur febris, adeo libenter in liquationem, viriumque languorum nitens. — Specifica saburrae indoles, biliosa aut pituitosa, et contemporalis hepatis vel tunicarum fistulae cibariae labes particularem in medendo exigit circumspectionem.

491. Variolae nervosae et putridae, passim malignae dictae, stimulantibus, cardiacis, et antisepticis omnis generis erunt tractandae,

quorum qualitatem et dosin determinabit debilitatis, status nervosi, atque liquefactionis imminentis, vel jam evolutae gradus. — Excellunt inter remedia diffusibilia camphora, moschus, liquor cornu cervi, succinas ammoniae; valcriana, serpentaria, cinamommum; inter antiseptica cortex peruvianus, et acida mineralia aromatibus nupta, vel alcohole dulcificata. In eundem analapseos generalis scopum conspirant nutrientia, jura carnium concentrata, vinum generosum. Rubefacientia et vesicantia languidas vires pariter erigunt, obruta systematis nervosi centra liberant, exanthematis explicationem cohibitam expediunt, ideoque in maligna variolarum specie prosunt, dummodo septicus character nondum sit evolutus. — A balneis et narcoticis cavendum esse hortamur. — Quaenam vero specialiores regulae in medendo observari debeant, e fusori febris nervosae et putridae tractatu clarius patebit.

492. Exanthematis anomaliae particularem in cura respectum vix merentur, pendent enim unice a characteris febrilis gradu et diversitate, scilicet a virium vitalium ipsiusque vegetationis animalis conditione varia, quam si aptis remediis corrigere et moderari licuerit, ipsa pustularum eruptio et florescentia irregularis sua ferme sponte ad suetum reducitur tramitem. Neque operae pretium est, singulas addictare curae modificationes, quas variolae diversissimarum a fere infinitarum complicationum causa sibi expos-

cunt, cum quis medicus eos dirigere sciatur juxta comitis morbi varium ingenium.

493. Inter post huma variolarum consuetissimum esse solet caries ossium et arthrocaze, ceu effectus infaustae metastaseos. Quousque malum in exordio versatur, inflammatorio articulorum tumore distinguendum, fatalem exulcerationis exitum quandoque ampio vesicante, purgantibus et mercurii usu praeverttere licet. Si autem his ad irritum datis abscessus formatur, istius maturationem cataplasmatibus accelerare, et collectum laticem quantocytus chirurgica manu evacuare oportebit. Pedisequam ossium teredinem usu interno acidi phosphorici, gummi assae foetidae, extracti aconiti cum camphora, decocti corticis mezerei dissipare adnitimus; rarissime tamen votis respondent effectus, sed vel coalescunt articuli anchylosi insanabili, vel febris lenta et macies vires aegri pedetentim exhaustit. Cicatrices foedae a variolis relictae nullam admittunt medelam. Ophthalmiae variolosae consectaria secundum praecepta artis oculariae tractanda.

PROPHYLAXIS.

494. Cum variolae adeo maleficum salutis humanae jam in tenerima infantia sistant hostem, qui singulis non solum individuis exitium paret, sed etiam integras provincias, epidemicum inducendo dominium, depopuletur, armisque persaepe efficacissimis devinci nequeat; merito a superiori-

bus inde temporibus cogitatum fuit, ut tetrae ilius cladis evolutio ayertatur, diffusio coérceatur.

495. Qui variolarum ortum e funis umbilicalis circumligatione post partum praematura derivarunt, emissione sanguinis omnis, quem ipse funiculus continet, morbum praecaveri posse crediderunt. Paradoxam tamen hancce opinionem jam alibi redarguimus. — Non minus iucsta sunt, quae de prophylacticis mercurii, aquae piceae, et vesicatoriorum viribus somniabant varii.

496. Principalia quidem praesidia, quibus variolarum progressus refraenari possent, dum vulgariter minantur, essent cuncta illa, quibus generatim contagiorum cuiusvis generis diffusioni obviam ire solemus, suo loco adsignata (§. 387). Perspectis vero difficultatibus in hominum commercio protinus intercipiendo, maxime dum agitur de lue tenellorum per omnes fere hujus globi terraquei plagas disseminata, atque collectis observationibus, quibus innotuit morbum variolosum arte productum mitius decurrere, futuramque infectionem pariter arcere, in artificiali variolarum insitione tutum praesidium exstare quamplurimi medici spem habuerunt.

497. Ars variolas humanas inserendi, jam a pluribus retro seculis Chiae, Indiae et Georgiac populis nota, versus finem seculi XVII a Thessalonicensi femina Constantinopolin translata, et summo cum successu in Graecorum, Armeniorum et Christianorum Byzantii degentium prolibus

exercitata fuit. Inde coniux Anglici ad Aulam turcicam tunc temporis Legati, Worthley Montague insitionem in proprio filio institui curavit per Chirurgum suum Henricum Maitland, qui cum nobili illa et in fastis medicinae celebri matrona in Angliam redux Anno 1721 primus ibidem insitionis praxin introduxit. Postquam repetitis ac felici semper eventu coronatis periculis, nec non intercedente Magnae Britanniae Regis Gregorii I. patrocinio superata fuissent populi praejudicia, variolarum inoculatio plures invenit sectatores, qui eam per Galliam, Germaniam, Italię, Daniam, Sueciam, ipsamque Americam divulgarunt. — Sub hacce vero novae medicinae diffusione non minor exstitit obtrectatorum numerus, quos inter Cel. De Haen principem occupavit locum, apertum insitionis damnum defendere studens, donec argumentis in utramque partem rite discussis in eo convenerint eximii viri De la Condamine, Tissot, Dimsdale, Tralles, Hensler, Hufeland, aliique plures: insitionem variolae humanae artificialem neque omne morbi seminium extirpare posse, neque adeo securam sistere prophylaxin, ut prorsus innocua haberetur, multo tamen minori periculo stipari variolas insititas, quam naturales, ac ideo illarum casum praeferendum esse, ubi maligna caput extollit epidemia.

498. Methodus virus variolosum lanceolae ope exceptum sub epidermidem brachii insinuandi ar-

risit practicis p^rae illa Sinensium, qui comminutas crustas variolarum aut gossypium virulento latice imbutum naribus immittere solebant. Absoluto primi nychthemeri curriculo, locus insitionis cutem aliquantulum rugosam et flavo-bruneam exhibebat; die quarto rubedo et pruritus, die quinto pustula solitaria (*variola matrix*) vel congeries vesicularum in conspectum veniebant. Die tandem septimo consueta ingruebant invasionis febrilis indicia, quibus reliqua variolae simplicis ac benignae symptomata succedebant, consuetum excurrentia cyclum. Quidquid insitionis variolarum historiam et fata, nec non varias, quibus perfici solebat, methodos adtinet, sueta sua exactitudine, ac profunda doctrina exposuit *Sprengelius* (1).

(1) *Pragmat. Geschichte der Medicin.* 5. Th. §. 152 et seq.

499. Interea, dum ultimo saeculi mox elapsi decennio plures medici de salute publica solliciti maximam curae praeservativa^e attentionem dicarent, in primis vero *Faust* (1), *Junker* (2), *Hufeland* (3) et *Haygarth* (4) amplissima proponerent praeepta salutaria, ut infanda illa lues radicitus e solo humano evelleretur, — universalem proponentes insitionis introductionem, rigorosam aegrorum a sanis separationem, ac propriorum Xenodochiorum (*Impfhäuser*), quibus durante morbo insitio recludendi essent, erectionem, — felici casu innotuit pustularum vaccinarum variolas humanas avertendi potestas.

(1) *Faust*, über die Pflicht der Menschen, jeden Blatternkranken abzusondern etc. Leipzig. 1794.

- (2) **Junker**, gemeinnützige Vorschläge wider die Pocken-noth. Halle 1796.
- (2) **Hufeland**, über die wesentlichen Vorzüge der Inoculation. Leipz. 1792.
- (4) **Háygarth**, a sketch of a plan to exterminate the causal small-pox. Lond. 1795.

500. Quamvis novum e vaccarum uberibus de-
promptum antidotum, variola utpote vaccina,
etiam tutoria dicta, suos in principio habuerit
adversarios, brevi tamen insignes ejus praerogati-
vae evidentissimis comprobatae fuerunt experimen-
tis, ita ut hodierno aevo insitio hujus variolae
vaccinae pro insonti simulque tutissima prophylaxi
agnoscatur, quam tanto libentius arripuerunt prac-
tici, quod et acerrimi insitionis variolarum huma-
narum defensores negare non potuerunt, vario-
lam humanum insititiam quandoque periculo junc-
tam, imo letalem fuisse, venustatem corporis de-
turpasse, ac totalem contagii extirpationem nul-
latenus praestare potuisse. Argumenti tamen sura-
ma dignitas proprium sibi caput dicari jubet.

2. VARIOLAE SPURIAE.

Hatté, la vérolette, ou la petite vérole volante. Paris 1759.
Muhrbeck, Diss. de variolis spurii. Goetting. 1794.

Seguy, Annotations sur le diagnostic et les noms de la véro-
lette. 1803.

Heim, über Diagnostik der falschen Pocken. — In Horn's
Archiv für pract. Medicin, Jahrg. 1809. 9. B. 2. H.

Batemann, pract. Darstellung der Hautkrankheit. S. 311.

Montesanto, Considerazioni medico-pratiche sul vajuolo
spurio o ravaglione. Padova 1816.

Berard et Delavît, Essai sur les anomalies de la variole,
et de la varicelle. Montpellier 1818.

501. Exanthema variolis veris simile non solum, sed omnino germanum, contagiosum, in exordio febrile, pustulosum aut vesiculare, quod ab illis tamen irregulari eruptione et decursu, majori benignitate, ast minori corpus immune redendi, futuramque recidivam arcendi efficacia distinguitur, nomine Variola e spuria e, Pseudovariolae, Varicellae insigniri solet, cui synonyma sunt Pemphigus variolodes Petri Frankii, Aeolion Plouquetii, et Eruption Hydrosyntropicodica Seguyi. Italis vocatur Ravaglione, Morbiglione, Vajuolo selvatico; Germanis falsche Pocken, Hühnerpocken; Gallis la petite vérole volante, la vérolette; Anglis the Chicken-pox, or Swin-pox.

ANTIQUITATES.

502. Qui summam variolas veras inter et spuriar, paulo inferius exponendam, ac tantam adfinitatem, ut ejusdem stirpis privignae esse videantur, curatius expendit, primam quoque originem harum illis coaevam esse debuisse libenter concludet. Et revera jam Arrasi, seculo IX vivens in egregio suo tractatu (Cap. V.) de variolis languidis et debilibus loquitur, plus quam semel invadentibus, quibus strenuum illum observatorem ad varicellas alusisse vero quam simillimum est.

503. Primas vero noticias exactiores hujus ex-

anthematis dederunt **Vidus Vidius** (1) Florentinus (A. 1542), atque **Ingrassias** (2) Siculus (A. 1553), ambo celebres in medicinae ephemeridibus Viri, describendo **Cry stallos**, sive vesiculas aquae plenas, instar crystalli splendentes, quas vulgo nominant *ravaglione*. — Ad finem seculi XVI **Henricus Petraeus** (3) ejusdem morbi mentionem injecit, cui a nonnullis medicis plane nomen **variolae petraea** e inditum fuit, majori vero jure illud **variolae Vidiana**e competiisset, doctissimo **Montesanto** adprime monente. — Ab eo tempore per Galliam, Germaniam atque Italiam cebrius observata fuit variola spuria, diversasque a vulgo recepit denominations, testantibus **Sennerto** (1650), **Riverrio** (1650), **Diemberbroeckio** (1640), **Zwingero** (1712) et **Fullero** (1730) (4). — **Sydenham** variolosam describens Anni 1661 epidemiam inquit: „neque tamen eximuntur (a variolis) illi, quos adulterinum variolarum genus aliquod, ad hunc morbum nihil attinentium, prius obsederit” (5). — Anno 1767 clarissimus **Heberden** sueto suo acumine diagnostica signa, quibus variolae spuriae a veris discrepant exposuit (6), ejusque exemplum senioris aevi medici insignes sunt secuti, quos inter **R. A. Vogelium** (7), **Muhrbeckium** (8), **Willanium** (9) et **Heimium** (10) notare honoris causa oportet.

(1) **Vidi Vidii**, Ars universae medicinae. 1596. Part. II.
Lib. XIII. Cap. 6. De variolis et morbillis.

- (2) In grassis, de tumoribus praeternaturali. Neapoli 1555. Lib. I. Cap. I.
- (3) J. F. Low, Tractatus novissimus de variolis et morbillis. Norimb. 1699. Cap. III. p. 25.
- (4) Batemann, Op. cit. p. 312.
- (5) Sydenhami Opera medica. Tom. I. Sect. III. Cap. 2.
- (6) Heberden, in Med. Transact. of the Colleg. of Phys. Vol. I. Art. XVII. p. 427.
- (7) R. A. Vogel, praelect. de cognosc. et cur. praecipuis corporis humani affectibus. p. 94.
- (8) Muhrbeck, Diss. cit.
- (9) Willan, Abhandlung über die Kuhpocken-Impfung. A. d. Engl. mit einer Zugabe von Mühr y. Gött. 1808. Abtheil. VII.
- (10) Op. cit.

HYPOTYPOSIS.

504. Praevia febricula catarrhalis satis levi, nisi haec omnino deficiat, exanthema jam altero die erumpere solet sub forma macularum exilium, rubicundarum, quae cito increscunt ac in pustulas vel vesiculas, latice puriformi aut lymphatico refertas, vertuntur. Ast deficit constans ille in eruptione et successiva florescentia ordo, quem variolae legitimae, in facie omnium primo efflorescenti proprium esse indicavimus; etenim intra nycthemerum plerumque omnis absolvitur eruptio, omnisque dissipatur febris. Ipsae autem pustulae dorsum et membra per eminentiam occupant; nunquam confluunt, sed separatim florent; ducentas numero vix excedunt, quarum non plures quam duodecim in facie comparent teste Heberdenio. — Quatriduo maturationis culmen adtin-

gunt ac siccescere incipiunt, totusque morbus hebdomadae spatio terminatur; vel ex adverso longius in materia colligenda consumunt tempus, ac adeo lentum, monente Heimio, tenent decursum, ut ultra decimum quartum diem excurrant. — Interdum plane accidit, ut in fine morbi, cum, quae primae prodierunt, varicellae jam exsiccantur, nova prorumpant tubercula, decursum rursus facientia, peractoque hoc recentiora iterum prodeant; ita ut morbus ad aliquot hebdomadas, nulla febre stipatus, producatur. — Quatenus varicellae vix unquam febrem suppuratoriam concitant, etiamsi sat copiosae fuerint, apyreticos aegros extra lectum morari sinunt.

505. Rarioribus tantum in casibus graviora occurunt symptomata, uti: febris intensa, faciei inflatio, nausea, vomitus, convulsiones aut levia deliria in exordio; major pustularum ad basin intensius inflammatarum ubertas, quae oculos, fauces, cavi oris parietes et genitalia infestant, aegre suppurant, ac interdum in ulcera abeunt (Heim.).

506. Quod vero exanthematis formam adtinet, tres a practicis, praeeunte jam Svi-
etenio et Vogelio, notantur variolarum spuriorum varietates: 1) Varicellae aquosae, cry-
stallinae Vogelii; V. lenticulares Villanii;
Wasser- oder Windpocken; Anglis speciatim Chiken-pox; noduli parvi, rubicundi,
inflammati, ovales in vesiculos abeunt, latice
lymphatico pellucido refertas, quae partim corru-

gantur, partim dehiscunt circa sextam diem, crustas formant bruneas, decima die deciduas, nullasque relinquunt cicatrices. — 2) Varicellae suillae et ovillae variorum Auctorum, V. globatae Willanii, Schweins- oder Schafpocken, Anglis Swin-pox, or Hives; pustulae variolis veris haud raro ampliores, hemisphaericæ, rubello halone circumscriptæ, liquorem ab initio diaphanum, serius flavidum ac turbulentum continentæ, quæ tertio die collabuntur, exsiccantur, ac in crustas nigricantes abeunt, post quinque dies deciduas, foveolas haud raro relinquentes. — 3) Varicellae acuminatae, verrucosæ Auctorum, V. conoïdes Willanii, Spitz- oder Steinpocken, prominent colliculorum exiguorum instar, verrucarum ferme adipiscuntur duritiem, primo die lympham transparentem, secundo humorem coloris straminei re-colligunt, inflammatorio circulo circumscriptæ; corrugantur tandem die tertio, gummosa teguntur crusta, quæ in dies magis obdurescens post septimanam secedit, ac permanentes relinquunt cicatrices. — Quandoque trinas hasce pustularum formas invicem commisceri, in eodem corpore simul efflorescere, vel unam alteri sensim succedere observatum est (Muhrbeck).

507. Ut diagnosis varicellæ variolis veris adeo similes, et cum iis facilime commutandæ, nec non utriusque morbi ultima differentia tanto clarius patescat, ad sequentia signa præ-

cipuam adattentionem transferre oportet, quorum plura exactiori studio acutissimi observatoris Heimii innotuerunt: 1) Variolae spuriae specificum, et a veris diversum spargere dicuntur odorem, verbis tamen vix significandum. 2) Per integrum corporis ambitum, vel saltem in remotissimis locis statim ab initio propullulant, ita ut eruptio omnis vel intra nychthemeri spatium absolvatur, vel per plures dies solitariae pustulae huc illuc efflorescunt, ubi contra variolae verae intra tri-
duum regulare et gradarium suum absolvunt eruptionis opus. — 3) Variolae spuriae magis pruriunt, ac intensius ad peripheriam rubent, quam verae. — 4) Febris suppuratoria, etiamsi pustulae multa scanteant materie, nunquam evolvitur. — 5) Facies in variolis spuriis potissimum sub mali principio inflatur, et considerat eruptione finita; in variolis veris contrarium obtinet. — 6) Variolae spuriae veris moliores, sine ulla elasticitate tactui renituntur; figuram saepe ovalem ac in angulum acutum desinentem offerunt; sponte vix unquam dehiscent, et per punctae laticem aegre tantum lente-que dimittunt; carent foveola in vertice; maculas relinquunt minus pertinaces, ac citius evanescentes, quam in veris variolis observari solet. — 7) Cicatrices, quas varicella interdum relinquit, peculiarem habere dicuntur informationem, ita ut e solo earum habitu jam ad praegressam variolam spuriam aut verani concludere liceat. — 8) Variolae spuriae bis et pluries in eodem homine recur-

runt, etsi veras aut vaccinas jamjam subiverit; praeterea defectu potestatis verarum casum prae-
cavendi ab istis distinguuntur.

508. Adjungamus modo potiora cicatricum signa, quae in variolis spuriis et veris a Cel. Heimio indicantur: **Cicatrices variolarum spuriarum** sunt candidae, levigatae; de-
stituuntur duricie, impressionibus et stigmatibus; in partibus pilosis vix unquam transmittunt pilos; margines habent rotundatos, cuti concolores, et medio tenus sensim deprimuntur; quoad figuram sunt subrotundae, ovales, rarissime irregulares; numero paucae observantur, raro plures quam vi-
ginti, in facie praesertim, circa nasum vel in fronte. **Cicatrices variolarum verarum** ex ad-
verso sunt superficie et figurae inaequalis, corti-
ticum citri more corrugatae, cum cute concolores,
stigmatibus nunquam destitutae; pilorum regene-
rationi non obstant, margines offerunt plus minusve
crenatos, a cutis colore non abludentes, eandemque
formam, licet fortius distrahantur, retinent, nec
levigari possunt; angulos saepe summe irregula-
res, veluti sutrae, circumscribunt; numero in-
signi faciem et manus foedant.

Richteri, Therap. special. Tom. II.

509. Peculiarem illam variolarum modificatio-
nem, quam in Anglia Willan, Monro, Moo-
re, Thomson, in Germania Mühry, Kort-
tum, Kausch, Gittermann, Oelze, et
Raimann (1), in Belgio Hodenpyle, Thues-

sink et Hoppe post vaccinae incompletum decursum subortam observarunt, ac ideo variolam vaccinam modificatam, seu variolam vaccinica nuncuparunt, nil nisi varicellae varietatem esse opinamur, sequentibus innixi argumentis. Decursus morbi, ut ipsimet referunt observatores, ordinario mitis est ac periculi expers, et rarioribus tantum in casibus graviora parit incommoda, illis prorsus analoga, quibus varicellas nonnunquam stipari diximus (§. 505); pustulae modo quidem sat regulari prorumpunt, praesertim in facie, numero tamen sunt paucae; formam acquirunt mox globosam, mox varicellis verrucosis, sive conoideis prorsus aequalem, imperfecte suppurant absque ullis febris suppuratoriae indicis, citissime exsiccantur, crustarum duriuscularum loco tenacibus teguntur squamis, maculas relinquunt, aut foveolas planas, brevi evanescentes; nec metastases nec alia postuma moluntur. Omni igitur respectu variola per vaccinam modificata nonnullorum auctorum eundem decursum, eademque symptomata offert, quae varicellis competit. Neque sententiam nostram infirmat Gittermanni casus, quo variolae illius vaccinicae contagium veras produxisse variolas innotuit (2), quum et ipsa varicella toties in variolas legitimas degeneret, et viceversa. Plura hujus varietatis specimina in individuis, quae vaccinae (et quidem ut videbatur legitimae) decursum jam ante plures annos subiverunt, obser-

vare et pertractare nobis licuit in Nosocomio Ticinensi autumno anni mox elapsi 1823, et quidem eodem tempore, quo alia subjecta (artificialis insitionis et praegressae variolae indicis carentia) veris variolis laborarunt. Hacce occasione, praeter decursum et phaenomena supra notata, sat vehementem primis diebus urgere vidimus anginam faucium.

(1) Raimann, Handbuch der speciellen Therapie. 2. Aufl.
2. Th. S. 115.

(2) H u f e l a n d's Journal der Medizin. J. 1821. St. 4. S. 68.

CAUSA ET NOSOGENIA.

510. Omnes unanimi consensu medici declarant, unicam varicellae causam contagiosum fomitem esse, cuius vehiculum praebet latex lymphaticus, aut puriformis, quem pustulae recondunt. An vero a contagio varioloso discrepet, vel ejus modificationem tantum sistat, et quaenam ad ejus originem contribuant circumstantiae, haud satis patet factum est.

511. Nobis plus quam probabile videtur, variolas spurias verarum progeniem hybrida esse, quod quidem sequentia evincere poterunt argumenta: 1) Variola spuria veris summe analogum refert morbum; febrem utpote inflammatorio - catarrhalem in exordio, cui exantheme succedit pustulosum, in crustas et cicatrices abiens; ita ut peritis etiam in arte viris haud raro ambiguum maneat consilium. 2) Si va-

riolae verae epidemicum acquirunt dominium, etiam spurias plerumque una observare licet, quae vel priorum agmen ducunt, vel serius intercurrunt. — 3) Variolae verae per infectionem spontaneam aequa ac artificialem insitionem in spurias abeunt, si pus aqua dilutum, vel vetustate exoletum fuerit, quod experientiae Razousii⁽¹⁾, Jacobi d'Apples⁽²⁾, Freierii⁽³⁾, Elsneri⁽⁴⁾ et Heimii⁽⁵⁾ docuerunt. — 4) Actas utriusque morbi aequalis est, uti ex citato Arrasis monumento elucet. — 5) Inconstans variolarum spuriarum forma et decurrenti ratio, ita ut mox a veris fere distingui nequeant, mox evidentissime discrepent, dubium sane movet de contagio varicelloso definito et sui generis, sed potius de diversis viri variolosi vicissitudinibus suspicari sinit. — 6) Possibilitatem denique hybridae contagiorum progeniei, ac degenerationis morborum inde pendentium confirmant: variolae vaccinae verae et spuriae, scarlatina et rubeola, syphilis et Scarlievo, lepra orientalis ejusque species in Europae quibusdam regionibus endemicae. Neque de contrario convincere nos potuerant dubia ab acutissimo Stieglitzio⁽⁶⁾ promota.

(1) Tables nosologiques, dressées à l'hôtel de Nîmes. Bâle 1764.

(2) Aet. helvet. T. VII. 9.

(3) Niedt, Praeside Reil, Diss. monstrans variolarum spuriarum ex verarum pure ortum. Hallae 1792.

(4) Ein paar Worte über die Inoculation, S. 50.

(5) Heim, Oper. cit. p. 234.

(6) In Horn's Archiv für pract. Medicin. B. VIII. Heft 2. S. 230. — Vide Richteri Therap. special. T. II. p. 507.

512. Ast multo magis lubricum argumentum sisteret indago circumstantiarum, quae transitui, sive degenerationi variolarum verarum in spurias opitulantur. Non negamus quidem, virus variolosum diutius servatum, vetustum et praesertim aëris influxui expositum prorsus effectum, vel saltem adeo iners redi, ut veras variolas concitandi facultatem amittat, sufficiat vero ad spurias producendas; quam sententiam Bondiūs, Muhrbeckiūs, Müllerus et alii tuentur. Fortassis tamen minor in phaenomeno adeo singulari concipiendo difficultas invenietur, si animum ad individualem aegrotantium dispositionem vertamus, quae tantam defendit in morbis, ex eadem caeterum causa ortis, permutandis et modificandis potestatem.

513. Quin igitur materiam variolosam in sua miscela, elementorum proportione viriumque informatione alteratam supponamus, variolas spurias oriri posse concipimus, si illa in subjecta alludit, quibus veram variolam contrahendi proclivitas deficit. — Experientiis duntaxat compertum habemus, eodem tempore, quo nonnulla subjecta immunitatis jure destituta veras subiverunt variolas, alia ex adverso cum illis conviventia, quae morbum jamjam sunt perpessa, vel insitam habuerunt vaccinam, recenti infectioni quidem protinus resistere non potuisse, sed varicellam tantum contraxisse, quum in eorum organismo defecerint conditiones ad perfectam variolae legitimae formam producendam. Tali ratione explicari

quodam modo posset: cur variola spuria bis et pluries eundem invadat hominem, ac facilius in eadem familia divulgetur; cur pustula vaccina completum variolae verae processum arceat, levioris autem, imperfectae ac ferme hybridae infectionis explicationem impedire haud valeat, — cur grassante epidemia variolae verae quandoque in spurias defatiscant, quin causa pateat, vel e converso haec in illam excandescat; — cur demum anterioribus saeculis lues variolosa adhuc nova multo majorem ferociae gradum habuerit, et rariores fuerint varicellae casus, cujus frequentia ea fere proportione crescit, qua rarescit variola vera ob dispositionem hominum vaccinae insitione, indies magis universali reddita, notabiliter infractam. — Crebriori tandem morborum contagiosorum reproductione, eorumque replicato per plurima individua transitu ipsius formitis contagiosi vim pedetentim elanguescere, variolae non solum, sed etiam aliorum contagiorum ingenium hodierno aevo multo mitius abunde demonstrat.

C U R A.

514. Agitur de aegritudine levi et benigna, quae nullum discrimin machinatur; neque in metastases, aliave postuma nititur, hinc etiam remedia leniora e classe refrigerantium, diaphoreticorum, et eccoproticorum plerumque sufficiunt ad salutem in pristinum restituendam. Si quae-dam inconsueta intercurrent symptomata, eadem

medicum regere debebunt praecepta, quae in priori addictavimus capite.

3) VARIOLA TUTORIA.

Edward Jenner, an inquiry into the causes and effects of the Variolae vaccinae, known by the name of the Cow-pox. London 1798. A. d. Engl. übers. von Ballhorn. Hannover 1799.

Edward Jenner, a continuation of facts and observations relative to the Variolae vaccinac. London 1800.

George Pearson, an inquiry concerning the history of the Cow-pox principally with a view to supersede and extinguish the Small-pox. Lond. 1798. A. d. Engl. von Küttinger. Nürnb. 1800.

Aubert, Rapport sur la Vaccine, ou réponse au questions redigées par les Commissaires de l'Ecole de Médecine de Paris sur la pratique et les resultats de cette nouvelle inoculation. Paris. An IX.

Ballhorn und Ströhmeier, Deutschlands erste Versuche mit der Inoculation der Kuhpocken zu Hannover. Leipz. 1801.

De Carro, Observations et expériences sur l'inoculation de la vaccine. Vienne 1801. Aus dem Französ. von Jos. Portenschlag. Wien 1801.

Bremer, von den Kuhpocken. Berlin 1804.

Rob. Willan, über die Kuhpocken - Impfung. A. d. Englisch. übers. mit einer Zugabe, welche historisch-kritische Bemerkungen, und die neuesten Verhandlungen über die Vaccination in England enthält. Von G. Fr. Mühry. Mit 2 Kupfert. Gött. 1808.

Ueberlacher, de vaccina antivariolosa epitome. Vindobon. 1807.

Schweikard, Beyträge zur Literatur über die Kuhpocken und ihre Impfung vom Jahre 1795 — 1807. Carlsruhe 1809.

L. Sacco, Trattato di vaccinazione con osservazioni sul gialvaro e vajuolo pecorino. Milano 1809. A. d. Ital. von W. Sprengel. Leipz. 1812.

Krauss, die Schutzpocken-Impfung in ihrer endlichen Ent-

scheidung als Angelegenheit des Staates, der Familien und des Einzelnen. Nürnb. 1820.

515. Nomine **variolae tutricis** (Schutz-pocke) intelligimus exanthema pustulosum sui generis, acutum, typicum, determinatae formae, quod homini insitionis ope consulto communicatur, ut dispositionem ad suscipiendum virus variolae tollat. — Quamvis hicce morbus, qui antivariolosum largitur virus in sua origine brutis tantum quibusdam proprius sit, equis, ovibus et speciatim vaccis, unde etiam **variola vaccina** (Kuh-pocke, Cow - pox) passim nuncupatur: ob summum tamen, quod generi humano intulit beneficium, et continuo inferre pergit, dummodo recte dirigatur, maximam omnino sibi vindicat attentionem, ac proprium sibi in Therapia speciali mereatur locum.

ITER ET FATA.

516. Non solum in Anglia septentrionali et praeprimis in Comitatu Gloucestershire, cuius incolae rem pecuariam summi momenti faciunt, sed etiam in Holsatia (1) a pluribus jam decenniis observatum fuit, vaccarum ubera pustulis obsideri, quae tangendo vel mungendo villicis communicaiae hos a variolis humanis tutos reddunt. — Anno 1768 insignes chirurgi Sutton et Fewster, vulgaris opinionis veritatem confirmare cupientes, prima insitionis variolarum humanarum pericula in illis instituebant individuis, quae vaccinam fortuito sunt perpessa, quin tamen morbum variolo-

sum producere potuissent (2). Circa annum 1781 Anglus Nash plures de pustula vaccina collegit observationes, atque Anno 1791 in Holsatia prima tentamina insitionis cum virus vaccino facta fuere (3), oblivioni subinde tradita. Easdem de tutrice pustula cognitiones in operibus Josephi Adams (4) et Woodwillii (5) invenire licet, atque Beddoës jam anno 1794 singularem vaccinae praeservatricis observationem Chirurgo Rulf communicavit (6).

(1) Allgemeine Unterhaltungen. Götting. 1796. S. 306.

(2) Sacco, Op. cit. p. 32.

(3) Schleswig-Holsteinische Provinzial-Berichte des Jahres 1815. S. 77.

(4) Adams, Observations on morbid poison, phagadaena and cancer etc. Lond. 1795.

(5) W. Woodville, The History of the Inoculation of the Small-pox in Great-Britain. Lond. 1796.

(6) Samml. auserles. Abhandl. für pract. Aerzte. B. 17. Leipzig 1797.

517. **Eduardo Jenner** laus et honos debetur; primus enim hancce detectionem arripuit, severiori examini subjicit, ac in utilem finem excoluit. Victis quamplurimis difficultatibus ac praejudiciis, quibuscum collectandum habuit, atque praemissis pluribus tentaminibus privatis, jam ab Anno 1776 institutis, et Anno 1788 peculiaris medicorum societatis scrutinio submissis, die tandem 14. Maji 1796 decretorum fecit periculum, virus e pustulis, quas ancilla lactaria Sarah Nelmes mulgendo in manibus contraxit, brachio pueri Phipps optimo cum successu inserendo, inde

enim extra dubitationis aleam posuit: variolam vaccinam fortuito susceptam homini ulterius communicari posse, atque repetito etiam per plures homines transitu virtutem antivariolosam illibatam conservare. Hasce suas observationes corroboratas, ac nulla unquam oblivione delendas Anno 1798 publici juris fecit. Quamvis nonnulla Woodwillii et Pearsonii experimenta, ob neglectas cautelas ad irritum facta, fidem novae detectionis infringere minitatae sint, veritatem denuo vindicavit Jennerus, cujus gratia non solum insigne sibi promeruit triginta millium aureorum praemium, sed etiam Instituti vaccinationis, mense Januario 1803 sub tutela magnae Britanniae Regis erecti, suumque nomen ferentis, directionem sibi benigne concessam.

518. Tanta mox prophylactici hujus remedii celebritas increbuit, ut non solum per totam Angliam praecipui medici uti Loy, Aikin, Thornton, Leetson, J. Cooper insitionem vaccinae felicissimo eventu repeterent, verum etiam trans mare in Germaniam introducta fuerit utilisima praxis, omnium primo (A. 1799) in Austriaco Imperio per Cel. De Carro (qui filum materia vaccina imbutum a medico Pearson accepit) et Hannoverae per Ballhornium et Strohmeyerum promota. — Inoculatio variolae vaccinae celerrimo passu per plerasque Europae terras divulgata fuit, testantibus ephemeridibus inchoantis saeculi XIX, quo quidem Aubert in Gallia,

Heim et Hufeland in Borussia, Odier in Helvetia, Sacco in Italia, Aaskow in Dania, Huhn et Halliday in Russia plurimum contulerunt. Neque in remotissimis hujus orbis partibus ignotum mansit beneficium inventum.

519. Jam Anno 1800 meritissimus De Carro materiam virulentam variolae tutoriae primus Constantinopolin transmisit, unde curis generosi viri M. Elgini Anglorum in eadem Aula Legati, atque medici Scott per Turciam et Graciam brevi divulgabatur. Dum vaccinae insitionis propagatio insignia in Byzantina metropoli cepit incrementa, ejus fama in Orientem usque penetrauit; Haxford Jones, Legatus Britannicus in Aula Baschae Bagdadensis, vaccinae materiam a praeclaro De Carro enixe petiit, eaque Anno 1802 accepta tutricem variolam per Indiam orientalem vulgari curavit, unde mox per plerasque Asiae terras, per Bengaliam, Ceyloniam, Persiam, disseminatam fuisse constat. — In Americam septentrionalem prima vaccinae materia ab ipso Jennero transmissa est. — Tali igitur pacto salutiferum illud variolosae luis antidotum paucorum annorum intervallo per totum ferme orbem distributum fuisse patet. Id solum notatu dignissimum est, medicum De Carro materiam pro Oriente destinatam ex vaccina pustula infantis extraxisse, in quo insitionem ope viri, ex indigenis Longobardiae vaccis desumpti, ac a Clar. Sacco Viennam transmissi, tentavit. Quemadmodum igitur Anglia

Occidenti prophylacticam suppeditavit pustulam, ita Orienti Longobardia salutiferum vaccinae fontem largita est.

Günther, Geschichte der Vaccine und ihrer Impfung.
Kölln 1802.

De Carro, Histoire de la Vaccination en Turquie, en Grèce, et aux Indes orientales. Vienne 1804.

Machold, Diss. sistens iter et fata vaccinae. Viennae 1816.

Moore, the history and practice of vaccination. Lond. 1817.

520. Non defuerunt tamen acres censores et obtrectatores, qui variolarum vaccinarum inoculationis praestantiam irridere, redarguere, et in dubium vocare sunt conati, uti Rowley, Squirel, Moseley, Herz, Penada et alii. Quotquot autem opposuerunt argumenta, haec ab aliis auctoribus facile refutata fuere, ita ut nostro aevo nemo medicorum amplius contra insitionis excellentiam dubia moveat. Legi inter alia meretur accuratissimum judicium Facultatis Medicae Vindobonensis Anno 1811 contra objectiones Medici Gölis emissum (1). Audiamus tamen potiores pro vaccinae insitione et contra eandem propositas rationes (2), quibus ad trutinam revocatis veritas tanto clarius patebit.

(1) Medicinische Jahrb. des k. k. österr. Staates. 1. B. 3. St. S. 81.

(2) Richter, Therap. special, T. II. p. 309. — J. Frank, Praecepta Praxeos Medicæ universæ. P. I. Vol. II. p. 305.

521. I. Virus variolæ vaccinae corpori humano illatum quandoque pustulas malignas et spurias, inflammationem bracchii insignem, ulcera cacoë-

thica aliasque graves adfectiones producit, quibus hominis salus periclitari, vel pars affecta saltetem mutilari potest. — Haecce malignitas et anomalia rarissime occurrit, ac ferme semper a medici inscitia in opere facto, in puris vel subjecti delectu, aut a circumstantiarum sinistrarum cursu accidentaliter dependet.

522. II. Variolae vaccinac evolutioni rhachitidis, scrofulae et chronicarum impetiginum originem praebent, et majorem in organismo infantili ad illa mala proclivitatem inducunt. — Nullis adhuc experientiis et calculis evictum est, ab illo inde introductae vaccinationis tempore numerum et proportionem infantum rhachiticorum et scrofulosorum increvisse; multo autem minus probatum habetur, ea mala propter insitionem variolae vaccinae orta fuisse, licet post istam comparuerint. Imo nulli subjacet dubio, plurimos infantes valetudinarios post vaccinam perpessam prosperima fructus esse salute, atque promptius cepisse corporis incrementum (1).

(1) Husson, Recherches historiques et médicales sur la vaccine. Paris 1801. — Bremer, Oper. cit.

523. III. Plures casus variolae verae post vaccinarum insitionem evolutae, de quibus Wendelstadt, Willan, Mühry, Stieglitz et alii fidem faciunt, incertam praxin esse declarant. — Adducti tamen casus duplex relinquunt dubium: a) Quod insita vaccina non fuerit genuina sed spuria, quae omnino variolarum humanarum casui

avertendo non est idonea. b) Quod secutus morbus, vera variola habitus, nil nisi varicella fuerit, quam quidem suspicionem peritissimi Viri, Moore, Thomson, Thuessink, Kausch, Heim, Hufeland et De Carro confirmatam habuerunt. Sunt insuper hi casus adeo rari, ut vix mentionem mereantur; constat enim ex exemplis ad calculum vocatis, inter 250000 hominum variolas vaccinas perpessorum 50 circiter veris succubuisse variolis humanis, atque ex his 10 tantummodo fidem quandam merentur.

524. IV. Variola vera morbum sistit corpori humano a natura insitum et informatum, quem radicitus ex illo evelli rerum naturae contrarium, imo et ferme impossibile foret; etenim formam suam quidem exuere et permutare potest, aliam tamen induit, et per illam non minores generi humano insidias struit. Ex hocce jam fonte febris scarlatinae, anginae membranaceae, hydroencephali acuti, aliorumque morborum infantilium ubertas, et quam nostris temporibus adsumpserunt, malignitas derivat. — Quam ineptum vero sit hoc ratiocinium ab omni veritatis principio et experientiae fundamento alienum, quivis partium studio immunis medicus ac strenuus observator facile convincitur.

525. V. Insitionem variolae vaccine tandem ex eo fugiendam esse et exterminandam, quod somite e brutis deprompto natura humana prorsus deleri ac brutescere debet, — indignum et ex artis praeceptis eliminandum sistit sophisma.

M. Herz, über die Brutal-Impfung und deren Vergleich mit der humanen. Berlin 1801.

526. Si nunc hisce argumentorum, in medium prolatorum, confutationibus addimus, pustulam vaccinam homini apte insertam tam modestum, tamque facilem morbum movere, ut nulla prorsus egeat cura, in tenerrimis etiam infantibus absque ullo discrimine decurrere, nullum certum extare hominis vaccina perempti, vel posthumo quodam malo multati exemplum, imo fortuita coitione vaccinae cum variola vera hujus decursum mihiorem redi, ipsam vero insitionem cum generali Principum et Medicorum applausu, ac eventu adeo felici pervulgatam fuisse, ut lues variolosa nostris temporibus jam inter rarissima referri debeat phaenomena, — tum etiam tutricem vaccinam ab omni suspicione et opprobrio vindicatam esse, nemo inficias ibit.

HYPOTYPOSIS.

a) VARIOLAE VACCINAE PRIMIGENAE.

527. Quae tutorium laticem largiuntur, pustulae in vaccarum uberibus existunt, morbum tamen plerumque insontem praebent. Praevia per paucos dies inappetentia, pabuli fastidio, ac minori lactis secretionē erumpunt circa mamillas, rarius in palpebris aliquot pustulae rotundae, regulares, ad verticem depressae, areola rosea circumscriptae, quae post quadratum, juxta alios intra hebdomadae spatium perfectam adtingunt

maturacionem, parique tempore phaenomenorum, adversam valetudinem indicantium, remissionem efficiunt. Hae pustulae offerunt colorem argenteum vel margaritaceum, rubore aut livedine circumcirca limitantur, ac lympha limpida scatent, pedetentim spissescente, lactisque consistentiam contrahente. Ubera lacte turgent, indurescunt, neque sine dolore contrectari vel mulgeri possunt. A die duodecima ad decimam quartam pustulae sensim fuscescunt, crusta obducuntur solida, qua delapsa cicatrices relinquunt rotundas, nisi inter mulgendum inflammentur, ac in ulcera profunda degenerent. Talis est decursus variolae vaccinae genuinae, quae per multum quandoque super plurima ejusdem gregis individua diffunditur.

528. Ab illis distinguantur, oportet variolae vaccinae spuriae, quae pariter in vaccarum uberibus exsurgunt, humano autem corpori insitae humanas praecavere nequeunt. Consistunt in pustulis exiguis, albidis, aut flavis, quandoque nigrescentibus, post triduum jam maturis, medio tenus haud depresso, conoideis, diluto rubore et minus manifesto cinctis, in parvas crustas abeuntibus. Eruptionis ac florescentiae incessus valde irregularis est; nonnullae enim efflorescunt, dum aliae siccescere incipiunt. Ideo lentior esse solet decursus, eadem tamen contagiose diffusionis facilitas. Ipsa vaccarum aegritudo comes nullius fere momenti est. Potiores, quas

a veterinariis notatas invenimus, varietates variolae vaccinae spuriae sunt: *v. succineae*, *nigrae*, *coeruleae*, *bullosae*, *albae*, *rubrae et verrucosae*.

Viborg's Sammlung für Thierärzte und Oekonomen. 4. B.
S. 376.

Sacco, Oper. cit. Cap. III. — Richteri, Therap. spec.
T. II. p. 313.

b) VARIOLAE VACCINAE HOMINI INSITAE.

a) VACCINA VERA.

529. Pustulae vaccinae genuinae, a spuriis probe distinguendae, homini ex industria, vel fortuito casu communicatae sequens esse solet curriculum. Versus finem tertii ab infectione diei, vel crebrius quarto incipiente tuberculum emicat minimi aciculae capitis aut seminis milii magnitudine, rotundum, rubrum, regulare, marginibus elevatis, quandoque leviter pruriens. Die quinto crescit papula et in vesiculam transparentem elevatur, quae die sexto et septimo pedetentim inturgescit, lympham concipit linpidam, diaphanam, ad apicem foveolae ad modum deprimitur, circumcirca veluti valva obvallatur ac fortius prurit. Die octava suam perfectionem adipiscitur variola, e pluribus cellulis invicem communicantibus composita; latice lymphatico magis infarcta foveolam amittit, complanatur; figuram et magnitudinem pisi dimidiati, atque colorem margaritae assumit; ad basin tantillum tumidam et duriusculam halone roseo, sen-

sim ampliato , sub tactu dolente et calente circumscribitur. Emicant hoc tempore nonnulla symptomata, quae generalem indicant perturbationem; infantes enim nugas et ludos tergiversantur, suetam amittunt hilaritatem, pallent, quietem prae-diligunt, e somno expavescunt, sitiunt, versus vesperas fugacem in facie manuumque volis ardorem ac levem pulsuum velocitatem praebent; haud infrequenter glandulae, quae sub axillis sunt, tumescunt et sub tactu dolent. Rarissimis tantum in casibus graviores incenduntur turbae febriles, tussi sicca, vomitu , diarrhoea , aut sudoribus stipatae. Talis rerum status plerumque nychthemeri, vel ad summum bidui spatio dissipatur.

530. A die nona ad undecimam usque pustula perbelle viget; duas tresve lineas lata, lenticularis, super cute lineam fere eminens, liquore ab initio diaphano et viscoso, serius turbido, albo - flavicante, opaco, ac vere purulento referta, rubore coccineo et circinatim ad unciorum trium latitudinem excurrente circumscripta, cum aliqua subjectae telae cellularis duritie. Hacce periodo, vaccinae ἀκμὴ constitente, in cuius principio latex pustulis reconditus maximam inficiendi potestatem adtingit, Cel. Osian der et Kühn singularem illum, quem verae variolae spargunt foetorem, in conclavi et halitu infantis percepisse testantur.

531. Cum die duodecima pustula accres-

eere incipit ac in vertice obscurum contrahit punetum ; spissescens lympha puriformis in crustam exiguam et tenuem condensatur, quae diebus proximis a centro versus ambitum dilatatur, totamque variolam obtagit. Pari tempore pallescit rubor, et omissime plerumque decrescit tumor et irritatio partium contiguarum. Crustae ab initio laeves sunt, coloris fusci veluti lignum Svieteniae Mahagoni, rotundae, quandoque tamen asperae, nigricantes, durae et quasi corneae observantur; cuti subjectae pertinaciter adhaerent, neque sine cruenta hujus laesione et ulceris metu separari possunt. Vinculis tandem sensim solutis sponte separantur circa octavam ab exsiccationis principio diem, foveolam sive cicatricem relinquentes planam, circularem, quae microscopio examinata plura foraminula exhibet, veluti cellularum pustulam prius componentium vestigia forent.

532. In hocce regulari variolae vaccinae genuinae decursu cuncta discerni possunt stadia, quae universim contagiosis et substantivis exanthematibus propria esse consuescunt, quippe: 1) Stadium delitescentiae, sive incubationis, ab insitionis momento usque ad completam diem tertiam. 2) Stad. eruptionis a quarta ad octavam. 3) Stad. florescentiae ab octava ad duodecimam; et 4) Stad. exsiccationis a duodecimo ad decimam quintam duraturum.

533. Possunt tamen sub incessu variolac vac-

cinae deflexiones quaedam et vicissitudines occurtere, quin genuina ejus indoles ac humanas variolas praecavendi facultas aliquod potiatur detrimentum, quarum sequentes, ceu patiores adnotari merentur: — 1) **Eruptio retardata**, ita ut, quas ad irritum insitas habuimus, post sextum, octavum, decimumve diem efflorescant, et non raro simul cum aliis serius insitis decurrant. — 2) **Segnior pustularum maturatio**, quae praecipue in infantibus phlegmaticis ac tempore hyemali observatur. — 3) **Vel contra variolae ocissimus decursus**, ut die tertio jam pustulam efformet, die quinto exsiccati incipiat, omnemque cyclum die septimo vel octavo absolvat, quam anomaliam observavit Sacco in hominibus robustis et sanguine plenis, vel qui variolas humanas jam perpessi, harum recursum pertimescentes sibi vaccinam inseri studuerunt. — 4) **Eruptio secundaria plurium pustularum veluti satellitum**, in ambitu variolae insitae sive matricis (*Nebenpocken*), vel etiam in facie aliisque corporis partibus (*eruptio generalis*, *Nachpocken*), efflorescant nimirum decursu vaccinae primitiae rite absoluto, ergo circa diem decimam quartam papulae exiguae, rubicundae, variolis veris simillimae, quarum nonnullae abortiunt ac in tubercula violacea et prominentia abeunt, post aliquot dies, vel et serius evanitura, aliae vero ordinarium pustulæ vaccinae decursum absolvunt, ac lympham concipiunt puri-

formem, quae veras reddere solet variolas vacinas, dum aliis inseritur individuis, quin tamen has simile excipiat exanthema serotinum. Huic anomaliae infantes scrofulosos, vel qui cum aliis infantibus codem tempore variola humana adfectis convivunt, obnoxios esse innotuit (1). — 5) Exanthematis forma diversa; — rubor circa insitionis locum obsoletus, nullus, vel nimis intensus ac justos excedens fines, super totum membrum, vel et ad remotiores partes diffusus (Roseola vaccina Willanii); — tuberculum inflammatorium, quod illico post insitionem quandoque emicat, praesertim si, observante Saccone, recens lymphae e vaccarum uberibus depromitur, brevi tamen disparet, donec dic quarta denuo in conspectum veniat, suetum percurrens variolae vaccinae genuinac cyclum; — pustulae insolita moles insignisque in ambitu et basi inflammatio; — crustae formatio praecox, tarda, vel imperfecta, ita ut tenuis tantum squamae vestigium adpareat; — transitus pustulae in ulcus diutinum. — 6) Symptoma extraordinaria; uti febris gravior, nausea et vomitus, delirium, sopor, convulsiones, ptyalismus, diarrhoea; eruptio miliaris etc. — 7) Processus contagiosus occultus absque exanthemate; interdum enim observatum fuit, in loco insitionis maculas rubras enasci per integrum brachium diffusas, ac brevi jam evanescentes, tentatam vero alio tempore variolae humanae inoculationem, nullum ef-

fectum produxisse (2). Nil obstat, quominus aegritudo identica variolarum vaccinarum absque exanthemate manifesto ac solita stadia percurrente locum habere possit, quod saltem de aliis processibus contagiosis evictum habemus.

(1) Fries und Hoval, Archiv der die Ausrottungspocken betreffenden Erfahrungen und Verhandlungen, S. 54.

(2) Sacco, Oper. cit.

534. Inter causas harum aberrationum insontium referuntur: pravae conditiones individui pro insitionis opere delecti, debilitas, erethismus, diatheses quaedam morbosae; intercurrentes febres exanthematicae, dum in evolutione versatur processus contagiosus variolae vaccinae, uti morbilli, scarlatina; saburrae aut vermium praesentia; refrigerium; consortium cum infantibus variola humana affectis; lympha vetustate corrupta; insitionis opus imperite factum, vulnuscula nimis profunda, vel unum alteri nimis vicinum; violenta crustae per scalptum evulsio.

β) VACCINA SPURIA.

535. Multo magis momentosam anomaliam constituant variolae vaccinae spuriae, seu nothae, quae a veris, sive genuinis decursu inordinato ac aliena pustularum forma discrepant, gravia saepe incommoda machinantur, et variolarum humanarum casui praecavendo omnino impares sunt. — Jam post paucas horas ab insitione, vel saltem intra primos duos dies febrilia concitan-

tur symptomata comite nausea et inquietudine, inflammatur locus perpunctus, et vesicula exsurgit conoides, quae ociter increscit, formam irregularē, crenatam, oblongo-acuminatam induit, in ambitu intense rubet, ac humorem colligit ichorosum. Quarto die pustula pisi magnitudinem adipiscitur, nullam tamen offert duritiem, ac idco sub levissimo tactu rumpitur, omnemque lympham, quam continet, turbidam, saniosam, cinerascentem largo rivo profundit, ac protinus evacuatur. Curiosius indagata vesicula unicam tantum offert caveam, illis destitutam cellulis, quac vaccinam veram componunt.

536. Si benigna fuerit variola spuria, post paucos dies exsiccatur, crustam formando tenebam, inaequalem, scabram, flavo-badiam, quac haud raro repetitis vicibus secedit, iterumque renascitur, donec circa vigesimam diem formata cicatrice omnis finem adsequatur morbus. Maligna ex adverso pustula circa octavam, vel nonam diem rursus inflammatur, notabilem in basi contrahit duritiem, erysipelaceum ruborem per totum quandoque brachium, cui insitum fuit virus, inordinate diffusum concitat, inque ulcus mali moris degenerat, vero anthraci simillimum, quod notabilem quotidie rodentis sanici copiam separat, per septimanas, imo menses persistit, ac tandem escharam format duram et granulatam, sponte deciduam, superstite cicatrice profunda et inaequali. Resorptus ichor haud raro febrim sym-

ptomaticam, glandularum subaxillarium tumores, vel generalem eruptionem pustulosam producit. Eximio Sacconi hancce inter variolas spurias benignas et malignas distinctionem summi momenti in acceptis referendam habemus.

537. Quatenus pustula vaccina spuria variolarum humanarum casum avertere nequit, plurimum interest, ut causae innotescant, huicce anomalies producendae pares.— Origo fomitis virulenti, qui vaccinam spuriam parit, est vel **primitiva** vel **secundaria**. Prior hactenus unice in vaccinarum uberibus observata est, in quibus haud raro variolae verae et spuriae eodem tempore decurrunt. Virus e pustulis spuriis desumtum ac animalibus ejusdem gregis fortuito communicatum, vel homini ex industria inflictum, semper pustulæ matrici analogum generat morbum. Vaccina spuria **secundaria** autem nascitur e viro genuinorum, diversas ob rationes degeneret et depravato, quarum potiores 1) in mala subjecti constitutione, 2) in delectu fomitis incongruo, 3) in opere insitionis inepto, 4) vel in lateralibus circumstantiis, regularem pustulæ verae decursum perturbantibus, latent.

538. **Origo variolæ vaccinae e causis, quae in corpore infantis exstant.** — Infantes scrofulosi, verminosi, diversis exanthematibus et imprimis scabie affecti, variolarum humanarum contagio jam contaminati, aut ei paulo post inoculationem expositi libenter ex vaccina-

rum genuinarum pure insito spurias progernerant. Quod praesentia unius tantum vesicae, sero repletae, non minus, ac ipsius dermatis indoles et textura in diversis corporis partibus varia vaccinae naturam interdum mutare valeat, Jennerus testatur, qui apud eundem infantem in uno brachio veram, in ultero spuriam pustulam subortam esse vidit. — Quod in illis etiam individuis nascatur, quae eminentem in variolas humanas proclivitatem habent, ipsa vaccina legitima non eradicandam (Mü h r y), hypothesis videtur, nondum explanata.

539. Si pueri vaccinam veram perpessi secundae insitioni subjiciuntur, haec vel infructuosa erit, vel vero pustulam producet, quae formam et habitum genuinae offert, ulteriori exanthematici tutorii propagationi omnimode idoneum virus generat, decursum tamen multo mitiorem, adeoque brevem tenet, ut intra octiduum terminetur. Eximio Sacco ni, cuius amicis relationibus hancce observationem debemus, ejusmodi vaccinam veram mitem, ac praegressae insitionis efficacis gratia cicuratam italico idiomate „Vaccinetta” nominare placuit, a vaccina spuria omnino distinguendam.

540. **Origo variolae vaccinae spuria ex incongruo fomitis virulent delectu.** Virus immaturum quinta, sextave jam die, aut nimis vetustum undecimo die, quo tempore in laticem purulentum spissescit, e pustulis

licet genuinis extractum, spuriam vaccinam producere solet. Idem accidit, si materies e pustulis lateralibus et secundario obortis depromitur. Lympham negligenter ac nimis diu conservatam, caloris, lucis vel aëris influxu effetam reddi, virtutem contagiosam amittere, ideoque ad insitionis opus ineptam esse lubenter concedimus; nothas tamen variolas producere posse dubitamus.

541. Peculiarem vero adtentionem meretur observatio a Cel. Sacco ne multoties repetita, unde eluxit, variolae vaccinae regulariter decurrenti virus duplicitis indolis inesse, genuinum utpote et spurium; primum in penitiori pustula ejusque cellulis reconditur; alterum contra in proprio nidulatur folliculo, qui sub exigua illa eschara, quae verticem pustulae depresso tegit, persaepe delitescit, guttulae molem vix superat, nullamque cum lympha parenchymatis favosi ejusdem variolae communicationem habet. Maximi igitur momenti est, ut fomes pro insitione nunquam e pustulae centro, sed ex ejus limbo caute perpuncto desumatur; prior enim notham, alter genuinam vaccinam producit. Attamen notandum venit, casum modo citatum nequaquam adeo universalem esse, ut ad essentiam vaccinae genuinae pertineat; quum iisdem observationibus et periculis praecleari Sacconis innotuerit, lymphulam illam spuriam constanter desiderari, si cautioris insitionis opere acutissima acu peracto, ac levissimo proin tantum vulnusculo inficto genesis illius crustae praec-

cocis, folliculum tegentis, praepeditur, hac enim deficiente deficit et folliculus, et lympha spuria.

542. *Origo vaccinae nothae ex inepta insitione.* — Medici negligentiam et imperitiam sub insitionis opere, sive instrumenta, quibus utitur, sive modum operationis respicias, ad variolarum spuriarum genesin persaepe contribuere, auctores unanimo confirmant testimonio. Huc prae caeteris spectat insitio acubus rudibus et obtusis, lanceolis rubiginosis, vel quac emplastri vesicatorii, aut pittaciorum linteorum pure imbutorum ope perficitur.

543. Ultimo tandem ortui vaccinac spuriac auscultant omnes illae circumstantiae accidentales, quae regulare pustulae incrementum, ejusque maturationem praepediunt, aut perturbant, processum secretionis, ac proinde ipsius laticis secreti qualitatem vitiando. Notantur a practicis: variolae compressio, irritatio quaevis, laceratio per scalptum, vel rudem punctionem, scopo omne virus extrahendi, iteratis vicibus tentatam (quare eadem pustula, quac mane genuinum largiebatur virus, vesperi denuo per puncta spurium subministrat laticem); aditus frigoris, caloris, vel aëris atmosphaerici in favosam variolae substantiam concessus, quibus omnibus pustula lymphatica in ichorosum vertitur ulcus. Electricitatem galvanicam cundem effectum producere, Sacco suis evicit periculis.

544. Qualiscumque fuerit ratio, ob quam variola vaccina genuina in spuriam degeneravit, virus ab ista desumptum ac sanissimis caeterum infantibus insitum, semper et ubique pustulam pariter spuriam producet; neque unicus adhuc innotuit casus, in quo fomes ejusmodi, etsi summe propitiac faxerint circumstantiae, alteratum ingenium emendavisset, ac denuo veram vaccinam produxisset.

PROBABILIA DE PRIMA ORIGINE VARIOLAE TUTORIAE.

545. Pauca sunt, eaque incerta testimonia, quae antiquitates variolarum vaccinarum, ac primae originis modum illustrare possent. *Vetus*, idiomate samscradamico (Sanskrit) nuper editum, opus, *Santeja Grantham*, cuius auctorem *Dhanvatary* esse contendunt, testatur pustulas, quae in vaccarum uberibus erumpunt, earumque insitionem scopo variolas praecavendi jam a longissimo tempore Brachmanis, medicam artem apud Indos exercentibus, nota fuisse (1). Aliud documentum tradidit W. Bruce; quod nempe Nomades Persiae, quos Eliaats nominant, jam dudum pustulas inter vaccas, et oves observaverint, seque a variolis tutos credant, dum similem mulgendo contrahunt morbum (2). — Itidem Cel. Alexander Humboldt narrat, vaccas montium Novae Hispaniae huicce eruptioni obnoxias esse, ac ab indigenis pastoribus jam dudum factam fuisse. observationem immunitatis erga variolosum con-

tagium illorum, qui pustulas a vaccis contrahant (3).

— *Marius Aventicensis* quidem retulit morbum validum cum profluvio ventris et variolis, ab Anno 565 ad 568 Italiā, Galliamque adfluisse, simulque animalia bubula per ea loca maxime interivisse, longe tamen absimus, ut hancce pestem bovinam prima (quemadmodum nonnullis arrisit (4)) variolae vaccinae vestigia agnoscamus, quae semper insontem constituit affectum.

— Monumenta majori fide digna nonnisi seculo XVIII inveniuntur, et quidem in dissertatione *Medici germani Salger de lue vaccarum Anno 1713 conscripta*, quam Anno 1773 in Musaeo Londonensi repererunt (5), atque in opella Anni 1769 a *Germano anonymo typis edita* (6).

(1) *Das Oppositionsblatt* 1819. Nr. 307. — *Dictionnaire des sciences médicales*. Art. *Vaccin.* p. 591.

(2) *Annales de Chimie et de Physique*. Tom. X. Mars 1819.

(3) *Humboldt*, Remarque, que depuis long-tems l'effet bienfaisant de la vaccine étoit connu des gens de la campagne dans les Indes péruviennes. — Vid. *Annuaire de la société de médecine du département de l'Eure*. 1809. pag. 72.

(4) *Wieland's deutscher Merkur* 1801. April. S. 320.

(5) *Hrünitz, Encyklopädie*. B. 113. Art. *Schutzpocke*. S. 689.

(6) *Allgemeine Unterhaltungen*. Götting. 1769. S. 306.

246. Quamvis ex hisce traditionibus patescat, variolas vaccinas jam pridem extitisse, antequam Jenner, ejusque coaevi illas in Anglia obser- vaverint, medicorum et veterinariorum adtentio- nem vero fors ideo effugisse, quod levidensem ad- modum sisterent morbum; nihilo tamen secius

paucae illae notiones, chronologico fundamento destitutae, ethnographicam morbi historiam pandere nondum permittunt.

547. Quod indicationem patriae et soli natalis variolarum vaccinarum adtinet, non minores sese obtrudunt difficultates; determinari enim nequit, utrum e fervidiori zona oriundae per commercium super reliquas mundi plagas fuerint disseminatae, an vero ubicumque terrarum originem capere potuerint. Ab illo saltem tempore, quo salutaris variolarum vaccinarum humanas elidendi facultas innotuit, quin tamen adhuc insitionis praxis divulgata fuerit, hancce eruptionem pustulosam ad ubera vaccarum in remotissimis regionibus observarunt Medici curiosiores: Josephus Adams, Jenner, Woodwille et alii in Anglia; Ballhorn, Strohmayer et Thuesink in variis provinciis Germaniae septentrionalis, speciatim in Ducatu Megalopolitano, in Holsatia et Frisia; Sacco in Longobardia; Moretti, De Marchi et Piccinelli in aliis Italiae regionibus; Neff in Helvetia; Boujardet et Morlanne in Gallia, Auban in Turcia, Balnis et Buet in America.

548. Qui primam variolae vaccinae originem indagare studuerunt medici, in duas praecipue abiverunt sententias. Nonnulli morbum vaccarum primarium esse supponunt, diversasque ejus ortui opitulantes prophases inculpant; uti pascua uda et uliginosa, (Osian der); insectorum punc-

turas, acrimoniam lactis corrupti, inque ductibus galactophoris diutius retenti; quae tamen opinio ad insontes et non contagiosas pustulas, in uberibus vaccarum interdum erumpentes limitanda videtur. — Alii ex adverso morbum secundarium esse existimant, vaccis aliunde communicatum et fortuito casu insitum.

549. Variolas vaccinas ex humanarum pure ad ubera vaccarum translato originem duxisse, Turnerus opinatur. Rei confirmandae gratia Colleman et Sacco vaccis aliisque quadrupedibus domesticis variolae humanae virus inseverunt, quin tamen effectum obtinere potuerint. Successit scirius Gassnero insitio variolae humanae in vaccis, unde vaccinam pustulam ortam fuisse adfimat, quae homini communicata hanc denuo reproduxit (1).

(1) Salzb. med. chir. Zeitung. 1807. Nro. 67.

550. Probabilior aliis videtur origo variolarum vaccinarum e peculiari illo vitio, quod in equorum pedibus inter talum et ungulam, sive ad metatarsum sub forma vesicularum, tumori inflammatorio incidentium et contagiosam saniem plorantium, evolvitur, atque crura purulenta, Graecis *ηρίσσοι*, Gallis Javart, Eaux aux jambes, Anglis Grease, Italis Giardon i vel Giavardo, Germanis Mauke compellatur. Jenner quidem primus fuit, qui vaccarum pustulas ex equorum *ηρίσσων* oriri putavit, ea maxime ductus observatione, quod uterque adfectus codem

grassatur tempore ac in illis unice comparet gregibus, quibus commune est famulitium; suspicabatur proinde ancillas et famulos pecuarios, qui equorum ungulas fomentis curant, ac serius manus non satis repurgatis vaccas emulgent, harum uberibus equinum virus inscrere, ipsosque similem adfectum contrahere. Ex eadem ratione explicat acutissimus ille observator phaenomenon omnino singulare, quod nempe in fabris ferrariis, qui soleis equos muniunt, vaccinae insitio multoties incassum instituta fuerit, ob contractos fortuito *ηρίσσοντς*, amissamque inde pro recenti infectione dispositionem. — Rem postea protinus dilucidarunt pericula a Cel. Loy, La Font Sacco, de Carro et Fries instituta, e quibus patuit, fomite virulento ex equorum *ηρίσσοντς* desumpto in vaccis aque ac in homine insitionis ope genuinas variolas vaccinas produci, pro nova et replicata insitione summe idoneas, ac variolarum humanarum casum tuto praecaventes.

Loy, Expériences sur l'origine de la vaccine. Traduit de l'Angl. par de Carro. Vienne 1802.

Birago, Memoria sopra l'origine del vaccino dipendente dal Giardone. Milano 1803.

Sacco, Oper. cit. Cap. VIII.

551. Ut autem votis respondeat experimentum, fomes virulentus e pustula equina vera, a causis internis oborta, ac in processum suppurationis nondum versa de promatur, oportet; quare plurimum interest, ut recta habeatur morbi cognitio. — Pracviis turbis febrilibus emicat ad metatarsum

alterutrum tumor inflammatorio - erysipelaceus, qui dolorem ac tensionem parit, artusque liberum motum impedit. Post duos tresve dies in ejus superficie efflorescent vesiculae exiguae, e quibus dehiscentibus lympha manat limpida, specifice olens, pillos conglutinans ac fere implicans; ab eruptione mitescit febris ac dissipatur. Saepe saepius exanthema per corporis superficiem prorumpit, incipienti variolae simillimum, quod tamen suppurationis fastigium non adtingit. Morbus sibi relictus in rhagades et ulcera transit, foetido odore scatentia, quae consolidationem non admittunt, nisi species folliculi conoidei (probabiliter secretionis vitiatae nidus) separata fuerit.

— Hippiatri graeci, referente L a F o n t, tres distinguunt morbi, unguis equorum infestantis ac a quibusdam cum paronychia comparati, species, phlegmonosam utpote, scrofulosam et variolosam, quae ultima solum contagiosum largitur laticem, atque a C c l e b. L o y constitutionalis compellatur, ut ejus differentia a morbo mere locali et insonti clarius patescat.

H u z a r d, Essai sur les eaux aux jambes des chevaux. Paris
1784.

V i b o r g, Samml. für Thierärzte und Oekonomen, B. IV et V.
D e C a r r o, Histoire de la Vaccination en Turquie, p. 51
et seq.

552. Prima vestigia $\tau\tilde{\omega}\nu$ κριστων equorum apud Hippiatros graecos aevi prisci inveniuntur, quorum pandectas anonymous quidam, jussu Imperatoris Constantini VII, collegit circa annum 912

aerae nostrae (1). Princeps et doctissimus inter eos fuit **Absyrtus**, e Prusa oriundus, qui circa annum 671 Caesarem Constantimum IV., Pogonatum dictum, agmen adversus Bulgaros ducentem, est comitatus. Non multum igitur distant primae notiones $\tauῶν \chiρίστων$ in Graecia ab illis variolae humanae in Arabia et Aegypto.

(1) Veterinariae medicinae Libri duo. Ed. Sim. Grynaei.
4to. Basil. 1537. pag. 205.

553. Si jam indagines historiae morborum, generi humano infensorum, insignibus premuntur difficultatibus; multo majores in peruestigatione chronicæ hujus equorum affectionis, alioquin levidensis et pauci momenti, cuius in humanam societatem beneficium nonnisi ad finem seculi præteriti innotuit, inveniri debere, nemo mirabitur. Hanc ob rem gravis quaestio: utrum $\chiρίστοι$ in quovis climate primitus nasci possint sub concurso circumstantiarum morbis epizooticis faventium, uti in primis essent atmosphaerae frigus et vicissitudo, humiditas, itinera protracta in viis lutosis, stabulorum immundities (1); — an vero morbum sistant in origine exoticum, et quidem, opinante Doct. De Carro, ex Arabia felici oriundum (2), ac in Europam commercii ope translatum? — hactenus solvi nequivit. Hodierno aevo $\chiρίστοντος$ in remotissimis regionibus detexerunt strenui observatores; Jenner et Loy in Anglia, Huzard in Gallia, Sacco in Longobardia; Viborg in Germania septentrionoli, La Font in Graecia.

- (1) Veith, Handbuch der Veterinär-Kunde. Wien 1822.
2. Th. S. 534.
- (2) Histoire de la Vaccination en Turquie, p. 55.

554. Quemadmodum experimentis firmissimis evictum fuit, *τοὺς κριστοὺς* equorum aequa ac variolas vaccinas somitem largiri, insitioni humana-narum casum praecaventi adprime idoneum, unde summa inter utriusque naturam interaneam analogia non potuit non elucescere; ita ineunte sacculo nostro non absimilis variolas vaccinas inter et ovillas innotuit germanitas, omnium primo a Medico Marchelli Anno 1802 prolata.

555. Variola e ovillae, German. Schaf-poken, Gall. Claveau, seu Clavelée, Ital. Vajuolo pecorino, sistunt morbum febilem, acutum, contagiosum, exanthematicum, cum pustulis juxta rostrum, ad ventrem, ad internam superficiem extremitatum et caudae positis, variolae humanae quoad formam et decursum simillimis, ac specificum, dulcem, dum florent, odorem spargentibus. Inter ovium et maxime agnorum greges haud raro populariter grassantur, summasque edunt strages, ast semel tantum idem plectere solent individuum.

Gilbert, Instruction sur le Claveau. Paris 1807.

556. Primas hujus morbi per Galliam debacchantis notitias retulit medicus Joubert circa annum 1578. — Utrum pestifer morbus, qui Anno 1225 in Germania et Anglia inter oves grassabatur, et alius, qui Anno 1348 ingen-

tem cladem in iisdem pecudibus lanigeris exercuit (1), variolosae fuerint lues, propter mancas descriptiones decidere non audemus. Anno 1698 Stegmannus eandem pestem in Germania observandam habuit, quae tandem subsequo saeculo in pluribus furiens regionibus medicorum et Rerumpublicarum adtentionem merito excitatit; unde salutaris insitionis variolarum humanarum exemplo ducti Veterinarii eandem praxin, Gallis Clavelisation dictam, scopo oves a pestifera lue muniente introducere céperunt, quam quidem a superioribus inde temporibus apud Orientales, et maxime in Graecia, notam fuisse, de re rustica optime meritus Eques de Heintl testatur (2), in Regnis autem europaeis nonnisi ab aliquot decenniis cum maximo rei pecuariae emolumento communiter adhiberi, compertum habemus.

(1) Schnurrer, Chronik der Seuchen. 1. Th. S. 273.

(2) Veith's Handbuch der Veterinär-Hunde. 2. Th. S. 652.

557. Quamvis plurimae de causis, variolas ovilas generantibus, extiterint opinones, — nonnulli enim humiditatem atmosphaerae, alii immundiciem, Hastfert, Veterinarius Suecus, abundantium humorum, Ramazzini pabulum rubigine contaminatum insimularunt; — hodierno tamen aevo vix non omnes conveniunt Medici et Veterinarii, unicam morbi causam esse contagium sui generis, quod non solum per contactum, sed etiam per atmosphaeram diffunditur. — Discrepant vero in determinanda prima origine contagii, quod

non nulli in ovibus primitus evolutum, alii a diversis animalibus, speciatim a leporibus, vel gallis indicis, qui simile exanthema pati dicuntur, fortuito communicatum fuisse contendunt; alii denuo, oves contagium a pastoribus, variola infectis, contraxisse, opinantur. Ad huncce diem usque nil certi proferri potest.

558. Evicta summa variolas humanas inter et ovillas adfinitas, atque agnita serius pustulae vaccinae priores avertendi virtus, in acutioribus quibusdam observatoribus diversas concitavit conjecturas, quibus dilucidandis et corroborandis assiduam navarunt operam. E periculis, quae peritisimi Viri Godine, Husson, Alibert, Texier, Valois et Ganneron in Gallia, Marchelli, Legni, Buniva, et Sacco, penes quem omnis fides est, in Italia summa cum *anepί-βεια* instituebant, sequentia innotuerunt: 1) Virus variolae vaccinae ovibus insitum variolas ovillas praecavet, ita ut etiam consulto tentata harum in-sitio absque effectu maneat. 2) Pustulae vaccinae in ovibus consulto productae ordinarium quidem habitum et decursum offerunt, ast loco crustae durioris levem tantum efformare solent squamam, quod etiam in scrofis accedit. 3) Ex viro variolarum ovilium vaccis aut hominibus insito pustulae nascuntur, vaccinis quoad habitum et decursum adeo similes, ut utrumque exanthematis genus, materia virulenta diversorum animalium in eodem infante provocatum, ab invicem dignosci prorsus

nequeat. — 4) Haecce variola ovilis insitiva in homine per replicatas inoculationes reproducitur, quin primitivum suum deponat characterem, organismum humanum subeundo processui variolarum legitimarum ineptum reddit, ac ea propter pustulae vaccinae, aut equinae vices prophylacticas omnino agere potest. — 5) Prima variolae ovillae insitio insignibus stipatur difficultatibus, ac ideo multoties incassum tentatur, si autem successerit, ulterior disseminatio facillime perficitur, ipseque latex lymphaticus, qui in prima variola flavi coloris esse solet, in pustulis secundae et ulterioris generationis perfecte limpidus evadit. — 6) Pus variolarum ovilium agnis directe insitum eruptionem concitat universalem, utut mihiorem magisque insontem; illud contra, quod e variola depromitur origine quidem ovilla, sed in organismo humano vel vaccino regenerata, ac denuo ovi bus inseritur, mere locale determinat exanthema.

559. Non ignoramus quidem experimenta numerosa Vindobonae a Cel. Pessina, Waldinger, et Liebold, atque Versaliae a peritissimo Chirurgo Voisin instituta, quae prophylacticae insitionis vaccinae in arcendis variolis ovillis virtutem protinus in dubium vocant, licet posterioris pericula docuerint, oves, quibus vaccina insita fuerit, luem variolosam multo mihiorem subivisse. Quis autem supra adlatorum virorum (§. 558) observationibus omnem denegaturus esset fidem? — Suspicandum potius, circumstantias intercur-

risse, nondum satis cognitas, quae diversorum effectuum culpam gesserunt, sciri ac dilucidandas.

560. Si modo cunctas observationes praemissas, et ex industria collectas ad trutinam revocamus, oppido clare elucescit, identicam esse variolae vaccinae, equinae et ovillae indolem; e qualicumque enim pustula desumas lympham virulentam, quam generat et recondit, semper eundem habebis effectum, ac eandem prorsus ad variolam humanam videbis relationem. Quare summa cum probabilitate, ne dicam certitudine, conjicere licet, singulos hosce affectus exanthematico-contagiosos eundem in origine morbum esse, modificatum duntaxat per variam animalis, cui communicatur, organisationem, et fors etiam per alias circumstantias hactenus occultas.

561. Ast invito ferme animo alia sese obtrudit conjectura, ipsam videlicet variolam humanam ejusdem prosapiae sobolem esse, si ad sequentia animum convertimus momenta: 1) Maxima viget inter variolam humanam et pustulas virulentas brutorum similitudo, habito formae et decursus respectu. 2) Variola humana semel exantlata infectionem variolae brutorum artificialiter tentatam excludit aequa, ac harum insitio illius casum avertit. 3) Variola humana vaccis insita vaccinam, oviibus vero communicata ovillam pustulam producit, docentibus experimentis Gassnerii et Godinii. 4) Demum eodem tempore, quo epidemia

grassatur variolosa inter homines, etiam inter vaccas variola vaccina observata est, uti id confirmat exemplum contagionis, quae recentissime in Hol-satia obtinuit (1).

(1) Gazzetta Milanese. 12. Marzo 1824. Nr. 72. Art. Città Anseatiche. 24. Febbrajo 1824.

562. Ut propior variolam humanam inter et illam brutorum relatio, ac prima utriusque origo aliquo saltem modo patescat, sequentia ante omnia solvenda essent problemata: An morbus variolosus in homine non minus ac in brutis protopathicum esse possit malum, determinatarum causarum concursu progignendum, quod a diversa individui aegrotantis organisatione, variam formam, variumque vehementiae et periculi gradum contrahit? — An vero in prima origine uni tantum proprius fuerit speciei, reliquis per contactum successive communicatum? — Quodnam, ultimo casu admisso, fuerit nefastum illud ens, tremendarum calamitatum Lerna? — Quales circumstantiae individuales casum morbi graviorem in homine et ove, insontem ex adverso in vacca et caballo determinaverint? Quaenam esse possint injuriae primitivo variolarum ortui obsecundantes? — An demum originaria contagii variolosi evolutio, quae necessario admitti debet, in quibusvis hujus orbis plagis supponi possit, vel unice calidiori climati sit tribuenda? — Quot autem quaestiones, totidem aenigmata vel prorsus insolubilia, vel saltem hactenus haud soluta, quorum

enodatio, si eam tentare cuiquam liberet, maximis sane premeretur difficultatibus, atque praefixos nostri instituti limites non minus ac tenues vires facile excederet; quare illa duntaxat, quae probabiliora videntur, paucis adumbrasse juvabit, ne argumentum adeo grave sicco prorsus pede transisse increpemur.

563. Historia omnis aevi testatur, bruta domestica sub evolutione et diffusione pestilitatum, humanae societati infestarum, vel eidem, vel saltem analogae cladi saepe saepius succubuisse. — Lucretius pestem Atheniensem describens, consimili ratione bubus et pecubus balantibus aegrorem supervenisse retulit. Similia exempla narrant Livius, Dionysius Halicarnasseus, Ripamontius Chronista Mediolanensis, aliquique Loimographi. Ita dirae illae pestes, quae ad finem seculi IV et circa annum 1224 per barbaras Nomadum illuvies in Europam transvectae fuerunt, maxime vero omnium pestilentiarum princeps, quae Anno 1348, e China et India oriunda, nomine a traे mortis Europam depopulata est, eodem tempore pecudes adgressae sunt, ita ut non singillatim, sed catervatim ruerent. An non eadem ratione lues variolosa ex Africa meridionali et Arabia quaquavorum diffusa, in quadrupedibus domesticis, ac praeparatis in ovibus et equis evolvi potuit, quae animalia ab illis gentibus orientalibus per eminentiam coluntur, propter praerogativas praecipuum ab omni aeo sistebant

commercii objectum atque jam antiquissimis temporibus in Europam introducta fuerunt? Ita C o l u m e l l a , qui Imperatoris Claudii temporibus (A. 41 p. Chr. n.) floruit, testatur oves africanas, ob lanae candorem et splendorem insignes, omnium primo in Municipium Gaditanum deportatas fuisse, ut species multiplicetur. — Equi Arabum infecti $\tauον\varsigma\piσσον\varsigma$ divulgare potuerant non solum occasione invasionis Saracenorum in Hispaniam (A. 712), sed etiam multo prius per commercium cum exercitu Graecorum, quem Aretas jussu Imperatoris Justiniani contra Arabes conductus, ut Abyssinis suppetias ferret.

564. Decidere tamen non audemus, utrum variolae contagium omnium primo apud equos sub forma $\tauῶν\piσσῶν$ extiterit, indeque ad homines translatum sit, quam sententiam De Carro tueretur, utrum vero ab hominibus variola infectis equi $\tauον\piσσον\varsigma$ contrixerint, — vel utrum fors humana aequa ac caballina pustula protopathicum fuerit malum ex iisdem causis endemicis oriundum, vaccis successive communicatum?

565. Originem variolae brutorum ex Oriente derivare, et fere contemporalem cum variolis humanis supponere sinunt sequentia argumenta: 1) Apud exactissimos de re rustica scriptores Romanos prisci aevi, Catonem, Varronem, Columellam, Palladium nullam de variolis ovillis, vaccinis, vel de $\piσσοις$ equorum inventire potuimus mentionem; imo acutissimus Cel-

s u s inquit, oves, quamvis pecus mollissimum sint, tutissimae valutudinis esse, minimeque pestilenta laborare. 2) Aethiopia, Abyssinia, Nubia, Arabia, Aegyptus terrae ab omni aevo fuerunt variis contagiosis fertilissimae, ita ut paucae tantum contagiorum exoticorum extant species, quae ibidem natale solum non agnoscant; ipsa enim syphilis, passim ex America repetita, secundum indefessas, doctissimi Spengeli indagini potius ex Africa meridionali ortum duxisse videtur. — 3) Prima vestigia variolae vaccinae, quamvis dubia sint, (§. 545) atque τῶν κριστῶν equorum (§. 552) parum distant ab epocha, qua variolae humanae omnium primo observatae sunt. — 4) Orientalibus gentibus jam a tempore, quod omnem superat memoriam, ergo multo prius quam Europeis, variolam vaccinam non solum, verum etiam ejus virtutem tutricem notam fuisse, neotericorum relationes historicae docuerunt. — 5) Vix supponendum, causas procatarcticas variolarum attentionem oculatissimorum observatorum per tot saecula effugituras fuisse, si nostrum clima variolis, sive humanis, sive illis brutorum producendis ideoneum fuisse.

566. De prophasibus primigenae evolutionis variolarum in patrio solo, nec non de circumstantiis, quae morbum ex eodem seminio ortum adeo gravem in homine et ove, multo leviorem contra in equo et vacca reddere potuerant, pariter nil certi enunciari potest. Id solum experientia confirmat, contagia quacvis repetito transitu per

plura individua, maxime vero si diversam naturam et organisationem habuerint, de primitiva malignitate pedetentim amittere, ac protinus mitescere, et quidem multo facilius, si ad clima temperatus transvehantur. Quapropter vix non verisimilius foret, morbum variolosum hominis et ovis protopathicum fuisse, illum equi et vaccae ex adverso secundario modo e prioribus ortum duxisse. Docuit insuper observatio, prima infectione, quae in homine viri equini, aut vaccini ope perficitur, libenter eruptionem generalem plurium pustularum provocari, harum vero lympha, ulterius propagata, solitarias tantum in loco insitionis variolas determinari. Omni igitur jure sperandum, fore, ut ipsa lues variolosa, alioquin jam plurimum cicurata, introductam per vaccinae insitionem sensim sensimque extinguitur, vel saltem malignum ingenium prorsus deponat, nisi recens seminium, e patrio solo advectum, languescentem favillam denuo excandescere juvet.

PROPRIETATES VARIOLAE TUTORIAE GENUINAE.

567. Variola tutrix, sive fortuito casu, ex vaccarum uberibus aut equorum ungulis contrahatur, uti stabulariis et ancillis lactariis accidit, sive per artificialem viri vaccini, equini aut ovilli insitionem generetur, sequentes agnoscit proprietates:

568. I. Definitam praebet formam, atque decursum determinatis stadiis et phaenomenis sti-

patum. En characteres pathognomonici: *a*) Erup-
tio nunquam ante tertium diem ab insitione con-
tingens. — *b*) Initium a tuberculo inflammatorio. —
c) Hujus successivus transitus in vesiculam, du-
riusculae incidentem basi, quae maturatione pro-
grediente minuitur. — *d*) Vesicula ipsa compla-
nata, margaritacea, e pluribus cellulis compo-
sa, cum foveola ad apicem. — *e*) Areola floride
rubens, quae insensibili modo cum normali cutis
colore confluit. — *f*) Leves turbae febriles circa
diem octavam. — *g*) Lymphae collectae limpidudo,
nisi nonum diem jam superaverit morbus. — *h*)
Crusta duriuscula et levis, colore ligni Mahagoni,
duodecima formari incipiens die. — *i*) Cicatrix
superstes foraminulis notata. — Qui exactam hu-
jus exanthematis in diversis stadiis cognitionem
acquirere cupiunt, adeant eximia opera Sacc-
onis et Bremeri, in quibus nitidae extant icones.

569. II. Variola vaccina, — inter insitivas com-
munissima — quae regularem absolvit decursum,
tuto praecavet variolarum humanarum casum; et si
harum infectio succedat, spurias plurimum ciet
pustulas, celeriter excurrentes et periculi exper-
tes, quas varicellas nuncupant.

570. III. Homines, qui variolam humanam aut
vaccinam sunt perpessi, novo contagii ingressu
immunes sunt, etiam si repetitis vicibus insitio
tentetur. Quandoque recens quidem succedit in-
fectio, sed variola vaccina, quae provocatur, vel
admodum mitis evadit, intra octo dies totum ab-
solvens cyclum (Vaccinetta), vel plane spuria.

571. IV. Si primis post felicem variolarum vaccinarum insitionem diebus infectio variolae humanae locum habuerit, illae sub hujus dominio esse videntur; etenim non solum generalis contingit variolarum verarum eruptio, sed etiam in illo loco, cui virus vaccinum inflictum erat, pustula grandis, nullo rubore circumscripta, semet explicat, et uti vera decurrit. Tali tamen connubio variolosa febris haud mediocriter mitigatur. Quo tardius a vaccinationis momento accidit variolarum humanarum infectio, tanto aegrius harum evolutio succedit; ubi tandem pustula vaccina exsiccata plenarium absolvit decursum, omnem receptivitatem ad humanas delet.

572. V. Quo propior nativitatis epochae hominis aetas, eo facilius contrahitur pustula insitiva; ita quoque juvenci nuperrime enixi majorem habent ad suscipiendum virus proclivitatem, quam boves adulti.

573. VI. In quadrupedibus variis, capris, scrofis, canibus, asinis virus variolae vaccinae cundem, quem in homine, exerit effectum, atque generata in illis pustula aptissimam pro ulteriori insitione largitur materiam. Volucres et reptilia ad hocce contagium nullam ostendunt receptivitatem.

574. VII. Praetenditur a multis insitione variolae vaccinae alios quoque morbos contagiosos averti posse, speciatim morbillum, scarlatinam et pestem orientalem in homine, adenitidem spe-

cificam in equis , coryzam et rhonchum in canibus. Nonnullae adscriptionum harum omni experientiae reluctantur , aliae , utut quibusdam experimentis innixae , nondum extra dubitationis aleam positae sunt.

575. VIII. Variolae vaccinae non aliter, quam viro epidermidi leviter laesae inficto propagantur ; earum eruptio sine insitione nunquam observata est , neque infantes sub eadem paenula dormientes morbum sibi communicant. Ob eandem rationem variola insititia illo solum , cui virus infligitur, loco efflorescit, atque rarissimi sunt eruptionis generalis casus.

576. IX. Lympha, quam variolae vaccinae generant et recondunt, est humor diaphanus, viscosus, inodorus, saporis subsalsi, cum lacrymis, aut sero, cantharidum ope extracto , multum analogi habens , potissimum ex aqua et albumine compositus, qui ab äere oxydatur, a gas acido carbonico neuter redditur. Reliquae analyses chemicae a Cel. Dupuytrin et Husson institutae nil docuerunt. — Misco scopio examinatus liquor multos offert globulos variae magnitudinis , in aqua solubiles , qui aceto aliisque acidis adfusis resolvuntur, prunis admoti extinguuntur , ac omnem virtutem contagiosam amittunt. Cel. Sacco , cuius solertiae hasce notiones debemus , praestantiam materiae variolosae a globulorum copia dependere , illamque in pustulis adultis et permaturis imminui docet; insuper eadem corpuscula in

variolis vaccinis veris ovalia potius, in spuriis contra magis rotunda esse perhibet.

INSITIO VARIOLAE TUTORIAE.

Sacco, Trattato di Vaccinazione. Cap. V — VII.

Richteri, Therap. specialis. Tom. II.

Medizinische Jahrbücher des k. k. österr. Staates. I.B. 3. St.

Notificazione del Governo di Milano a fine di provvedere alla più regolare esecuzione della vaccinazione ec. 13. Novembre 1821.

Krauss, die Schutzpocken-Impfung als Angelegenheit des Staates etc. Nürnb. 1820.

577. In opere insitionis rite perficiendo, ac in praxi adeo proficua debite divulganda, sequentia momenta praecipuam medici merentur adtentio-
nem: 1) Delectus fomitis virulenti. — 2) Ejus conservatio. — 3) Delectus subjecti et temporis. — 4) Insitionis modus. — 5) Cura variolae insitiae. — 6) Consiliorum a Republica capiendorum, et prophylaxeos utilissimae, per quantum fieri potest, divulgatio quam maxime universalis.

PRAESTANTIA FOMITIS INSERENDI.

578. Ad praestantiam fomitis virulenti (Impf-
stoff) in variolis inserendis omnium primo respi-
ciendum est, cum ab eo solo optatus insitionis
successus dependeat. Materies insitioni idonea
vel e variolis, quae ad vaccarum ubera prorum-
punt, vel e variolis corpori humano jam inflictis
mutuari solet. Requiritur autem, ut pustula om-
nes characteres variolae vaccinac genuinae (§. 568)

offerat, secus insitio vel irrita manet, vel spuriā provocat. Debent insuper infantes eligi vi-
gore pleni, torosi, nulla labe aut diathesi mor-
bosa inquinati, in quibus variolae semper laetius
florent. Limpida lympha, quam pustula inter sex-
tum et nonum diem concipit, pro insitione po-
tentissima est; diebus proximis, dum liquor redi-
ditur turbidus, ejus efficacia sensim jam immi-
nui solet, donec arescente pustula omnem va-
riolas generandi potestatem amittat. — Si post
longam annorum seriem virus obsoleverit, ac
pristinum suum quodammodo amiserit vigorem,
quod e pustula parva, pallida, e pauca, quam col-
ligit lympha, ex insitione saepius irrita, ejusque
repetendae necessitate, atque e minori variola-
rum infectionem praepediendi facultate conjice-
re licet, recens materies e vaccarum aut equo-
rum pustulis erit desumenda.

579. Quo graviorem infantes sub variolae vac-
cinae fastigio contrahunt aegritudinem et febrem,
eo praestantius largiuntur virus. Pustulæ, e qui-
bus materies contagiosa depromatur, integrae et
intactæ sint; quae enim unguibus disruptæ, aut
pluries jum perpunctæ sunt, idoneum fomitem non
praebent. Optimæ practerea sunt pustulæ durius-
culæ, turgidae, quae acui, ad perpungendum ad-
motaæ resistunt, atque parcum et viscosum liquo-
rem, roris guttulæ adinstar, emittunt; Sa-
ccone praecipiente, nunquam vertex, cui puris
spurii folliculus haud infrequenter subest, sed
ambitus pustulæ perpungendus.

CONSERVATIO LYMPHAE TUTRICIS.

580. Saepenumero accidit, ut insitionis ope-
re per aliquod tempus intermisso, vel aliquoties
ad irritum tentato, materies virulenta deficiat,
quam tunc vel ab aliis medicis, vel a propria co-
pia, meliori occasione facta, repetere cogimur.
Hinc plurimum interest, ut idoneos indicemus
modos, quibus variolae tutoriae virus conservari
debeat, simulque eas subnectamus noxias, quae
illius efficaciam hebetare, vel prorsus destruere
valent.

581. Lympha virulenta acus excavatae ope ex-
tracta, tubulo immititur vitro, lineam dimidi-
lato, qui cera, aut illo liquamine, quo literae
passim obsignari solent, ferruminatur, chartis-
que circumvolutis contra lucis influxum munitur.
Si fomitem diutius conservare, vel ad longinquas
regiones transmittere in votis est, siphunculus
rite obsignatus vitreae immititur lagenae, simili
modo clausae, quae in loco frigido et obscuro erit
reponenda. In ejusmodi lagena, mercurio vivo,
vitro excepto, denuo circumclusa ac in puteo
suspensa Cel. Sacco, se materiam variolosam per
biennium liquidam et efficacem conservasse, tra-
dit. Minus idoneam credimus methodum a Je-
nnero propositam, qui lympham inter duas la-
minas vitreas cote politas, quarum una lenticularem
aut hemisphaericam in centro habet excavationem,
conservari praecipit.

582. Habet autem pus variolae vaccinae id

sibi privum, quod etiam exsiccatum suam retinet inficiendi facultatem; quare lanceolis cburneis vel argenteis, acubus aureis, pennis anserinis in dentiscalpii formam excisis, vel, ut quidam proponunt, rosarum aliarumque fruticum spinis collectum et exsiccatum tubulis recondi, charta circumvolvi ac lagenis, ut supra monuimus, immiti solet. Simili modo fila linteae, in aqua prius macerata, si per pustulam perpunctam trahuntur, lympha variolosa imbui, ac in tubulis conservari possunt. Aestate calidiori materiem exsiccatam humida facilius conservari perhibent nonnulli.

583. Potest tandem adhuc fomes insitioni idoneus e crustis variolae vaccinae obtineri, quas per plures menses, ipsumque annum suam efficaciam retinere auctores adfirmant. Elegantur hunc in finem crustae laeves, rotundae, badiae, semidiaphanae, quales variolis genuinis integris et illaesis circa decimum aut duodecimum diem succrescant. Quae deformes sunt, scabraeque, post variolas perpunctas, vel exulceratas obortae, nullum praestant effectum, vel variolas spurias concitant. Solebant in mortario vitreo in pulverem redigi, et aqua adfusa ad olei spissitudinem temperari, dein vero in tubulis adservari. — Hodie plerique medici hancce variolas crustarum ope inserendi methodum, tamquam minus certam, merito oblivioni tradiderunt, ac omnium libentissime ad recentem, vel in ejus penuria ad exsiccatam configiunt lympham.

584. Qualiscumque autem arrideat materiam virulentam conservandi modus, plurimum interest, ut sedulo arceatur illarum potentiarum inimicarum influxus, quae facultatem variolas reproducendi imminuere, vel protinus extinguere valent; uti aër atmosphaericus, gas acidum carbonicum, vapores substantiarum mineralium, in primis acidi, calor, electricitas, lux, uodor, effluvia odorifera fortiora, p̄ae aliis illa moschi, et picis.

DELECTUS INDIVIDUI ET TEMPORIS.

585. Cum variolae vaccinae adeo levidensem sistant aegritudinem, quae praeter febriculam ephemeralm ejusque comites vix alia producere consuescat incommoda, illarum insitio omnibus actatis humanae periodis suscipi poterit, ipsam tenerrimam non excipiendo infantiam. Libenter tamen evitamus primas sex hebdomadas a nativitate, non minus ac tempora evolutionum organicarum, dentitionis, pubertatis, catameniorum et graviditatis, nisi, grassante epidemia variolosa ob metum infectionis, promptum consilium capere ratio suadeat. Infantibus infirmis, aut minus bene valentibus vaccina nunquam inseratur, ne ex parte latentis cujuspam diatheseos, aut aegritudinis jamjam evolutae anomalias contrahat.

586. Nullum anni tempus insitioni variolae tutoriae obstat, quum ingenium epidemiae annuae vix aliquod super ejus decursum exerat dominium; suntque caniculares tantum dies, quos medici

cautiores fugere solent. Cavendum vero ab insitionis opere, si morbilli, tussis convulsiva, aut alii morbi infantum populariter grassantur; mortes enim improvisae, hisce morbis fatalibus facile inducendae, ab imperitis et osoribus insitionis variolae insititiae adscribi possent, unde promotioni praxeos per se insontis recentia ponerentur obstacula. Si tamen variolarum humanarum epidemice debacchantium contagium pertimescendum est, vaccinarum insitio quantocytus divulgarri debebit, nullo ad mox citata impedimenta habito respectu.

587. Corpus, antequam variolae inserantur, medicamentis variis purgantibus, diaphoreticis, aliave ratione praeparare, vanum omnino ac inutile foret opus, nisi morbosa quaedam conditio curam medicam deposcat. Ita scrofulas, rhachitidem, atrophiam, impetigines diutinas, febres intermittentes debitum auxiliis prius corrigere oportet. Quod si vero incassum tentata fuerint omnia, vaccinae insitionem suspicere licebit; experientia enim docente ejusmodi mala inveterata interdum variolis vaccinis funditus e corpore eruuntur, vel eis perpessis faciliorem admittunt curationem.

MODUS INSITIONIS.

588. Variolae tutoriae per fomitem recentem, qui omnino efficacissimus, et exsiccate longe praeferundus est, sequenti ratione inseruntur, et ab uno individuo ad aliud transferuntur. —

Pustula, e qua virus extrahendi animus est, acu sulcata, lanceola, aliove instrumento ferreo idoneo, nec ferrugineo juxta marginem pluries inciditur, talique pacto lympha, quae e cellulis stillat, excipitur. Acus fomite virulento imbuta illico, vel Bremero suadente post aliquot scripula horae, donec spissescere inceperit, in summam cuticulam, manu tantillum tensam, oblique immititur, ibi leniter circumagitur ac demum extrahitur. Punctura mere superficialis eum in modum instituenda, ut nulla, vel insensibilis tantum sanguinis guttula promanet; major enim ejus copia virus diluit, eluit ac irritae operationis metum incutit. Eadem acus semel contaminata pro duabus, vel tribus commode inservire potest insitionibus; quoniam virus variolae vaccinae id cum reliquis contagii commune habet, quod ejus copia effectum insitionis ne hilum determinat, atque atomus pariter sufficit ad processum contagiosum sui generis concitandum. — Epidermis rigida, qualis in nonnullis infantibus observatur, ante insitionem aqua tepida emollienda, ac leniter perfricanda est.

589. Locus insitioni communiter dicatus est suprema brachii pars, cui musculus deltoides respondet; puellis praecipue in summo humero inseruntur variolae, ne vanitatis stimulo impulsae cicatricum foeditatem conquerantur. — Duae aut tres puncturae in quovis brachio sufficient; etenim dummodo unica perfectam floridamque pu-

stulam produxerit, haec variolarum humanarum casum aequa praecavet, ac si numerosae enascuntur. Plura vulnuscula punctum inficta, praesertim si profunda, et arctiori spatio congesta fuerint, facili negotio confluentes variolas producunt, inflammationem brachii profusam, febremque validam suscitant.

590. Pars, cui variola insita est, neque emplastro obducenda, neque alia ratione diliganda; adtendi tamen paullisper debet post operationem, donec sanguinis stilla prorsus exsiccata sit, haec enim una cum fomite virulento indusio praepropere superimposito facile abstergi potest.

591. Eadem ratione inseritur lympha liquida, tubulis vitreis conservata. Si vero inspissata, vel prorsus exsiccata fuerit, aqua frigida, vel saliva prius erit diluenda, ac sine mora summae cuticulae, modo supra exposito, committenda.

592. Insitio per materiem exsiccatam lanceolis argenteis, vel eburneis exceptam simili prorsus ratione perficitur. Necesse tamen est, fomitem adhaerentem oris halitu, saliva, vel aqua egelida emollire, atque vulnus debite inflictum eodem instrumento aliquoties pertingere.

593. Methodus variolas filorum, pure virulento tinctorum, ope inserendi, quae in particulas exiguae lineam unam et dimidiam longas dissecta, cuticulae lanceola pertusae intromittuntur, difficultatibus est obnoxia, dolores producit, saepc incassum tentatur, ac ideo practicis merito vilipenditur.

504. Pari ratione nullas prorsus praerogativas habet insitio variolarum vaccinarum per crustas, quae primum in pulverem subtilissimum contritae, cum aqua pura vel saliva in vase murrhino in massam homogeneam, fluidam et viscidulam rediguntur. Hicce liquor acu, aut lanceola exceptus sub cuticulam insinuatur eodem modo, ut supra notavimus. Effectum tanto certius obtineri posse Ueberlacherus praecipit (1), si epidermis lanceola horizontaliter infixa ita circumsecatur, ut in lunulae formam replicari possit, liquamen demum variolosum super imponitur, totumque vulnus membrana ovi interna, vel alia tunica hyalina obducitur.

(1) G. Ueberlacher, de vaccina antivariolosa epitome.
Vindob. 1807.

595. Si paulo post puncturam circa inflictum vulnusculum levis rubor erysipelaceus zonae instar emicat, desideratam infectionem successisse sat tuto adseri potest. — Quandoque tamen ob virus effetum, ob negligentiam operis, vel deficientem infantis receptivitatem variolae irrito inse- runtur, vel spuriae progerminant pustulæ sub concursu circumstantiarum supra citatarum (§. 537 — 543), quibus in casibus operatio, elapso longiori intervallo, debitæ cautelis reiteranda erit. His tandem etiam tentaminibus incassum factis, insitio in aliis locis, et quidem, ut Sacco prae- cipit, inter pollicem et indicem tentari posset.

CURA VARIOLAE INSITITIAE.

596. Variola vaccina plerumque adeo levem sistit affectum, ut vix morbi nomine digna sit, ideoque artis auxiliis plane non indigeat. Si tamen fortuito casu in parte sauciata gravior concitatur phlogosis, externus aquae vegeto-mineralis usus ei moderandae sufficere solet. Cataplasma emollientia et unguenta nihil praestant, imo pustularum exulcerationi fayent; quam ob rem ab iis libenter abstinemus, nisi eminens inflammatio-
nis gradus omnem regularis decursus variolae tu-
toriae spem dissipet, atque metu suppurationis vel gangraenae terreat. Febris apud quosdam in-
fantes satis intensa potionibus refrigerantibus ac
leniter eccoproticis mulcetur. Cavendum insuper,
ne pustulae premantur, unguibus scalpantur, alio-
ve modo irritentur, tunc enim in spurias abeunt variolas, vel plane ulcera relinquunt, quae usu
unguenti mercurialis citrini egent.

INSITIO VARIOLAE TUTORIAE CEU OBJECTUM
HYGIENES PUBLICAE.

597. Ab illo tempore, quo variolarum vacci-
narum prophylactica virtus firmissimis et incon-
cussis experientiis probata ac extra dubitationis aleam posita est, humaniores Principes, de salu-
te subditorum populorum solliciti, nullum inten-
tatum reliquerunt medium, ut insitionis praxis utilissima quantocvus divulgetur, atque singula et omnia individua de hocce participant beneficio.

Quum tamen inveteratae quaedam insulsae plebis superstitiones insitioni contrariae, incomprehensibilis propriae salutis apud vulgum incuria, et singularis in rebus novis, etsi utilibus, amplectendis oscitantia, nec non continuae machinaciones obtrectatorum insignia posuerint obstacula, quibus persistentibus nulla unquam concipi potuissest spes, variolosam luem radicitus extirpandi, — necesse erat, ut benefica medicorum paecepta Supremi Regiminis tutela et praesidio potirentur. Merito igitur hodierno aevo insitio variolae vaccinae unum e principalibus Hygienes publicae ramis constituit, qui in ditionibus Imperii Austriae eminentem perfectionis gradum consecutus est. In fastis medicinae albo lapillo notatum splendet nomen Illustrissimi nostri Praesidis, L. B. de Stiff, cuius indefesso zelo ac maturis consiliis, munificentia Augusti Imperatoris suffultis, tot milia natorum vitam et salutem in acceptis referendam habent. — Singula, quae huc spectarent, paecepta, monita et praescriptiones objectum propriae Cathedrae constituunt, quare iis libenter supersedemus.

β) CONTAGIA PHOENICISTICA.

4) MORBILLI.

Rhazes, de variolis et morbillis. Edit. J. C. Ringebroig.
Goett. 1817.

Rosenstein's Abhandlung von den Masern. A. d. Schwed.
übers. 1763.

Orlow, Progr. de rubeolarum et morbillorum discrimine.
Regiom. 1785.

Roux, Traité sur la Rougeole. Paris 1807.

Heim's Bemerkungen über die Verschiedenheit des Scharlachs, der Rötheln und Masern, vorzüglich in diagnostischer Hinsicht. — In Hufeland's Journal 1812. März. S. 60.

598. Cum variolis olim perperam confusam, et a plurimis auctoribus ante Frid. Hoffmannum promiscue descriptam aegritudinem sistunt morbilli, quibus sequentes competitur characteres pathognomonici: symptomata catarrhosa gradus eminentioris, uti coryza, sternutamenta, oculorum rubedo, illacrymatio, raucedo et tussis; febris inflammatoria septem vel novem dierum cyclum excurrens; exanthematis forma specifica, maculae utpote vel et papulae tantillum elevatae, seminum lini figuram referentes, laete rubrae, quae omnium primo ad faciem, ac serius in reliquis corporis partibus successive efflorescunt, nunquam liquorem quemdam morbidum concipiunt, sed epidermidis desquamatione terminantur; ortus e contagio sui generis, quod organismo semel exceptum, eum ita mutare solet, ut variolosi fomitis instar, dispositionem in morbum altera vice subeundum extinguat. — Vocis etymon derivandum videtur a Morbo, quod Italis pestem significat; ergo morbillus idem esset, ac pestis minor. Willanio Rubella, Plouquetio Phocnicismus appellatur, ob colorem exanthematis phoeniceum. Germanis Masern, Flecken, Gallis Rougeole, Anglis Measles, Italisch Rosolia dicitur.

ANTIQUITATES.

599. Quamvis plures scriptores, uti Truconius, Sennertus, Welschius, Manardus, ac inter modernos Batemannus morbillos priscis jam Graecis et Romanis notos, ac speciatim ab Herodoto, qui ante Galenum Romae vixit, descriptos fuisse opinentur, — imo Odier plane somniaverit, pestem Atheniensium a Thucydide depictam cum lue morbillosa maximam obtulisse analogiam; — nihilo tamen secius historici exactiores, quos inter Grunerum et Spengelium nominasse sufficit, prima morbillorum vestigia in eandem epocham incidere docuerunt, qua variolae ex Arabia in Aegyptum, indeque in Europam transvectae sunt.

Gruner, Antiquit. morbor. Vratisl. 1774, p. 54.

600. Nullum vetustius hactenus innotuit morbillorum monumentum, quam quod Rhazes in suis pandectis exhibit, morbum nomine Hhasbah claris describens notis, et quidem propriis non solum observationibus, verum etiam traditionibus Ahronis (qui A. 622 Alexandriae vixit) innixus; neque persuadere nos potuerant argumenta, quae Ueberlacher (1) pro contraria sententia protulit, — Avicenna et Mesue morbillos (Hhasbah) non minus exacte delinearunt, eosque a variolis (Dschedari) et rubeolis (Hhamiltah) scite discriminarunt.

(1) Ueberlacher, über die Grundlosigkeit der ersten Schilderung der Rötheln von den Arabern. Wien 1805.

601. Utrum feralis illa pestilentia Anno 455 p. Chr. per Phrygiam, Cappadociam et Ciliciam diffusa, quam Eusebius notavit, universalis cutis inflammatione, oculorum turgore, ac tussi violenta stipata, jamque tertio aegros perimens die pro morbillis habenda esset (1), ob mancam admodum morbi descriptionem decidi nequit.

(1) Schnurrer, Chronik der Seuchen, S. 117.

602. Barbara Saracenorum illuvie seculo VIII Hispaniam invadente, atque ultramarinis bellorum sacrorum furiiis morbillos aequae ac variolas in Europam introductos fuisse, veri quam simillimum est. — Reperitur in chronicis mentio morbi cuiusdam epidemici, per Italiam A. 876 debacchantis, cum doloribus oculorum et tussi gravi, qui de morbillis duntaxat suspicari sinit (1). — Medio seculo XII Synesius opus arabi medici Abu Dschafar in graecum transtulit sermonem, ibique variolas ($\varphi\lambdaυκταιγούση λοιμωχή$) a morbillis ($\epsilon\tauέρα λεπτή καὶ ποκνή λοιμωχή$) exacte distinguit (2).

(1) Schnurrer, Oper. cit. p. 182.

(2) Synesius, de febribus. Edit. Bernardi. Amstel. 1749.

603. Seriori tandem aevo Forestus (1597), Schenkius (1600), Tulpius, Sydenhamus (1676), Riverius (1655), Frid. Hoffmannus (1718), Huxham (1752) et Lepecke de la Cloture pluribus morbillorum epidemicorum observationibus collectis ad exactiorum morbi notionem eminenter contulere, quem J. Chr. Lange (1565) et Diemerbroeck

(1674) adhuc cum variolis, Morton autem et Watson cum scarlatina perperam confuderunt.

HYPOTYPOSIS.

a) MORBILLORUM DECURSUS REGULARIS.

604. Totus morbillorum decursus, ut ille variolarum, quatuor absolvitur stadiis, quorum primum febrile, seu ebullitionis, alterum eruptionis, tertium florescentiae, et quartum desquamationis compellatur.

605. Stadium suscepti contagii seu febrile. Praeviis consuetis opportunitatis signis, ac horripilationibus vagis emicat febris inflammatorio - catarrhosa variae intensitatis, quae, praeter aestum, orgasmum et turgorem universalem, luctulentissimis stipatur membranarum mucosarum passionem indicantibus phaenomenis, coryza, narium oppilatione, et siccitate, sternutamentis, oculorum ardore, illacrymatione, et rubore roseo, photophobia, capitis gravedine aut cephalaea acuta, pervigilio vel somnolentia, raucedine, tussi siccata. Quandoque palpebrae et glandulae submaxillares leviter intumescunt; deletam ciborum appetentiam supplet potandi aucta cupido, lingua sordibus albescentibus scatet; oris saporem fatuum conqueruntur aegroti, vel etiam nausea, vomitu, aut alvi fluxu divexantur. Rarius tantum febris morbillosa ad eum intenditur gradum, ut convulsiones, deliria, aliaque ominosa mala progignat; constanter tamen, utut levis adpareat, circa

vesperas ingravescit cum pulsibus plenis et duris, oppressione pectoris et respirandi difficultate, de-
nuoque remittit horis antelucanis sub levi cutis
madore, donec prorumpente exanthemate ejus fu-
ror notabiliter temperetur. Non desunt tamen ca-
sus morbi adeo benigni, ut neque lecto adstrin-
gantur aegrotantes, quamvis per plurimos saepe
dies, praecipiente eximio Raimanno, catarrhal-
ibus divexentur incommodis. Quibusdam crux e
naribus, feminis ex utero cum solamine profluit.

606. *Stadium eruptionis.* Ingruente fe-
bris exacerbatione tertia plerumque exanthematis
succedit eruptio, et quidem eodem ordine con-
stanti, quem in variola genuina et regulari indi-
cavimus; videlicet omnium primo in facie, pree-
sertim in genis, circa palpebras, nasum, et aures,
demum in collo, brachiis, manibus, pectore et
abdomine, ultimo in artubus imis. Quandoque
summa inquietudo, anxietas, pulsus inaequales,
nervorum distensiones, capitis turgor, epistaxis,
vel leve delirium instantem eruptionem indicant,
quae ordinario unius nycthemeri spatio perficitur.
Morbillorum initia satis exigua sunt, pulicu[m] mor-
sibus simillima; hae maculae rubicundae cito cres-
cunt, super cutem tantillum elevantur, et sub tactu
leves offerunt aspredines duriusculas, quae ad
lentis magnitudinem evectae figuram rotundam,
vel potius ellipticam induunt, qualis seminibus
lini propria est. Papulae efformatae laete rubent,
nullumque laticem recondunt, sub digito premente

ruborem amittunt, quem confestim iterum recuperant pressione cessante, ambitu definito non circumscribuntur sed in medio saturatius tinctae, peripheriam versus rubore sensim pallescente, in colorem cutis nativum abeunte circumdantur. E quavis papula morbillosa, observante primum Wedekindio (1), pilus pertenuis prominet, oculis nudis aegre, melius armatis detegendus. — Si morbilli minori efflorescunt ubertate, nunquam aequabiliter in corporis superficie divulgari solent, sed in singulis locis catervatim uniti adparent, ac per amplas interdum plagas prorsus desunt. Licet vicinae sibi et gregatim diffusae sint papulae, ab initio tamen rarissime confluunt; in adultis tantum, morbo notabiliter ingravescente, quandoque totius corporis ambitum profundiori obducunt rubore. — Quo gravior est febris, eo uberior cernitur morbillorum eruptio, quae tamen prioris intensitatem vix minuit, unde a febri variolosa abunde discrepat. Hocce tempore aegrotantium transpiratio et halitus peculiarem spirat odorem, ad septimam usque diem persistentem, in principio subdulcem serius acidulum, atque, fante Heimio, similem ci, quem plumae anserinae recens evulsae, vel anseres modo mactati spargunt.

(1) Wedekind, über die Masern. In Röschlaub's Magazin, B. IV. Nr. 6.

607. Stadium florescentiae. Morbilli per triduum circiter pleno flore vigent, ergo a die quinta ad septimam a primo morbi exordio.

Desunt tamen stricti inter secundum et tertium stadium limites, quatenus in nonnullis locis adhuc continuat eruptio, dum in aliis jam pallescere incipiunt maculae. Partes multis et confluentibus obsessae exanthematibus, satis rubent, inflammantur et insigniter incalescunt, cutis universa tenditur, facies haud raro in tumorem conspicuum elevatur, ipsaeque palpebrae turgidae ferme clauduntur; imo ad linguam usque processum phlogoseos exanthematicae extendi, ejus color praeruber indicat. — Febris et symptomata catarhalia, eruptione protinus peracta, vix aliquam offerunt remissionem; continuant photophobia, narium siccitas, raucedo et dyspnoea; urget tussis molestissima, clangosa, rauca, modo sicca, modo sputis comitata mucosis, tenuibus, quibus particulae innatant crassae, figuratae, puriformes, peculiarem habitum offerentes; ad vesperas maximus incenditur aestus cum cuti sicca et inquietudine summa; accedit diarrhoea, a qua aegroti aliquantum sublevantur.

608. *Stadium desquamationis.* Circa octavam diem cuncta symptomata placantur; atque exanthema eo loco, quo primum erupit, ad frontem igitur, genas et palpebras pallescere incipit, facies turgida subsidet, cutis tensa et arida levi udere humectata relaxatur. Eodem ordine in caeteris partibus marcescunt morbilli, epidermis exasperatur, atque nona plurimum die, vel ad summum undecima nil amplius de efflorescentia conspicitur, cuius loco

furfures et squamulae adparent, sub insigni non-nunquam pruritu paulatim secedentes. Quo magis eminent tubercula morbillosa, tanto evidenter, Hinzio observante, desquamari solent. — Nonnisi rarissime, si pauciores modo effloruerint morbilli, integra persistit cutis, nec ullam subit mutationem. Sub hocce morbi decremento, quo sudores critici, urinae sedimentosae, ac levantes secessus alvini maximam contribuunt symbolam, levis perdurare solet tussis, sputis, supra notatam formam habentibus, comitata, quae tandem ea proportione evanescit, qua pristina restituitur functionum harmonia. In quibusdam pervicax aphonia ad seram usque protenditur convalescentiam.

b) MORBILLORUM DECURSUS ANOMALUS.

609. Diversissimae sane concurrere possunt causae, quae regularem morbillorum decursum a sueto detorquent tramite, in constitutione epidemica, anni tempore, atmosphaerae qualitate, subjecti prava compage, vel in mere accidentalibus circumstantiis sinistris quaerendae. Inde mox febris morbillosae character primitivus, inflammatory - catarrhosus ad justo majorem evehitur vehementiae gradum, vel prorsus aliena emicat morbi natura in gratiam insolitae virium vitalium, aut diversorum systematum organicorum labis; mox vero exanthema varias patitur anomalias in eruptione et decursu, de quibus singulis diligenter disserendum.

610. *Morbilli inflammatorii.* Febris angiosthēnica validissima cum aestu insigni et continuo, pulsibus plenis, duris, fortibus, aut plane suppressis, sanguinis dyscrasia phlogistica; symptomata catarrhosa gravia, coryza acuta, oculorum inflammatio (*Ophthalmia morbillosa*) tussis implacabilis, pectoris oppressio, spirandi maxima difficultas, sputa cruenta, aliave pleuritidis aut peripneumoniae indicia hancce morbillorum varietatem sat clare demonstrant, cuius origini epidemia hyemalis, sanguineum aegrotantis temperamentum, dentitionis opus in tenellis et calefacientium usus praecipue patrocinantur. — Exanthema raptim et tumultuarie, apud infantes inter convulsiones, apud adultos inter deliria, vel saltem dolores capitis acerbos prorumpere solet, quin tamen inde febris ferocia infringatur. Maculae et papulae morbillosae hoc in casu intensius rubent, magis prominent, libenter confluunt, ac notabilem faciei aliarumque partium tumorem ferme erysipelaceum concitant, plerumque tamen praecociter desquamantur.

611. *Morbilli gastrici*, sub constitutione aestiva haud infrequentes, a Max. Stollio solerter descripti, e connubio symptomatum febris morbillosae cum signis colluviae gastricae sat facile dignoscuntur. Indoles sordium varia esse potest; crebrius pituitosa et biliosa observatur. Tussim plerumque graviorem huicce complicationi propriam esse, plures notant practici.

612. *Morbilli nervosi*. Aegroti statim ab ineunte morbo tristes et animo et viribus affliti languent, tussi iniqua, fere convulsiva infirmantur, et horrore diurno conquassantur, qui in urentem abit aestum, capitis gravedine, inquietudine, somnolentia, levi delirio, leipothy-miis, ariditate cutis et linguae stipatum. Exantheme jam secunda die, interdum sub convulsionibus ad omnes corporis partes cum impetu exploditur, maculae ipsae pallent potius, parum prominent, et facillime ex quavis vel levissima causa reprimuntur. Symptomata febrilia et nervosa ab eruptione ne hilum remittunt, imo numero et intensitate increbescunt, maxime si exantheme e corporis ambitu improvise repercutitur. Potiores satellites, quae fatalem hancce anomaliam in decursu ulteriori comitantur, sunt: dyspnoea, tussis sicca, oppressio, cardialgia, vomitus, siccitas faucium, aphonia, lingua tremula, desipientia cum stupore capitis, saltus tendinum, meteорismus, pulsus veloces, molliusculi, debiles, urinae crudae, stramineae et parcae. Interdum juxta morbillos miliaria in eodem corpore efflorescunt. Tota morbi imago cum illa typhi contagiosi plurimum congruit, unde omni jure *morbillus typhodes* dici meretur. Excretiones criticac circa finem morbi aut imperfectae sunt, aut metastasium metu terrent, unde persaepe postuma remanent, exquisitissimae medelae renitentia. Cuticula aut obsolete, aut plane in furfures non desquamatur.

613. *Morbilli septici.* Character putridus in morbillorum decursu vel ex parte subjecti pravi, scorbutici, aliava cacockymia infecti, vel ex parte circumstantiarum adversarum evolvitur, atque cunctis liquationis undiquaque praevalentis, nec non virium languentium signis eruitur. Symptomatibus nervosis ante notatis accedunt petecchia, livor faucium, profluvium sanguinis atri e naribus vel ex utero, diarrhoea profusa et summopere debilitans, fluxus dysentericus, sudores viscidi, non levantes. Ipsum exanthema discolor adparet, coloris utpote saturatius rubri et livescentis. *Morbilli nervosi*, aeque ac putridi ob insignia pericula et sanationis difficultatem practicis passim maligni nominari solent; priores plerumque sparsim inter homines proveniunt; posteriores, quamvis rarissimi sint, potius populariter grassantur, tantoque majori metu terrent.

Watson, in Medical observat. and inquiry. Tom. IV. p. 132.

Gieseke, Abhandl. und Beobacht. aus der Arzneygelahrtheit von einer Gesellschaft von Aerzten. Hamb. 1776.

Matthieu, Diss. de febre maligna morbillosa, Argentor. 1768.

614. *Potiores anomaliae exanthematis*, quae plurimum ab adlatis complicationibus et alienato febris morbillosae charactere dependent, reduci possunt: ad eruptionem languidam, imperfectam, praecocem, tumultuariam, irregularem; ad formam macularum variatam, quae vel pallidae, vel praerubrae, lividae, atrae, planae, prominentes, segregatae, confluentes ad-

parent; ad repentinam exanthematis recessionem; ad imperfectam, vel prorsus deficientem cuticulae desquamationem. — **F e b r e m m o r b i l l o s a m** absque exanthemate, aequa ac variolosa absque variolis plures observatores defendunt; eodem enim tempore, quo morbilli populariter grassantur, nonnulli infantes frequenter tussiunt, sternutant, febriunt, aliisque catarrhalibus molestiis detinentur, quibus devictis a novo morbillorum contagio plerumque muniantur.

615. **M o r b i l l o s s p u r i o s** quorundam auctorum (1) propriam et constantem morbillorum varietatem esse, in dubium vocamus, quatenus sola symptomatum levitate, decursu brevi et fere afebrili, atque defectu desquamationis differre dicuntur. Suspicandum potius eos vel rubeolas, vel aliud exanthema analogum, urticatum fors vel miliare fuisse, quod, catarrhalibus nuptum symptomatibus, pro morbillo facile illudere potuit.

(1) *V o g e l*, Handbuch für pract. Aerzte. Tom. III. S. 203.
— *M e t z g e r*, Vermischte mediz. Schriften. II. Thl. S. 167.

616. Peculiarem tandem adhuc formam induit morbillorum decursus, si cum tussi convulsiva consortium init, quod haud rarum in pueris esse consuevit. Imo occasione epidemiae morbillosae etiam pertussis populariter grassari visa est, cum discriminé aegrotantium haud indifferenti, ita quidem ut morbillorum agmen mox ducat, mox

claudat. Inter utrumque morbum insignis viget adfinitas. — Contemporalis variolarum humana- rum et morbillorum unio in eodem individuo, quam Cel. De Haen et Macbride defendunt, nobis, Reili sententiam tuentibus, dubia vi- detur, tum ob defectum observationum fide dignarum, paucis enim casibus ambiguis longe plu- res, contrarium evincentes, opponi possunt; tum ob rationes pathologicas atque proprietates gene- rales omnium contagiorum perfectorum, jam alibi adductas (§. 296).

SUBSTRATUM MORBI.

617. Principalem morbillorum sedem largitur rete capillare corii, quare non solum per totum dermatis ambitum, sed etiam in membranis mu- cosis maculae morbillosae efflorescere possunt. Uberrimae observantur in facie; parciores, nec super cutem ita elatae in abdome, parte capi- tis capillata et reliquis corporis partibus. Planta pedis et vola manus morbillis immunes esse vi- dentur; nulli saltem in illis huicdum visi sunt lo- cis. In parietibus oris et faucium eorum praesen- tiā indicat rubor et ardor partium durante sta- dio eruptionis et florescentiae, quae tamen phae- nomena nunquam eam, ut in scarlatina, contra- hunt intensitatem. Vias aëriferas morbillosa phlo- gosi infestari, vocis raucitas et pervicax tussis, nec non extispicia Wilsonii (1) comprobant. Etiamsi Lieutaud in partibus interaneis tho-

racis et abdominis aegrorum, morbillis defunctorum, maculas rubras invenerit (2), eas tamen morbillosum exanthema declarare velle, immatura foret conclusio; novimus enim ex inconcussis pathogeniae principiis solam cutem, eique homonymas membranas mucosas exanthemata producere posse.

(1) Wilson, Treatise on febrile diseases. Winchester 1799.
Vol. II. p. 415.

(2) Lieutaud, Précis de Médecine, p. 604.

DIAGNOSIS.

618. Cognitio exacta symptomatum morbi in singulis stadiis et sub omnibus, quas induere potest anomaliis, habito simul originis, causarum et epidemiae regnantis respectu, tutissimum sittit in diagnosis eruenda ducem. Quae tamen in casu ambiguo sese obtrudere possunt difficultates, has optime dissipare licebit, si ultimum morbillos inter et exanthemata analoga discrimen rite computatur. A variolarum initiis discrepant morbilli adparatu symptomatum catarrhalium altioris ordinis, tussi molesta, maculis et papulis minoribus, minus duris, minus circumscriptis, magisque levibus et superficialibus. — Miliaria, ceu phlyctenae latice seroso, vel albicante refertae, in facie vix unquam prorumpentes, sudoribus valde olentibus, acidis comitatae, cum morbillis non facile confunduntur; multo minus exanthema urticarium, quod insigni pruritu, papulis amplioribus, elevatis,

sine ordine efflorescentibus et fugacibus abunde differt. **Purpura typhosa**, sive exanthema illud specificum, quod typhum contagiosum comitatur cum exanthemate morbilloso, praesertim obsoleto, summam habet similitudinem, distinguitur tamen syndrome phaenomenorum propriorum, inque illo tantum casu pro morbillo illudere posset, ubi hujus sub decursu nervosus evolvitur character. **Scarlatinam** distinguit rubor diffusus, laevis, puniceus, angina fauci et recessus cuticulae forma pannorum amplorum. — Difficillimum vero morbillorum ac rubeolarum discriminem esse, oculatissimi testantur medici; posterius enim exanthema haud raro ipsius morbilli anomaliam particularem, ac hybridanam ferme varietatem constituit, symptomatibus anginosis, eruptione irregulari, phlyctaenis, et desquamationis modo distinctam.

CAUSA ET NOSOGENIA.

619. Pauci tantum extant homines, qui, morbillis undiquaque grassantibus, morbido eorum fomiti impune reluctari possint. Infantes et pueri ante decimum aetatis annum huic exanthematis generi per eminentiam sunt obnoxii. — Fetus utero reclusum morbillos subire posse **Rosenstein et Girtanner** observationibus vindicarunt. Evidentissimum vero exemplum retulit **Hildanus** de matrona honesta, quae, morbillis correpta, quarto die morbi puellum, per totum corpus

codem exanthemate contaminatum, peperit (1). — Adultorum minor proclivitas a morbo, teneriori jam aetate exantlato, dependet, id enim morbili cum variolis commune habent, quod semel tantum vita durante invadunt, organismum humanum ita permutantes, ut omnem in idem contagium suscipiendum amittat dispositionem. Hancce observationem, a Mortono jam, a Rosensteino, Willanio ac plurimis hodierni aevi medicis confirmatam, pauci illi casus infantum morbillos bis aut pluries perpessorum, a Wilsonio; Bursario et Wendtio notati (quamvis semper adhuc dubium moveri possit, secundam infectionem vere morbillosam fuisse), nullatenus infringunt, tamquam rarissimae a communi regula exceptiones (2).

(1) Hildani, Observat. chirurg. 56. Cent. IV.

(2) Reil's Fieberlehre. 5. B. S. 215.

620. Nulli amplius subjacet controversiae, morbillis contagium sui generis subesse, quod, in Europam a remotissimis temporibus introductum, atque continua serie regeneratum (uti saltem vulgaris esse solet medicorum opinio), huc dum eradicari nequivit. Quamvis natura contagii morbillosi certius non pateat, aliquas tamen ejus proprietates ex observatis colligere licuit. — Vehiculum materiale largitur mucus et in primis materies perspirabilis. Contagium itaque morbillosum propter hancce formam vaporosam inter volatilia spectat, per atmosphaeram facilime dif-

fundendum. Tentata sanguine, lacrymis, et epidermide desquamata, in situ artificialis primo quidem intuitu assertioni nostrae contraria videretur; absque ulla tamen difficultate defendere possemus, cunctis hisce substantiis contagiosam virtutem nonnisi ab admixto muco, vel vapore perspirabili impertitam fuisse. — Atrium princeps infectionis membranas mucosas esse, non solum cminens earundem passio jam in morbi exordio, sed etiam pericula inoculationis per cutem toties ad irritum tentata confirmant. Contagium morbillosum semper concitat febrem inflammatorio - catarrhalem atque eminentem membranae Schneideriana et bronchiorum irritationem, unde a scarlatinoso, faucibus potius infenso, differt.

621. Infectio et diffusio miasmatis contagiosi facilior plurimum determinatur a definito aëris atmosphaerici ingenio; inde fit, ut per plures saepe menses inefficax ferme delitescat favilla insidiosa, vel paucis tantum in hominibus, peculiariter dispositis, morbosas producat reactiones (morbilli sporadici), in veris autem exordio vix non constanter erumpat, celerique plurimum passu divulgetur (morbilli epidemici). —

622. Hocce exanthematis genus semper in eodem loco, eodemque tempore multos simul infestat, neque, ut variola et scarlatina adsolet, ab una ad aliam et vicinam domum, vel plateam adeo evidenter transmigrat (1); morbillorum con-

tagium igitur potius per atmosphaeram infectam, quam per contactum diffundi videtur. Si morbillorum symptomata evolutionem faciliorem illo anni tempore; quod ob continuas tempestatum vicissitudines morbis catarrhalibus maxime favet, atque haud infrequens epidemiae morbillosae cum populari tussis convulsivae dominio consortium spectamus; aliqua saltem inter contagium morbillosum, catarrhale, ac illud pertussis analogia omnino adparet. — Definiri tamen huicdum nequit, utrum quodvis horum trium seminiorum essentialis agnoscat differentiam, an vero modificaciones tantum sint unius ejusdemque in prima origine fomitis, et producta gradariae evolutionis, peculiaribus atmosphaerae constitutionibus, aliisve circumstantiis determinata. — Analogia, quam Selle suspicabatur inter miasma morbillosum et acrimoniam scrofulosam, sponte corruit, si animum ad insigne illud convertimus discriminem, quod inter morbum acutum contagiosum et cachexiam contagio expertem viget.

(1) Richteri, Therap. special. Tom. II. p. 346.

623. Observationem Sydenhami, qui morbillos fere quotannis a Mense Januario usque ad solstitium aestivum grassari perhibet, in Longobardiae provinciis, maxime ruri confirmatam habuimus; eodem enim tempore (jam ab aliquot annis), quo arbores primas protrudunt gemmas; in diversis ac dissitis villis, praesertim in vaccarum stabulis, in quibus plures saepe familiae

unacum prolibus unitae totam ferme transigunt brumam, morbillosum emicare vidimus contagium eosque vigens, donec plurimis individuis infectis, talique pacto hominum dispositione extincta, exhausto igitur quasi solo, in quo radices figere posset, in lethargi speciem cadat, data recenti occasione denuo ad activam vitam surrecturum. Nostra quoque sub zona huncce fomitem contagiosum in morbis catarrhalibus gravioribus, opitulante constitutione annua, vel specifica plurium hominum et animalium cohabitantium mephite, primitus oriri posse, conjectura quidem forret, nobis omnino non improbabilis, quam tamen ob defectum observationum defendere nondum auderemus.

TERMINATIONES.

624. Optata morbillorum resolutio obtinetur salubri virium vitalium conamine, quod unicum sistit medium, jugulando processui contagioso idoneum. Consuetiores evacuationes, quibus febris morbillosa circa septimum vel nonum diem judicari solet, sunt sudores copiosi, urinae sedimentosae, vel diarrhoea, quae non raro per plures dies continuant, atque tunc facile in aegri detrimentum vertitur, nisi ars succurrere sciat. — Sputa mucosa, ceu crisis idiostatica, bronchiorum irritationem superstitem, tussim et raucedinem optime sublevant; epidermidis emortuac sub forma surfurum secessus redintegratam indicat cutis functionem.

625. Non solum morbilli anomali, sed etiam summe benigni, et sueto ordine decurrentes interdum sine ulla causa evidenti post humas relinquunt aegritudines, quae summe anticipitem reddunt aegri sortem. Has inter principatum tenet phthisis pulmonalis, tamquam effectus bronchitidis morbillosae, non resolutae, vel peripneumoniae secundariae, quam aegri desquamationis epocha ex improviso contrahunt, funesta metastaseos causa. Absoluto nimirum morbi cyclo ordinario, recens incenditur febricula ad lentam inclinans naturam; indies crescent pectoris oppressio, tussis sicca, spastica, et spirandi difficultas, donec sputa purulenta sanguine remista, horrores vespertini, sudores nocturni, corporisque extenuatio statum pulmonis suppurati extra dubium ponant. Quandoque, teste Richtero, organorum, respirationi famulantium, difficultates remanent, per circuitus redeentes, asthamati Millari simillimae, quae inducta serius pulmonum paraly si aegros miserrime suffocant.

626. Alias prosluvia ventris diutina, furunculi multi et creberrime sub axillis prorumpentes, ophthalmiae habituales, blennorrhoeae sacci lacrymalis, impetigines lactumini persimiles, aphthae oris, exulcerationes gingivarum cum halitu foetentissimo et ptyalismo, rarissime vero leucophlegmatia et hydrops morbillis, infauste resolutis, succedunt. Observatum denique fuit, decursu morbillorum absoluto, scrofulosos illis in sub-

jectis prorumpere tumores, in quibus jam ante morbum hujus labis favilla delituit.

Reil, Fieberlehre, V. B. p. 223. — Ejusdem Memorabilia clinica. Fasc. II.

627. Morbilli, inflammatione organorum spiritalium graviore comitati, charactere nervoso aut septico polluti, vel propter impeditam exanthematis eruptionem systematis sensitivi centra obruentes, sub ipso morbi decursu mortem carent suffocatione, apoplexia, vel adynamia universali, prouti vel nobilissima organa in suis intercipiuntur muneribus, vel vires vitales sub impari lucta cum veneno iniquiori succumbunt. — Ast multo crebriores lethi rationes latent in morbis posthumis, supra enumeratis: tussi chronica, febre lenta, phthisi purulenta pulmonali, diarrhoea colliquativa.

PROGNOSIS.

628. Morbilli summatim multo minori stipantur periculo, quam variolae et scarlatina. E diphtychis mortuorum atque diligentibus calculis Percivalii (1) et Blackii (2) innotuit, numerum aegrorum, morbillis peremptorum, ad variolarum victimas se habere uti unum ad quinque vel decem. Inopum ruricolarum proles, medici auxilio destituti, morbillos plerumque feliciter superant sub solo regimine exquisitiore. Testes fuimus epidemiae, per plures menses late diffusae, quin vel unicus aegrotantium succubisset.

(1) Percival's Anmerkungen über die Anzahl der an den Masern Gestorbenen. — In der Samml. auserles. Abhandl. für pract. Aerzte. B. III. St. 5. S. 645.

(2) An arithmetical and medical analysis of the diseases and mortality of the human species , p. 64.

629. Exanthematis eruptio , tam praeceps , quam tarda nimis , graviorem indicat morbum , in que anomalies pronum . Tussis pervicax , notabilis raucedo et spirandi difficultas , febris et symptomata catarrhalia ultra desquamationis epocham protracta metum posthumorum fatalium et speciatim phthiseos pulmonalis incutiunt . Tumidus aegroti adspectus , exanthema pallidum , flavum , petechiis intermixtum , sudores copiosi et non levantes , sola vi morbi expressi , diarrhoea profusa , haemorrhoeae , maculae gangrenosae , debilitas insignis ad symptomata nervosa graviora malum portendunt omen . — Adulti a morbillis semper pejus habent quam infantes ; potatores , homines organis respiratoriis infirmis , vel habitu phthisico instructi , gravissime adficiuntur et spem salutis ancipitem promittunt . — Praeceps exanthematis ad interiora conversio , mortis casum ominatur . — Quo uberioris morbilli prorumpunt et confluunt , gravi febre inflammatoria stipati , eo majus imminet periculum . Quo serius exanthema febri succedit , eo melius ; quo citius eam excipit , eo pejus . — Lassitudo insignis , torpor , et dolores rheumatici artuum , si morbillos diutius praecedunt , morbum gravem praesagiunt . — Si dentitionis opus , vel tussis convulsiva cum morbillis concurrunt , aegrotuli in ancipiti versantur . — A constitutione epidemica , morbi ingenium ac periculi gradus

plurimum determinatur; quare hyems minus propitia, quam ver adultum. — Plurimi aegri in exsiccationis periodo, ergo circa nonum diem perreunt. — Morbillos; post introductam variolae vaccinatione insitionem gravius saevire, quod Robert et Wals defendere voluerunt, falsum est.

630. Signis melioris augurii adnumerantur: febris post eruptionem mitior, cutis in transpirationem aequabilem prona, tussis rara cum sputis coctis et facile ejiciendis, respiratio libera; alvus in principio subreclusa, ad finem morbi moderate fluens; urinae hypostaticae; desquamatio rato tempore succedens. Cum tamen, benignissimus primis temporibus, morbus improvisam saepe, dum adolescit, contrahere possit malignitatem, prognosis semper maxima circumspectione instituenda.

631. Quemadmodum morbilli anomali, complicati et maligni exitialia parant postuma, quae vix non majori, quam ipse morbus terrent metu, ita ex adverso morbilli benigni quandoque inverterata mala dissipant, ac priori laetiorem salutem adducunt, quo in casu omni jure depuratorii dici possunt. Pervicacissimum arthrocacem antibrachii, a variolarum metastasi relictam, ac per triennium efficacissimis remediis renitentem, absoluto morbillorum, improvise subortorum, cyclo radicitus persanatam fuisse, comperimus.

RATIO MEDENDI.

632. Morbilli simplices, benigni ac regulariter

decurrentes eandem, quam febris catarrhosa levior, et exanthemata acuta in genere medelam expectant. — Omnis medentis scopus eo dirigatur, oportet: 1) ut virium vitalium justum conservetur moderamen; 2) ut symptomata molesta leniantur; 3) ut salutares conatus critici suffulciantur, metastasium tentationes irritae reddantur; 5) ut post huma, si quae remanserint, dissipentur.

633. Moderatam virium vitalium exorbitantium, pro fausta crisi absolute necessariam, sustentare, vel etiam excedentem tantillum incitationem vitalis compescere valebunt remedia antiphlogistica leniora, regimen vitae analogum, et sollicita obstinentia a stimulis cuiusvis generis. Conveniunt igitur potiones refrigerantes, emollientes, ecco-proticae, ac leniter diapnoicae, uti decocta cerealium, rad. altheae, flor. verbasci cum oxymelle, nitro, pulpa tamarindorum, salibus mitioribus, roob Sambuci etc. Acida, quatenus tussim exacerbant, satius vitanda. — Frigus in variolis adeo beneficium, in morbillis aequa obest, ac nimius calor; hypocaustum tepefactum atque lectulus leviter coopertus, noxiis tempestatis injuriis arcendis, sufficiunt; pro victu inserviant jura carnium tenuia et fructus horaei cocti aut tosti. Sub mitigationis morbi adspectu haecce diaetetica sola omnem curationis paginam absolvunt.

634. Inter morbillorum fidos comites molestissima esse solet tussis, potionibus, quae mucilagine scatent, tepide sorbillatis, linctibus de-

mulcentibus, rotulis et morsulis bechicis, vel vaporibus emollientibus complacanda. Si ad spasticam indolem inclinaret tussis, per vices cum impetu et suffocationis metu recurrens, paucisque sputis stipata, leve narcoticum cum prioribus unire licebit, quem in finem emulsiones ex seminibus papaveris albi et gummi arabico, addito granulo extracti hyoscyami porriguntur. Rebellis casus antagonistica in cute irritationem, sinapismorum vel cantharidum ope praestandam, deposit.

635. Si oculi lucem diurnam adversantur, pruriunt, lacrymas continuo fundunt, dolent ac notabiliter rubent, serico viridi propenso sunt ve landi, infuso malvae, decocto althaeae, vel mucilagine gummi arabici, aqua rosarum soluta, saepius de die cluendi, simulque conclave obscurandum. Collyria irritantia et adstringentia inflammationem augent, indeque nocent.

636. Cum sudores et alvi fluxus communissimas sistant evacuationes criticas, eos remediis leniter diaphoreticis et eccoproticis caute promovere licebit, dummodo absoluto morbi cyclo septenario cum aliqua remissione in conspectum veniant. Si vero fluxus alvi, quod haud raro contin git, nimis largus est, viriumque jacturam minatur, a limine statim medicamentis idoneis, mucilaginosis, amaricantibus, adstringentibus, ipsove opio constipari debet.

637. Morbi posthumi, qui exquisitissimis etiam praesidiis averti nequibant, opportuno sal-

tem consilio erunt curandi. Frequentissimae ac summe insidiosae sunt spirandi difficultates variae, quae circa desquamationis epocham denuo ingravescunt, atque mox ingenium inflammatorium patefaciunt, cunctis signis peripneumoniae et febris vehementioris comitatae, mox per accessus, tussi convulsivae, vel asthmatis simillimos invadunt, ac nullum de indole spastica, sive nervosa dubium relinquunt. In primo casu venae-sectiones, infantibus hirudines ad pectus, vesicantia, digitalis, hisque praemissis expectorantia, levi stimulo acri praedita, uti Kermes minerale, radix polygalae senegae, gummi ammoniacum, interpolatis mucilaginosis, porrigenda erunt, eo quidem scopo, ut pituita tenax, aërisferis viis inhaerens, resolvatur, ejusque ejectio facilior reddatur. — In altero autem casu antispastica potentiora, hyoscyamus, phellandrium aquaticum, mercurius dulcis camphora et opio nuptus, a practicis merito laudantur. Emeticorum usus, a nonnullis commendatus, maxima eget circumspectione. Superstes aphonia, cuius causam quandoque transudatio lymphae plasticae in organo vocis largitur, secundum eadem praecepta tractanda erit, mercurialium in primis et vaporum emollientium vires resolventes implorando.

638. Chronica in oculis congestio cum lucis intolerantia stipticis leniter collyriis, quae vitriolum album, saccharum saturni, vel Divinum lapidem cum paucis laudani liquidi guttulis

recipiunt. *Corneae obscuratio* solutione admodum diluta hydrargyri sublimati corrosivi, vel unguento ophthalmico haud raro emendatur.

639. *Diarrhoea profusa*, quae vires non solum exhaustit, sed etiam debitae chylopoësi et nutritioni obest, tonicis adstringentibus, aromaticis et opiatibus eget, nisi tormina ventris cum tactus impatientia atque febri symptomatica latentis phlogoseos metum incutiant, quo in casu mucilaginosa, parcis laudani dosibus nupta, tentari debebunt, interne non minus, quam externe, clysterum forma adhibita. Nonnulli lactis usum cunctis reliquis anteponunt praesidiis.

640. In morbillis anomalis et complicatis character febris atque complicationis natura omnem dirigit medendi rationem. Morbillis inflammatoriis remedia antiphlogistica potentiora suspectias ferunt, quae inter venaesectio tanto utilior evadit, si notabilis simul in pulmonibus turgor viguerit. In infantibus hirudines, pectori, vel si caput sanguine obruitur, retro aures adplicitae, venaesectionis vices agere possunt. — Morbilli saburris complicati evacuationem jubent, emeticis vel purgantibus praestandam, prouti vel sursum, vel deorsum turgent sordes. Qui, tali methodo curandi eruptionem exanthematis praepediri posse, mentiunt, hos firmae experientiae Rosensteini, Stollii et Tissoti, contrarium evincentes, consolentur. — Morbilli maligni, charactere nervoso, aut septico inquinati, remediis cardiacis, stimulan-

tibus diffusilibus, tonicis et antisepticis oppugnantur, gradui debilitatis et imminentis liquationis septicae rite adcommodatis. Specialiores regulae therapeuticae in capite de febribus nervosis et putridis prolixius adsignabuntur.

641. Ut morbillis, in quibus exanthema drepente repressum periculosas organorum nobilium suscitat labes, rite medeamur, omnium primo attendum est, quaenam fuerit metachoreseos causa; nisi haec tollatur, omnis cura infructuosa manebit. Quot autem exstant noxiae id efficere valentes, tot etiam speciales medendi rationes invocari debebunt, jam alibi adnotatae (§. 155—159). Sponte intelligetur inde crassus et facile damnosus error eorum, qui omnem exanthematis retrocessionem virium lapsui adscribentes, in solis stimulantibus et alexipharmacis sacram salutis anchoram invenire sibi videntur.

PROPHYLAXIS.

Büchner, Diss. de nonnullis ad morbillorum insitionem spectantibus. Hal. 1766.

642. Quamvis morbilli generatim malum offerant mortalibus minus fatale, quam variolae; negari tamen nequit, et illos interdum haud contemnendas struere insidias, imprimis dum epidemice debacchantur. Iisdem timoris principiis inducti, ac felicibus variolarum insititiarum exemplis innixi medici, morbillorum insitionem eum duntaxat in finem proposuerunt, ut morbi saevities mitigaretur.

643. **F r a n c i s c u s H o m e**, Medicus Edinburgensis, primus morbillos inserendi opus commendavit, quod revera A. 1757 in duodecim tentavit individuis. Sanguinem nimirum ex cutis, uberrimis et confluentibus morbillis obsessae, vulnusculo gosypii ope suscepit, et brachio leviter laeso commisit. Sexto plerumque die febriculam quandam, lacrymationem et sternutamenta subsequi, omnemque morbum absque tussi, aliove iniquo symptomate praeterlabi expertus est (1). Ad eundem finem **A l e x a n d e r M o n r o** morbillorum semet desquamantium furfures adhibuit, quibus exantheme propagavit, parique tempore conjecturam concepit, insitionem etiam salivae et lacrymarum ope perfici posse (2). — Nullatenus tamen haecce arridet praxis; utut ab auctoribus dignissimis, **R. A. V o g e l i o**, **B u r s e r i o** et **n u p e r r i m e a L o c a t e l l i o** (3) commendata, a plerisque hodierni aevi practicis oblivioni tradita; si enim de benigna agitur epidemiae morbillosae forma, insitionis opus superfluum redditur, et si malignum emicat luis ingenium, satius erit progressus mali secundioribus inhiberi mediis, quae, hygienes publicae rationalibus praeceptis innixa, simul seminium contagiosum radicitus extirpare valebunt, quod ab insitione nunquam erit sperandum.

(1) **F r. H o m e**, Medical facts and experiments. Lond. 1758.
p. 268.

(2) **M o n r o**, de venis lymphaticis valvulosis. Berol. 1757.
p. 58.

(3) **L o d e r's** Bemerkungen über ärztliche Verfassung und Unterricht in Italien während 1811. Leipzig. 1812. p. 36.

5. SCARLATINA.

- J. Storch, practischer und theoretischer Tractat vom Scharlachfieber. Gotha 1742.
- W. Withering, Account of the scarlatina-fewer and sore throat, or scarlatina anginosa. Lond. 1779.
- Plenciz, vom Scharlachfieber. In Mohrenheim's Beyträgen. B. II. Nr. 2.
- Kreisig, Abhandlung über das Scharlachfieber. Leipz. 1802.
- Stieglitz, Versuch einer Prüfung und Verbesserung der jetzt gewöhnlichen Behandlung des Scharlachfebers. Hanover 1807.
- Zsolnay, Diss. de scarlatina. Vienn. 1816.
- J. Armstrong, practical illustrations of the scarlat-fewer. Lond. 1818.
- J. Wendt, das Wesen, die Bedeutung und ärztliche Behandlung des Scharlachs. Breslau 1819.
- Duftschmid, tractatus de scarlatina. Lips. 1820.

644. Febrem exanthematicam, a contagio specifico oriundam, cum angina faucium inflammatoria, cutis ariditate, maculis ruberrimis, late extensis, laevibus, forma pannorum amplorum semet desquamantibus, ac particulari nisu in hydrophem practici passim barbaro Scarlatinae nomine insigniunt, quod primus adhibuisse videtur Sydenhamus, a colore panni coccineo mutuatum. Plouquetio porphyrysmā audit, a πορφυρίῳ, purpureum colorem exhibeo; aliis febris purpurata, morbilli ignei; Germanis Scharlach, Scharlachfieber.

ANTIQUITATES.

645. Discrepant huic auctorum sententiae circa prima scarlatinae initia, quam alii priscis

jam Hygiae ministris notam, alii contra, Sprengelio duce, morbum recentem esse defendunt. Clar. Malfatti, pestem Athenensem a Thucydide descriptam scarlatinam malignam fuisse, opinatur (1). Alii, Aegyptiorum et Syriorum anginam pestilentialem pueros et puellas adfligentem, cuius Arretaeus Cappadoc (2) seculo secundo, atque Aetius (3) seculo quinto meminit, cijusdem indolis fuisse, suspicabantur. — Tertium illud exanthematis genus, quod Arabes praeter variolam et morbillum notarunt, pro rubeola potius, quam pro scarlatina agnoscunt Werlhofius et Sprengelius (4). E reliquis medicinae monumentis nulla fere subeunt testimonia, quae huic aegritudini adaptari possunt.

(1) Hufeland, Journal der pract. Heilk. B. XII. St. 5. S. 120.

(2) De causis et signis acutor. et diuturnorum morborum. L. I. Cap. 9.

(3) Tetrabibl. II. Serm. 4. Cap. 46.

(4) Sprengel, pragmat. Gesch. der Medicin. V. B. S. 439.

646. Clariores notitiae seculo decimo sexto inveniuntur. Ingrassisas, Siculus, A. 1552 maculas describit per universum corpus plurimas, magnas, ignitas, adinstar multorum scorsiū distictorum erysipelatum, absque conspicuo tumore, quas Neapolitani Rossaniam nuncupant (1). Schenkius (1564), Coytarus (1578), atque Smetius (1589) analogas observationes collegerunt.

(1) De tumoribus praeternatural. Neapol. 1552. Tom. I. p. 194.

647. Anginam malignam, quam Ludovicus

Mercatus ad finem seculi XVI., ac serius Michael de Haeredia in Hispania observarunt, indeque super Siciliam, et Italiam diffusam retulerunt Sgambatus et Bartholinus alienum a Scarlatina morbum fuisse, contra Reussii⁽¹⁾ judicium opinamur.

(1) Reuss, Wesen der Exantheme. 3. Th. Nürnb. 1818. §. 451.

648. Qui scarlatinam primus clarissime depinxit, fuit Daniel Sennertus A. 1619⁽¹⁾. Post illum Winkler Bregentiis 1642, paulo serius Welsch Lipsiae atque Schulze 1664 in Polonia grassantem conspexerunt scarlatinam, sub nomine purpurae malignae tunc notam. Sydenham epidemias Londinenses ab anno 1667—1673 referens, scarlatinam morbum intercurrentem dicit, eamque alio in loco exacte describit. Montanus de febre scarlatina, Annis 1672 et 1686 Londini divulgata, mentionem injicit, eam vero a morbillis solo efflorescentiae modo distare putat.

(1) Sennerti Medicina practica. Viteb. 1654. T. II. de febribus. Cap. XII.

649. Saeculo decimo octavo morbus indies frequentior, ac saepe saepius funestae epidemiae dominium adsumens, medicorum adtentionem merito excitavit. Praecipua quadam mentione digna sunt exempla scarlatinae epidemicae, quae Storch, primus de hoc morbi genere monographus, Ise-nacii A. 1717—1743, Störk Vindobonae 1757, — De Haen in eadem Metropoli 1770, — Bicker Rotterodami 1778, — Grant 1779. Lon-

dini, — Sachse in Ducatu Megalopolitano 1795, — Kreysig Wittenbergae 1801, — atque Reuss Schafnaburgi 1812 observarunt, et quae in clarissimorum horum virorum operibus notata inveniuntur. — Nostris temporibus morbus fere nunquam deest, sed in variis Europae regionibus vario saevit vigore, modo sporadicus per intervalla recurrit, modo populariter grassatur, magnamque saepe generi humano adfert caedem.

Zsolnay, Diss. de scarlatina. Viennae 1816. p. 10—18.

HYPOTYPOSIS.

a) SCARLATINAÈ DECURSUS REGULARIS.

650. *Stadium irritationis.* Febris scarlatina prodromis et phaenomenis solitis ingreditur, quae febribus contagiosis universim propria esse consuescunt. Aegroti de capitis dolore gravativo ac temulentia conqueruntur, cibos fastidiunt, horripilationes vagas, vel conquassantes horrores patiuntur, quibus mox aestus insignis et urens cum cephalalgiae augmento, siti clamosa, turgore universalis ac pulsibus duris, plenis et valde acceleratis succedunt. Oris cavea, lingua et fauces arent, praevio tensionis ardorisque sensu inturgescunt et intensem ruborem contrahunt, unde variae deglutiendi et sermocinandi difficultates. Oculi magis rubent, lucem recusant, ac saepe illacrymantur; narium oppilatio molesta sanguinis cursu spontaneo interdum pro momento lenitur; neque deest raucedo et tussicula, quae tamen mi-

nus urgent, quam in morbillis. Graviori in casu capitis dolores immanes, anxietas, inquietudo, desipientia levis, nervorum distensiones, dyspnoea, nausea, vel vomitus adparent. — Versus noctem omnia symptomata ingravescunt, ac totum corpus tanto fervet aestu, ut saepe 105, imo 112 adtingat scalae Fahrenheitiae gradus. — Per spiratio aegrorum adeo specificum spargit odorem, ut ex eo solo saepe ad instantis exanthematis naturam concludere liceat. Quod vero hujus odoris similitudinem adtinet, hunc Heimius acutissimus cum effluviis, qualia pergulae macellariorum, qui haleces, muria conditos, vel caseos fracescentes vendunt, sive etiam qualia ferarum carnivorarum (v. g. leonum, tigridum) stabula e longinquo dissipant, conspirare dicit.

651. Stadium eruptionis. Quandoque jam ad finem primi nycthemeri, alias die secunda vel tertia, ergo ordine minus constanti, quam in variolis et morbillis, exanthematis contingit eruptio, cum manifesto phaenomenorum, prius recensitorum incremento, nisi benignissimam excipiamus scarlatinae formam. Efflorescunt videlicet omnium primo in facie, collo, pectore et dorso, demum in abdomen, bracchiis et cruribus, quandoque in cunctis simul partibus maculae rubrae, laeves, deformes, caput aciculae, vel lentem magnitudine aequantes, quae, sensim inter se confluentes, omnem fere cutis superficiem rubore nunc aequali, nunc inaequali et variegato, plerumque

tamen saturo, panni coccinei instar, suffundunt adeo, ut intra 48 horas totum corpus quasi ignitum adpareat, acsi universali erysipelate laboraret, facie, manibus et pedibus quandoque tumidulis. — Inflammatio faucium interim summam adtingit violentiam; velum pendulum et tonsillae intense rubent ac intumescunt saepe ita, ut freatum pharyngeum omnino occludant, deglutitionem summe dolorosam reddant, vel et impedian, ipsique respirationi obicem ponant, suffocationis periculum minitantes. Lingua ruberrima et turgida dolet, ob siccitatem facile finditur, sanguinemque plorat; alias sordibus tecta albescit in causa continuae secretionis muci viscidioris in fruminis ambitu, ergo quin semper infallibile largiatur complicationis gastricae signum. Alvus frequentius adstricta, quam soluta esse solet. Cutis sicca, tamquam e prunis subjectis ardet. Arteriarum pulsus duri sunt et accelerati. Sub graviori rerum statu aegri soporantur, vel leviter desipiunt, insigni cum difficultate animam reciprocantes.

652. *Stadium florescentiae*. Quatenus varium est tempus, quod scarlatina in eruptionis opere consumit, — nunc paucis horis perfecto, nunc per biduum protracto, — definiti inter secundum et tertium stadium limites adsignari nequeunt; modo enim jam quarto, modo nonnisi sexto a prima invasione die exanthema suae perfectionis culmen adtingit. — Sub consueto morbi ingressu per tres, quatuorve dies florescit, iisdem,

quac antea notavimus, symptomatibus vesperi constanter increbescientibus stipatum, donec molimibis criticis fracta aegritudo, rubore per totum ambitum pallescente, decrementi subeat periodum. Praeter tensionem et ardorem in cute, interdum acerbi articulorum dolores emicant, omnem motum arcentes ac veram arthritidem simulant. Specificus ille odor, quem aegrorum matieres perspirabilis statim ab ineunte morbo spargit, durante hocce processus exanthematico-contagiosi fastigio adeo eminens evadit, ut a quovis medico exercitato indagari possit.

653. *Stadium des squamationis.* Eodem ferme ordine, quo exanthema prorupit, rubor et phlogosis cutis erysipelacea dissipatur, in nonnullis septima, in aliis nona die, cum contemporali febris et anginae declinatione. Praevia plurimum exacerbatione fortiori (perturbatione critica) madescunt partes caveae oris et faucium, copiosus noctu erumpit sudor, lotium excernitur turbidum cum sedimento albo aut roseo, vel et lenis subsequitur alvi fluxus; ubi viae aëriferae acrius irritatae fuerunt, sputa succedunt mucosa, raucedinem et tussim lenientia. Summa cutis pellicula corrugatur, ac sub levi pruritu in pulverem farinaceum, aut furfures fatiscit, vel etiam, ut in manibus pedibusque contingit, in pannos amplos, chirotectarum instar detrahendos, desquamatur. Quo uberius exanthema per corpus integrum divulgatum est, co ampliores esse solent exuviae.

Interdum etiam epithelium tonsillarum et parietum oris, forma eschararum vel laciniarum cinerescentium, per os ejicitur. Rarioribus tantum in casibus desquamatio post decimam quartam morbi dissipati diem incipit. Cutis tali ratione desquamata omnino integra adparet, nullasque mutationes offert, nisi summam excipias epidermidis regeneratae teneritudinem, et quae inde pendet, sensibilitatem.

6) SCARLATINAE DECURSUS ANOMALUS.

654. Inter cunctas febrium exanthematicarum species scarlatina summe proteiformem sistit aegritudinem, quae non solum in decursu innumeras ac saepe improvisas subit vicissitudines, sed etiam sub laetissimo rerum adspectu et conspicuo symptomatum decremento post huma parit mala, quae non minori, quam ipse morbus primarius terrent periculo.

655. Scarlatina inflammatoria. Obscundante ingenio epidemiae brumalis, scarlatina febris libenter characterem inflammatorium altioris gradus contrahit, hujusque anomaliae causa a legitimo decursu longe aberrat. Praeter aestum intensem, pulsus plenissimos, duros, fortes, vel etiam suppressos, spiritus breves, orgasmum generalem ac sanguinis educti phlogisticam crasin, gravissimae evolvuntur diversorum organorum passiones. — Faucum inflammatio primo jam, alterove die tantam subit

violentiam, ut deglutiendi facultas penitus intercipiatur. Quandoque, licet rarius, pulmones et viscera abdominalia inflammantur, suisque signis facile dignoscuntur. Ex frequentissimis vero ac summe periculosis epigenomenis est encephalitis, quam oculi scintillantes, turgidi, carotidum vibratio intenta, inquietudo summa, delirium, vel quod crebrius accidit, sopor profundus indicare solent. Exanthema sub tali rerum statu plerumque jam primo erumpit die, tolutim procedit, ac solito intensius rubet, per totum corpus diffusum.

656. **S carlatina gastrica.** Habet febris scarlatina cum variolis humanis id commune, quod jam ab omni initio libenter cum laesis primarum viarum muneribus incedat, sordiumque gastricarum signa praebeat, maxime si aestiva favet constitutio. Eminentem vero morbus ad systema cholopodium habere videtur adfinitatem, unde sat crebro biliosis stipatur symptomatibus, sapore oris amaro, nausea, vomitu, dolore immani frontem terebrante, praecordiorum oppletione, atque flavedine, erysipelatoso rubori intermixta, e quibus diagnosis absque difficultate eruitur. Decursus febris hoc in casu plerumque lentior, et exanthematis eruptio magis serotina esse solet.

657. **S carlatina nervosa.** Inter morbi decursum, rarissime primis jam diebus, ex improviso character nervosus irrepit, et quidem toties, quin sufficiens patescat funestae diadexis causa,

unde vere maligna exsurgit scarlatinae forma, quae plurimum sub encephali simul inflammatio dominio se prodit, interdum tamen citra hanc relationem e virium imbecillitate ac totius systematis nervosi pessumdati labe proficiscitur. — Exanthemate vix erupto, vel adhuc sub cute, ut ajunt, latitante, aegri summa vexantur anxietate et inquietudine; physiognomia mutatur; oculi, splendore amisso, vitrei fiunt et truces, nasus et partes vicinae pallescunt; collabuntur vires; succedunt mentis alienationes, sopor, tremores, tendinum saltus, quandoque vomitus, vel alvi fluxus sine saburrae indiciis; exanthema sensim sensimque pallescit, quibusdam in locis disparet, in aliis denuo redit, fugacissimum omnino est, ac a levissimis causis reprimitur; cutis semper arida mordaci feryet aestu; arteriarum pulsus accelerati, debiles, molles et inordinati deleteriam confirmant virium vitalium prostrationem. Interdum febris adeo latet et decipit, ut, si pulsum micatus tantum attenduntur, aegri non febricitare videantur, quod verae malignitati quasi proprium est. — Visum quoque fuit, nares obturatas post aliquot dies laticem purulentum, tenacem, flavescentem, odoris foetidissimi destillare, quod encephali affectionem discriminé plenam largitur. — Eadem proportione, qua nervosus emicat status, phaenomena characteris primitivi inflammatorio - catarrhalis dissipantur, atque molestissima angina haud raro ex inopinato cessat.

658. *Scarlatina septica*, priori quoad maleficam indolem ne hilum inferior, e communibus debilitatis, humorumque pansorum et resolutorum signis ocius seriusve, nunquam tamen ineunte statim morbo subortis cognoscitur. Exanthematis rubor, antea intensus, sensim magis ex violaceo purpurascit et petechiis simul efflorentibus inscribitur. Pathognomonicum vero capitalis hujus anomiae, saepius popularis, quam sporadicæ signum in maxima anginae ferocia exstat, quae praecipiti passu in gangraenam vertitur. — Plures medici anglici scarlatinam putridam et anginam gangraenosam identicum declararunt morbum, cui tamen opinioni merito sese opposuit Cullenius, distinctos morbos esse defendens; datur enim angina putrida, seu gangraenosa absque scarlatina, quae, excepta malignitate, nulla de hujus indole contagiosa et specifica exanthematis forma indicia prodit.

EXANTHEMATICÆ ANOMALIAE ET VARIETATES.

659. Quemadmodum specimina extant exanthematis scarlatini absque angina, a Cullenio, Bickerro et Hoffmanno notata, ita ex adverso anginam, ab eodem fomite contagioso oriundam, sine efflorescentia minime raram esse, praeter Rosensteinum, Stollium, Reilium et P. Frankium, expertissimus perhibet Heinius. — In ejusmodi varietate fauces mitius tantum inflammari solent; quandoque exanthema ob-

solete in nonnullis corporis partibus efflorescit et
ociter jam evanescit, quo non obstante cuticula
suetas subit crises et circa finem morbi deglubitur.
Ad ancipitem in simili casu diagnosin illu-
strandam juvabit genius epidemicus, contagium
admissum, nondum superata aegritudo, nec non
specificus ille perspirationis odor, quem supra re-
tulimus.

660. Haud raro in partibus, scarlatino rubore
suffusis, aspredo quaedam miliformis conspicitur,
quam phlyctides numerosae, at segregatae, latice
seroso, lymphatico, lacteo-candidante, vel puri-
formi farctae efformant; miliaribus perquam si-
miles, seminum papaveris molem aequantes, ei
vario tempore, plerumque statim una cum rubore,
vel serius inter tertium et septimum diem erum-
pentes. Hancce formam auctores, Petro Fran-
kio praeente, scarlatinam miliformem
vocant, quae, excepta sola exanthematis varietate,
plerumque eundem ac morbus regularis tenet de-
cursum, neque malum quoddam portendit omen.

661. Rarissimam vero formam, a Cel. Reus-
sio et Raimanno obiter notatam, praebet
scarlatina pemphigodes, cuius binos ca-
sus in Clinico Ticinensi tractandos habuimus. Se-
cunda post eruptionem ruboris punicei, saturimi,
universalis die in pluribus extremitatum locis bul-
lae emicuerunt latice seroso flavicante refertae,
molem nucis avellanae excedentes, ac illis, quas
emplastrum vesicatorium excitare solet, simillimae.

Dehiscente cuticula et effuso liquore, excoriata remansit plaga, per plures dies puriformem et graveolentem profundens materiem, donec, fracto morbi vigore, cicatrice obducatur. Febris comes, ardenti aestu stipata, manifestum obtulit ad liquationem nisum, scorbuti acuti exhibens specimen.

SUBSTRATUM MORBI.

662. Sedem phlogoseos, quam scarlatinae contagium suscitat, in primis derma et membranae mucosae largiuntur. In dermate reactioni morbosae succumbere videtur sphaera arteriosa reticuli capillaris, quod supremum corii stratum sistit. Sententia de affecto corpore Malpighiano, quam Marcus tuetur, nobis vel ex eo non arridet, quod processus phlogisticus scarlatinae sub eadem forma etiam mucosas una adgreditur tunicas, reticulo Malpighiano destitutas. Inter membranas, muculento humori secernendo dicatas, illam, quae parietes oris, linguam et fauces obducit, sub decursu morbi eminenter adfici, e nosographia colligitur.

663. Insignem vero, et quasi innatam, febris scarlatinae miasma ad membranas serosas et in primis ad membranam arachnoideam encephali habet proclivitatem, ita quidem, ut non solum exanthemate derepente represso vicariae in cerebro libertissime subnascantur reactiones, verum etiam illo laetissime florente manifesta evolvantur congestionis cephalicae, aut verae encephalitidis in-

dicia. Quod autem arachnoidea, et non alia patiatur meninx, effusiones serosae in peremptorum cadaveribus conspicuae evincunt. — Hydrops denique cavorum vel textus cellulosi, ceu communissimum scarlatinae consectarium, nec non arthriticae affectiones, sub ejus decursu haud infrequentes, peculiarem illam contagiosi fomitis, summe volatilis, cum systemate membranarum exhalantium familiaritatem extra omne dubium ponunt.

DIAGNOSIS ET DIFFERENTIA ULTIMA.

664. Palmarium febris scarlatinae criterion constituit specifica exanthematis forma, unde etiam morbus nomen sortitus est; quippe maculae in principio roseo, serius puniceo (scarlatino) colore rubentes, leves omnino, nec in cute elatae, per amplas partes diffusae ac inter se confluentes, ita ut integrum fere corpus rubore igneo, veluti erysipelate obsessum foret, digitus enim impressus exanthematis colorem delet, et maculam albam relinquit, quae tamen digito remoto confestim centrum versus pristinum accipit colorem. — Quum vero exanthema toties inordinate prorumpit, obsolete floreat, miliaribus, pustulis aut bullis majoribus inscribatur, imo interdum prorsus deficiat, ei soli nunquam fidendum est, ubi de diagnoseos opere, rite instituendo, agitur.

665. Alterum signum scarlatinae proprium est angina faucium inflammatoria, ac intensus rubor, qui linguam partesque contiguas

tingit. — Ultimo denique odor specificus, quem aegri jam ab ineunte spirant morbo, essentiale constituit morbi adtributum. In casu ancipiti etiam ad peculiarem cutis aridae conditionem, cum illa charta facile comparandam, quam vulgo pergamenam compellant, ad calorem urentem, ad improvisam encephali passionem, quae, in primis exanthemate evanescente, vel misere florente, sub forma cephalaeae dirissimae, delirii, vel soporis evolvitur, nec non ad morbi originem e contagio, ac ad contemporale epidemiae scarlatinosaे dominium adtendendum erit, et quidem tanto magis, quoniam diagnosis febris scarlatinae universim ob decursus symptomatumque fallaciam et ambiguitatem, ac ob varias, quas subit vicissitudines, maximis implicita est difficultatibus.

666. Computatis hisce characteribus, atque adjunctis simul particulari modo desquamationis, nisuque eminenti in malignitatem et hydropem, ultima patebit scarlatinae a morbis adfinibus differentia, quos inter erysipelas, morbilli, rubeola, urticaria, et eczema rubrum, ab imperitioribus fors cum illa confundendi, referri debent.

CAUSAE ET NOSOGENIA.

667. Nulla quidem exstat aetas, quae scarlatinae evolutionem protinus excludat; caeteris tamen paribus infantes tenerimi et senes minorem ostendunt proclivitatem, quam pueri et ado-

lescentes. Receptivitas ad novum contagii ingressum morbo semel exantlato in eodem corpore eluitur, unde homines vel per totam vitam contagio, quamvis semet exponant, fortiter resistunt, vel saltem alterum morbi casum multo benigniorem subeunt. Minus tamen rara sunt exempla hominum scarlatina bis aut pluries perpessorum, quam illa variolarum vel morbillorum bis redeuntium, testibus Bicker o et Neumannno. — Unicum illud exemplum ambiguum, quod Heimius retulit de catulo, qui cum aegroto, scarlatina laborante, sub iisdem stragulis consortium fecerat, postea cuticulam in furfures desquamantem exuit, nobis nondum persuadet, contagium scarlatinae etiam ad bruta transire posse.

668. Quod ad procatarcticas scarlatinae causas morbique essentiam adtinet, insignis apud auctores invenitur opinionum discrepantia, hypothesiumque farrago, quarum potiores duntaxat breviter adsignasse juvabit, ut ingenii humani fertilitas et promptitudo, eandem rem e principiis summe heterogeneis ad libitum explicandi patescat. — Sydenhamus e levi illa sanguinis effervescentia, quam aestatis calor concitat, atque Mortonus ab aëris circumflui injuriis, vel a frigore poris admisso, vel a miasmate contagioso oriri credit. — Plenciz potentiam quandam animatam supponit, quae pari fere modo, ut seminia animalium et vegetabilium propagatur et multiplicatur. Haecce hypothetica opinio displi-

cuit Pflugio (1), qui solam transpirationem turbatam, ac variis circumstantiis modificatam criminatur. Hacken (2) scarlatinam a sordibus primarum viarum, praesertim biliosis oriri contendit, quae opinio parum deflectit ab illa Gorteri et Stollii. — Prodigiosam, ast merito irridendam, hypothesin nuper proposuit Reich (3), qui contagio producenda scarlatinae facultatem omnino denegat, et cuticulae in furfures desquamantis generationem novam exanthematis causam proximam declarat, illamque cum pellis animalium annua infirmatione et exuviis, quae in pluribus animalium familiis, crinibus, plumis, vel testis abjectis, ex natura rato tempore fiunt, comparat. Prorsus similem opinionem tuetur Chr. Pfeuffer, corpus papillare cutis mali sedem declarans (4).

(1) Plenciz, vom Scharlachfieber. Uebers. von Pflug. Kopenhag. und Leipz. 1778.

(2) Hacken, Diss. de febre scarlatina. Goett. 1781.

(3) Reich, neue Aufschlüsse über die Natur und Heilung des Scharlachfiebers. Halle 1810.

(4) Chr. Pfeuffer, der Scharlach, sein Wesen und seine Behandlung. Bamb. nnd Würzb. 1819.

669. Valentiores medici unanimo defendunt consensu, unicam scarlatinae causam **contagium** **sui generis** esse, quod specifico processu morbos in organismi penetralibus generatum, perque corporis ambitum extricatum analogam in hominibus dispositis concitat aegritudinem. — Vehiculum principii contagiosi largitur mucus in fau-

cibus ac viis aërem ducentibus separatus , ipsaque materies perspirabilis , quae per ea loca non minus , quam per totam cutis peripheriam in auras diffunditur ; unde contagium scarlatinae inter volatilia pertinet , per atmosphaeram inquinatam aequa, ac per contactum immediatum propaganda. Longiori tempore hocce virus facultatem suam contagiosam retinere posse , dummodo aëris atmosphaericci arceatur influxus , pie defunctus parens luculentissima demonstravit experientia (1).

(1) Val. Hildenbrand , über den ansteckenden Typhus.
Wien 1815. S. 118.

670. Suscipitur fomes virulentus scarlatinac per communia morborum contagiosorum atria, in organismo patentia, in primis per vias aëriferas, unde periculosius est, contaminatam aegrorum atmosphaeram halitumque inspirare, quam eorum corpus contrectare. Inter cuncta contagia fugacissimum est, et insigni velocitate ex his ad alias transilit partes. Praeter quod super totam cutem ac praecipuas systematis mucosi partes morbosos concitat tumultus, etiam internas adgreditur superficies exhalantes; imo neque nobilissimis partit vitæ instrumentis, encephalo nimirum et nervis, quo deflexu mortem libenter machinatur. Sunt autem ultimo in casu systematis nervosi velamenta membranacea, arachnoidea et nevri lema , quac intus furentis scarlatinae poenas luunt.

671. In determinanda contagii hujus natura et prima origine pariter discrepant medicorum

sententiae. — Placuit quibusdam illud varietatem acrimoniae serofulosa, vel catarrhalis declarare. *Sennertus* et *Mortonus* meram morbillorum modificationem habuit. *Navier* luis bovillae ad homines translateae progeniem esse creditit. Alii scarlatinam morbum in principio exoticum, ex Aethiopia, communi illo contagiorum seminario, nobis advectum, alii contra, quibuscum et nostra collimat conjectura, indigenam luem esse arbitrantur, quae sub dato circumstantiarum nondum cognitarum concursu primitus evolvitur.

672. Qui epidemias febrium catarrhalium, in primis vernales et adversis avibus decurrentes, paulo curatius observat, quosdam aegros, et quidem maxime illos, in quibus pertinaciter aret cutis, gravius decumbere atque nunc symptomata typhosa, nunc fugaces in cute rubores cum encephali passione insueta offerre videbit. Ejusmodi febres catarrhales anomalas et graves haud raro virulentum extricare fomitem, sanis omnimode infestum, cuivis practico notum est. Hocce jam contagium catarrhosum per specificum vegetationis animalis alteratae processum nunc in typhosum, nunc in scarlatinosum degenerare videtur; toties enim in individuis, nullum cum scarlatina infectis commercium habentibus, atque in locis, in quibus a mensibus, imo annis nullum existit scarlatinae vestigium, morbus ex inopinato emicat.

673. Atmosphaerae constitutioni maximam esse in febrium scarlatinarum natura mutanda,

ac in ipso contagio exacuendo, vel hebetando potestatem, nulli subjacet controversiae. Insignes illae vicissitudines formae et characteris, quas febris scarlatina offert, dum populariter grassatur, — benignitas morbi peculiaris, si propitia obsecundat tempestas, — pestilentialis ex adverso malignitas derepente suborta, ubi exitiosum evolvitur aëris ingenium, — atque improvisa saepe extinctio luis populariter diffusae, dum anni tempus mutatur, intimam inter scarlatinac prophasin et epidemicum genium relationem sat clare indicant. Supponendum igitur, scarlatinam in primordiis mere epidemicum esse morbum, sub cuius decursu contagiosum extricatur principium, quod analogam morbi formam eousque in dispositis subjectis producit, donec enervatis circumstantiis secundis obsoletum ac effetum reddatur, ipseque morbus rarescat non solum, verum etiam suam inficiendi facultatem prorsus amittat, extraordinariam, quam contraxit, formam deponat, ac in simplicem defatiscat febrem catarrhosam, e qua originem cepit.

674. **Causa proxima** scarlatinæ eousque obscura manebit, quo usque intima contagiorum natura non innotuerit. Quare singulae acutissimorum virorum sententiae, quibus scarlatinæ essentiam in phlogosi specifica membranarum fibrosarum et retium arteriosorum (Goeden), in processu erysipelatoso potius, quam exanthematico (Wendt), in quadam criticae depositionis spe-

cie, etc., reponunt, scarlatinae formam adparentem quidem illustrant, nullatenus vero morbi noumenon explicant. Generalia principia pathogenetica contagiorum et febrium contagiosarum alibi enucleata (§. 198 — 215), si haec ad majorem evidentiae gradum evehere licebit, fors aliquando et super hocce exanthematis genere clariorem lucem diffundere poterunt.

675. De causis modo, quae adeo crebram in decursu febris scarlatinae malignitatem inducunt, adhuc dicendum restat. Princeps quidem ratio in ipsa miasmatis natura perquam volatili, ac systemati nervoso eminenter infensa latet; sunt tamen et noxiae quaedam externae, quae fatali huicce auscultant metaptosi.— Omnia primo frigoris injuria et subitanea corporis refrigeratio aegris scarlatina gravatis valde inimica est; principii contagiosi nisum expansivum interiora versus convertit, unde fit, ut nobilissima organa obruantur, pessum dentur. Quamvis nonnulli medici, expertissimo Richtero non excepto, hancce causam malignitatis excludere voluerint, insigni efficaciae lotionum frigidarum innixi; inconcussae tamen observationes ac sanae pathologiae principia periculi plenam actionem refrigerii repentinae abunde evincunt, praesertim si cutis uberius perspirat, vel in sudores disponitur. Similiter etiam de medicamentorum purgantium immodico usu, quem Vogler et Stieglitz in morbi malignitate acuenda praecipuum declarant, judicandum est. — Quaeque

tandem organismum aegrorum male disponunt, viresque vitales eum in modum prosternunt et pressundant, ut decisivam luctam cum hoste adeo iniquo vincere nequeant, — uti status aegri asthenicus, vel cacochymicus morbum praecedens, animi passiones, malefica atmosphaerae constitutio, therapia prava etc. — eundem effectum deleterium producere debebunt.

POSTHUMA ET MORTIS RATIO.

676. Inter aegritudines posthumas scarlatinae frequentissima est hydrops, speciatim anasarca et hydrcephalus. — Qui propter transpirationem refrigerio, animi pathemate, purgantibus, aliave causa suppressam, quandoque tamen absque ulla causa nota in hancce labem incidunt, aegroti, elapsis circiter quatuordecim, vel octodecim a morbi primarii exordio diebus, et quidem saepe saepius toto jam desquamationis opere feliciter superato, de lassitudine conqueruntur, recentes percipiunt turbas febriles, cibos aversantur, noctes inquietas transigunt, urinam parciorrem, saturam, loturae carnis instar rutillantem, vel fuscum mingunt, aut in illa reddenda quadam vexantur difficultate. His accedunt praecordiorum angustiae, inquietudo continua, inflatio faciei et palpebrarum oedematosa, pervicax cutis ariditas, quandoque faucium inflammatio denuo recurrens. Ab initio aqua plerumque telam cellularem solum subit (*hydrops ἀνὰ σάρκα*); morbo vero in dies

crescente etiam in cavis internis serosae nascuntur effusiones. Pro harum diversa sede specialia emicant phaenomena, e quibus hydrcephali, hydrothoracis, vel hydrocoeliae praesentia desumitur. — Rarius tantum accidit, ut ventriculi cerebri sine ullis hydropsi universalis indiciis serosum comprehendant laticem, eaque forma omnium periculosissima plerumque nonnisi sub decursu scarlatinae anomalaet malignae, in gratiam delitescentis meningitidis, vel funesti metaschematismi oboritur, et intra paucas horas necat. — Aegroti, qui hydropsi secundarii casum feliciter subeunt, in salute recuperanda quatuor, vel quinque hebdomadas consumere solent, multo plures pereunt.

. 677. Hydrops, ceu scarlatinae consectorium, plurimum manifestis febriculae irritativae atque oedematis calidi signis stipatur, tumore videlicet magis elastico, temperie animali adacta, pallore minori, ideoque e genere acutorum, sive activorum est. In cadaveribus membranae serosae inflammatae, vel etiam hinc inde gangraena destructae inveniuntur. Genesis concipitur e cutis perspiratione suppressa, quam vicaria excipit reactio in membranis serosis, jam durante morbo primitivo in statu congestionis, vel saltem irritatae vitalitatis constitutis. Cur autem scarlatina prae reliquis exanthematibus eminenti hocce polleat in hydropem nisi, determinari vix potest. An fors specifica indoles miasmatis, quod ob qualitatem suam summe volatilem ac nervis infensam ad po-

lum hydrogenii proxime accedere videtur, negativam subministrat aquae formam, in penetralibus uberioris extricatam, cuius secessu, per corporis peripheriam ob alteratam conducendi facultatem in cute, ejusque polaritatem ferme inversam, praepedito major humorum adfinitas ad oxygenium suscitatur, unde morbosae hydrogeneseos ortus? — Hydrops diutinus, seu frigidus e rarioribus esse consuescit.

678. Reliqua febris scarlatinæ post huma sunt: glandularum tumores; parotides metastaticæ, quæ libenter in suppurationem abeunt; ophthalmiae et lippitudines chronicæ; caries osium nasi et palati, artuum dolores; phthisis pharyngea, vel pulmonalis; nevroses variae.

679. Mortis ratio plerumque in encephalo graviter obruto latet. Quandoque exanthemata laete florente, dum de inflammatoria agitur scarlatina, multo crebrius tamen illo derepente evanido, processus morbosis vi duplicata ad centralia conjicitur systematis nervosi organa, et acutissima evolvitur meningitis, quæ vel per se sola, vel inducta colluvie serosa in ventriculis cerebri, lethalem parat apoplexiam. Alii aegri vehementissima cynanche suffocantur; denuo alii viribus cito exhaustis et liquecentे massa organica, qui casus ad scarlatinam nervosam et putridam spectat, extinguuntur. Indirecto modo letum parare possunt hydropes, aliave postuma mala.

PROGNOSIS.

680. Scarlatina, quae olim, Sydenhamo teste, morbum sat benignum praebuit, ideoque laeta admisit auguria, hodierno aevo, querentibus undique medicis (eorumque nonnullis insitio-
nis vaccinae divulgationem perperam accusanti-
bus), multo majorem arripuit ambiguitatis, ne
dicam malignitatis gradum; — persaepe enim
simplicissimus in exordio morbus improvisas pa-
titur vicissitudines, imo desquamationis opere
feliciter peracto dolosa posthumorum progenie
terret, atque e transverso summum minatur pe-
riculum. Quare in praesagienda vita et morte ma-
xima opus est circumspectione, consilium ad se-
quentia in primis transferendo praecepta pro-
gnostica, e fidelibus observationibus deprompta.

681. Quo ad individuum aegrotum.
Infantes primum aetatis annum agentes rarius
quidem scarlatinam contrahunt, ast multo peri-
culosius decumbunt. Pueri adulti facilius evadunt.
Dentitionis opus et colluvies verminosa majus por-
tendunt discriminem. Homines exhausti, cachexiis
confecti, aequa ac nimis robusti et torosi ob fa-
cilem characteris inflammatorii, perniciose en-
cephalitidis aut cynanches evolutionem improvisa
saepe rapiuntur morte.

682. Quo ad febris comitis indolem.
Character febris subinflammatiorius, sive simplex,
sive notula gastrica complicatus, majorem salutis
spem concipere sinit. Si vero intensa evolvitur

febris angiothenica, maxime inflammatione gravi faucium vel encephali stipata, insigne ac saepe improvsum imminet periculum. Scarlatina nervosa et putrida omnium pessima est, quapropter etiam transitus cynanches in gangraenam summo terret interitus casu.

683. Quo ad exanthema. Exanthematis ubertas et saturatus rubor, nisi acriori stipetur febri, plerumque melioris ominis esse solet. Tarda et imperfecta eruptio minus consolatur; repentinus vero ruboris abitus morbum gravem reddit, mortisque metum incutit. Exanthematis forma, sive glabra, sive miliaris, praesagium non mutat, scarlatinæ pemphigodes casus contra magis anceps est.

684. Quo ad symptomata lateralia. Somnolentia continua et sopor profundus funestam encephali labem indicant, ac mortem apoplecticam portendunt. Muci acrioris aut saniei purulentæ profluvium ex ore et naribus, faciei livor, miliaria et petecchiaæ sub decursu prorum-pentia, convulsiones, animi indifferentia, repentinus virium lapsus semper ominosa sistunt indica. — Nisus ad matulam cum lotio tenui et aquoso sub febris decursu exanthematis retrocessionem indicat. Continua mingendi cupidus cum urinis parcis et saturis, cute arida, faciei et palpebrarum inflatione instantem praenunciant hydropem, ctsi totum jam desquamationis opus absolutum fuerit.

THERAPIA.

1. CURA SCARLATINAE SIMPLICIS.

685. Si principales considerantur scarlatinæ characteres, scilicet febris cum incitatione virium aucta, status congestionis aut verae phlogoseos in dermate et membranis mucosis, speciatim in faucibus, processus vegetationis specifico modo alteratus cum nisu in liquationem et productionem principii sui generis, insignis membranarum serosarum, maxime arachnoideae in morbosas reationes proclivitas, atque definitus morbi cyclus, solis naturae viribus truncandus, — quorum syndrome essentiam morbi constituit, — si haec omnia, inquam, paulo curatius considerantur, therapeuticae quoque indicationes facile comprehendendi poterunt, quae ab illis aliarum febrium contagiosarum vix differunt, nisi aliquas modificationes, a specifica processus contagiosi natura petitas, ac numerosis experientiis suffultas excipiamus.

686. Character morbi inflammatorius ante omnia rationem medendi antiphlogisticam sibi vindicat, intensitati febris et topicae affectionis rite adcomodata. Quum tamen sordes gastricae libenter in consortio sint, methodum leniter aperientem, cum priori in eundem scopum conspirantem maximo cum emolumento in usum trahimus. — Pari tempore remedia diaphoretica nunquam negligenda erunt, ut cutis functio suppressa, ac sublatum hanc inter et illam membranarum mucosarum aequilibrium ad pristinum restituatur. Angina demum comes topicis lenitur praesidiis.

687. Superfluum foret, singula remedia, singulaque praeculta therapeutica repetere, quae diversis jam occasionibus fusius exposuimus; quare ad tractatus speciales febrium inflammatoriarum, catarrhosarum et exanthematicarum provocamus. — Particulari tantum attentione dignas reputamus quasdam medendi rationes a recentioribus medicis propositas, quibus morbum adeo versatilem et insidiosum eo tutius debellare studuerunt.

688. Emeticorum praestantiam plurimi artis medicac magistri, e quorum numero Tissot, Withering, Stoll, Hufeland et Sieglitz sunt, insignibus extollunt encomiis, quibuscum et nos libenter consentimus, dummodo emescos concitandae studium arctioribus limitibus circumscribatur. Quatenus emeticorum effectus non solum in primis viis repurgandis, sed etiam in cutis perspiratione expedienda, in nervis conquassandis ac metasyncriseos (alterationis seu re-corporationis) specie inducenda consistit, eatenus, praeter casum complicationis gastricae, in primo morbi initio non minus, ac sub metu imminentis characteris nervosi egregie convenient. — Ubi vero gravior quidquam adparet faucium irritatio, vel plane turgor ad encephalum minatur, ab ejusmodi violenta corporis concussione caute abstinentum. Quo praecocius dantur emetica, eo majori praecellunt virtute, totique scarlatinae decursui haud raro majorem inspirant benignitatem; morbo adulto nihil praestant, nisi noceant.

689. Quamvis in febris scarlatinae decursu utilissimum sit, alvum blandioribus eluere medicamentis, praesertim morbo inchoante, ob crebrum saburrarum consortium, illoque ad finem vergente ob necessitatem colatoria, crisibus destinata, reserandi; nihilo tamen secius promiscuus catharticorum sine restrictione usus in febre scarlatina, qualem Stieglitz et Albers proposuit, generalibus repugnat therapiae rationalis praeceptis; eadem enim proportione, qua alvus ultra necessitatem laxatur, exanthematicus impeditur processus, qui, dum laete floret, ad felicem morbi solutionem plurimum confert. Digladiantur quidem auctores in seligendis catharticis; Kreysig enim mercurium dulcem, Stieglitz salem anglicum, Marcus tartarum depuratum praediligit. At sponte liquet parum interesse, quale seligatur remedium, dummodo cum cardinali conspiret indicatione antiphlogistica; quapropter nonnisi lenioribus, cujuscunque demum generis sint, fendum. — Nisi colluvies gastrica, aut major sanguinis versus encephalon impetus efficaciorem deponscat catharsin, sufficient potiones mannatae vel tamarindatae, una alterave drachma salis cujusdam mitioris, vel soli clysteres ad alvum nycthemeri spatio bis, terve subducendam, Richtero adprime monente.

690. Acidis mineralibus multi practici insignes tribuunt vires, et quidem Stanger et Struve sulfurico, Braitwaite et Willan muriatico

oxygenato, Joerdens et Jahn acido salis. Imprimis scarlatina septica comite angina gangraenosa hancce medendi rationem postulat.

691. Maxima autem nostris temporibus laudes circumferuntur de psychrolusia, sive de methodo aegros febre scarlatina gravatos aqua frigida perfundendi, quam omnium primo anglus medicus Currie (1) et post eum Kolbany (2), Reuss (3), Froehlich (4) aliique proposuerunt, et maximo cum fructu adhibitam referunt. — Docente Currieo aegrotus inter prima morbi initia in solium immittatur vacuum, et aquae gelidae quatuor aut quinque amphorae a capite inde nudo corpori superinfundantur, quae operatio, relicta semper aliquot horarum intercapedine, aliquoties in die repetenda est. — Aegrotis interea potus aciduli, vel emulsa tenuia porrigenda, et alvus, si adstricta foret, mercurio dulci aperienda. Quo magis corpus aegrotantis fervet, eo major evadit perfusionis praestantia, quae calorem immodicum extemplo infringere dicitur. Discussa per repetitum aquarum frigidarum usum morbi atrocia, ejus reliquiae aquis egelidis simili modo super infusis facile dispelluntur; neque aliquid timendum a virium debilitate et temulentia, quae interdum aegris, hac methodo tractatis, supervenit, dummodo postea a frigore defendantur, et moderata temperie fo- veantur.

(1) James Currie, über die Wirkungen des kalten und warmen Wassers, als eines Heilmittels im Fieber und in andern Krankheiten. 2.B. Leipz. 1801 et 1807.

- (2) Kolbany, Beobachtungen über den Nutzen des lauen und kalten Wassers im Scharlachfieber. Pressburg 1808.
- (3) Reuss, Wesen der Exantheme. 3. Th. §. 555.
- (4) Fröhlich, Abhandlung von dem auffallenden Nutzen des kalten und lauen Wassers etc. Wien 1820.

692. *Licet repetita virorum supra laudatorum pericula felici, ut fatentur, eventu coronata omnem mereantur fidem, maximam tamen in ancipiti hocce aquarum frigidarum praesidio administrando circumspectionem omnibus medicis, et praesertim junioribus amice commendamus. — Nemo inficias ibit, violenta ejusmodi superficie perfrigeratione humores majori impetu versus interanea cogi loca, atque impeditam actionis expansivae explicationem ad centralia vitae organa, et in primis ad encephalon reprimi, ibique maximum discrimen minitari. Insuper vulgus a tali medicina tumultaria, quae praeconceptae opinioni de summa moderati caloris efficacia et necessitate e diametro opponitur, plerumque abhorret, atque una cum incredulis medicis qualemcumque infaustum exitum unice remedio adhibito adscribere non hæsitaret. — Denique in casu scarlatinae simplicis et benignae absonum foret anceps periclitari remedium, ubi tutiora exstant, rationalis therapiæ principiis multo magis adaequata. Quam ob rem a psychrolusia vel protinus abstinere, vel perfusionibus violentis simplices lotiones aqua frigida sive egelida faciendas, multo mitius agentes substituere, carumque usum, prudentissima eximiorum virorum Hegewischii, Henkei et Raimanni monita*

sequendo, ad paucos tantum casus debitis cautelis directum limitare, aptius nobis videtur consilium.

693. En potiores canones praticos, qui mendentis operam in psychrolusiae tentamine dirigere debent: 1) Illa tantum seligantur scarlatinae exemplaria, in quibus insigne et reale caloris animalis augmentum thermoscopii ope innotuit, ubi pertinax cutis ariditas ingratam acstus mordacis sensationem suscitat; simulque nervosa ciet symptomata, temulentiam, deliria, soporem, inquietudinem, subsultus tendinum etc., uti id in casu scarlatinae typhoideae accidit. — 2) Primis morbi diebus, excepto frigoris stadio, securius adhibetur, quam in decursu. — 3) Ea proportione, qua primis experimentis calor abnormis minuitur, aquam frigidam pro ulterioribus lotionibus cum egelida, vel tepida commutare oportet. — 4) Proclivitas in sudorem, inflammations topicae altioris gradus, dolores artuum rheumatici, atque manifesta indicia debilitatis verae usum perfusionum frigidarum prorsus vetant. — 5) Si cutis sordes transpirationi obstant, eas in omni casu aqua tepida abluere utilissimum erit. — 6) Lotiones ipsas, sive frigidae, sive egelidae fuerint, bis, terve in die instituisse sufficit, dummodo praesente medico debitum cum cautelis sicut; abstersum vero corpus acquabili lecti tempore erit fovendum.

694. Emolumentum, quod lotiones frigidae in scarlatina febre praestant, e generali super organismum vivum actione, atque e potioribus, quas

iste sub decursu processus exanthematico - contagiosi subit, mutationibus quadantenus concipi et explicari potest. Juvant autem multiplici titulo; etenim non solum calorem immodicum temperando funestas, quae inde scaturiunt, sequelas arcent, ipsiusque principii contagiosi, expansivis viribus excellentis, energiam infringunt, verum etiam cutis polaritatem invertendo imponderabilium et phlogisticorum secessui favent, quorum in penetalibus adcumulatio summa systemati nervoso damna parit, ea ratione immixuenda, qua morbosorum productorum eductio facilior facta, promovetur. Diaphoreticam balnei frigidi virtutem, dummodo e solio vix egressi tepido committamur lecto, quotidiana confirmat experientia. — Si porro perpendimus, sordibus et cuticulae hinc inde emortuae particulis ablutis mechanica, ut ita dicam, perspirationis obstacula amoveri, simulque processum inflammatorium in dermate mulceri, lotionum frigidarum non minus, ac egelidarum efficacia tanto facilius intelligetur.

695. Regimen diaeteticum exquisitum curam scarlatinae plurimum adjuvat, inque ipso convalescentiae stadio, ut funesti hydropis origo evitetur, maximi est momenti. Aëris temperies inter frigidam et calidam media, acquabilisque sit oportet. Damnosi influxus lucis, odorum, perflatust frigidi, et animi perturbationum sedulo vitentur. Lodices leves magis, quam culcita calefacentes convenient. Ad sitim, qua aegroti valdo-

pere vexantur, fallendam inserviant ptisanae refrigerantes, atque sorbitiones succis fructuum acidulorum cum saccharo ad gratam aciditatem temperatae. Cibi parca dosi praestandi. Ab irritamentis omnis generis abstinendum.

2. CURA SCARLATINAE ANOMALAE.

696. Si febris inflammatoriae gravioris symptomata cum cynanche, aut encephaliti conjuncta urgent, in venaesectionibus tempestivis et hirudinibus ad collum, vel retro aures adplicitis unica habetur salus. Eodem tempore dyscrasiam phlogisticam justoque vividiores arteriarum vibrationes emulsis nitratis et eccoproticis acidulis temperare fas est. Eminens sanguinis versus encephalon turgescientia metopiis frigidis, faucium incendum colutoriis emollientibus lenitur.

697. Comes saburra gastrica emeticis, vel catharticis evacuanda, quo praestito non raro ipsius febris scarlatinae impetus notabiliter infringitur. Pro diversa sordium natura ac tubi intestinalis conditione laesa, jam acidula, jam salina, vel rhabarbarina majori praezellunt virtute. Pituitam tenacem mercurio dulci, radici Jalapae nupto, expellendam suadet *Sauter u s* (1). Quandoque nervorum adfectorum signa unice a sordibus, primas vias obruentibus, originem repctunt, hisque excussis extemplo mitescunt; quo in casu praecipua requiritur medentis adtentio.

(1) Hufeland's Journal für die pract. Heilkunde. XII. B.
2. St. S. 80.

698. In scarlatina nervosa, seu typho-de ante omnia disquirendum est, utrum status nervosus a reali pendeat virium languore, an vero adcumulatio imponderabilium, atque sanguinis, inflammabilibus principiis onusti, congestio in capite vires vitales obruendo et opprimendo illusoriae debilitatis ac pessumdati systematis nervosi symptomata produxerit. — In primo casu, qui non nisi sub morbi decursu seniori locum habere potest, medicamina stimulantia diffusibilia, camphora, moschus, valeriana, serpentaria, liquor anodynus Hoffmanni, spiritus nitri dulcis, flores arnicae, sal volatile cornu cervi, et vesicantia in usum vocari debebunt. — Alter ex adverso casus, qui in praxi multo crebrior, ac primis jam scarlatinæ diebus contingere potest, e communibus debilitatis spuria, atque encephalitidis manifestae vel occultae signis dignoscendus, actuosam postulat methodum medendi antiphlogisticam et revellentem. Pertimescunt quidem nonnulli practici sanguinis missiones; Heimio tamen, Marco et propriis experientiis fidem habentes summam illis adscribimus praestantiam. Venaesectiones igitur, annuente virium statu et turgore universalis etiam repetitae, hirudines ad emissaria Santorini applicitae, potiones refrigerantes, refracta calomelanos doses et sinapismi praecipua erunt praesidia, quibus encephalon liberare, ipsumque exanthema sub tali rerum positione plerumque obsolete florrens, vel plane evanidum revocare licet. Hisce

vero incassum tentatis, ac persistentibus, imo crescentibus obruti encephali signis, de colluvie in ventriculis serosa suspicandum, quae toties funestum meningitidis scarlatinosae consectarium sistit. Nisi digitalis purpurea generose exhibita, mercurialia, et vesicantia quid praestent, lethalis evadit casus. Opii usum, a quibusdam propositum, semper ambiguum esse censemus.

699. Vix aliis in praxi existit morbus, in quo Brownii sectatores tantam mortalibus intulerunt eladem, quam in hacce scarlatinae anomalaे specie, quae fallacibus adparentis debilitatis signis adeo lubenter decipit, nisi maxima medicus utatur circumspectione. Imo suspicandum est, nefandam illam febris scarlatinae malignitatem, quae saeculi currentis initio inter homines incessit, plurimum in morbi informatione inepta, eique superstructa curatione perversa fundatam fuisse. Nostro enim aevo, quo Stieglitzii aliorumque medicorum monitis melior illuxit medendi ratio, medicamentorum utpote refrigerantium et alvum rite ducentium praestantia, scarlatinosa lues multo rariores mortes parare videtur.

700. Scarlatinae putridae iisdem occurrimus praesidiis, quae in cunctis aliis febribus, septico charactere pollutis, requiruntur. Cortex peruvianus, acida mineralia, naphthae, camphora, et vinum reliquis remediis, scopo cardiaco et antiseptico laudatis, palmam praeripiunt. Angli medici, qui, funestissimam hancce anomaliam in Mag-

nae Britanniae ditionibus haud infrequentem esse, adseverant, mercurio dulci eminentes tribuunt virtutes, quas tamen ob experientiae defectum confirmare non valemus.

701. Exanthematis deflexiones a tramite consueto particularem non depositant curam; earum enim proxima causa plerumque in mox adlatis anomaliis characteris febrilis latet, quae cardinales dirigunt indicationes therapeuticas. Id solum monuisse juvabit, scarlatinam universim eo minori stipari periculo, quo laetius exanthema floret; quapropter nil omittendum, quod repercussam efflorescentiam denuo revocare valet; ea enim ratione, qua processus morbosis ad peripheriam corporis figitur, centralia organa liberantur.

POSTHUMORUM CURA.

702. Inter morbos febribus scarlatinis succedentes, frequentissimus, uti jam monuimus, est hydrops, quem persaepe neque efficacissima praevertere valent remedia. Ut cura rite institui possit, omnium primo attendendum est, utrum hydrops activus, sive hypersthenicus, an vero passivus, seu asthenicus fuerit. Si ad hydropis, scarlatinam excipientis, nosogeniam, ac ad ejus symptomata, characterem inflammatorium sat clare indicantia, animum convertimus, etiam rationalis therapiæ indicationes absque difficultate intelligemus.

703. Omnis medentis intentio eo dirigenda erit,

ut serosus latex, in textu cellulari, vel cavis internis effusus, eliminetur, incitatio aucta vasorum capillarium exhalantium imminuatur, simulque cutis perspiratio suppressa promoveatur. Primae indicationi apprime respondent eccoprotica et diuretica mitiora, in primis nitrum, tremor tartari, tartarus depuratus, vel in casu pertinaci et continuo aquarum incremento scarificationes aut paracentesis *juxta* collectionis sedem; secundam indicationem expediunt refrigerantia quaevis ac diluentia, et si altior urgeat virium exorbitantiae gradus, vel plane manifesta vigeant signa inflammationis interraneae in meningibus, pleura, peritonaeo, venam tundere, vel saltem topicalam hirudinibus, loco patienti quam proxime adplicitis, depletionem efficere oportebit. Eximum similibus in casibus pharmacon largitur digitalis purpurea, quae eodem tempore, quo secrectiones infringit, viresque moderatur, urinas salubriter movet. Neque minorem in ejusmodi scarlatinac reliquiis utilitatem spondet mercurius dulcis, ad plura grana intra diem exhibitus, praesertim cum digitali conjunctus. — Scopo cutem perspirabilem reddendi, quae plerumque sicca et calida esse solet, diaphoreticorum leniorum proponitur usus, e quorum numero sambucina, acetum ammoniacale, vel refractae doses tartari emetici expeditiora sunt. Eis tamen palmam longe praeripiunt lotiones aqua egelida aut tepida, bis terve nycthemeri spatio repetitae, quarum tantam ex-

perti sumus in similibus hydropum casibus efficaciam, ut iis ferme solis colluviem serosam intra paucos dies dissipatam, omnemque curationis paginam absolutam viderimus. Neque difficile est, praestantiam hujus remedii, nondum sufficienter aestimatam, e pathogeniae principiis intelligere; ablutis enim sordibus, furfuribus et squamis regeneratae cuti adhaerentibus, quae transpirationem impediunt, superficie dermaticae munera ad pristinum restituuntur, eademque proportione exhalationes internae intra normales rediguntur cancellos. — *Hydrops cerebri acutus*, praeter mox adsignata paecepta, promptissimas fieri jubet revulsiones, quem in finem cantharidum stimulus optime quadrat.

704. *Hydrops passivi*, practicis etiam frigidicti, sive in prima jam origine tales sint, sive ex acutis neglectis, aut male tractatis proficiscantur, sicuti aliae hydropis species curari debebunt. Specialius laudantur: mercurius dulcis audacius et tamdiu exhibitus, donec salivationis primordia instent, cui, si hydrocephali signa adpareant, herbam belladonnae jungendam suadet Hufeland; oleum terebinthinae; tinctura cantharidum, praecipiente Buchholzio.

PROPHYLAXIS.

Raggi, de purpurae scarlatinæ prophylaxi. Viglev. 1809.

705. Quamquam optatissima foret cognitio cujusdam remedii, quod hominum dispositionem

scarlatinam contrahendi extinguere atque funestae hujus febris exanthematicae casum tuto praecavere valeret; ad hodiernum tamen usque diem inter pia pertinet desideria. — Plura quidem existant a variis auctoribus proposita; ast nullum adhuc adeo securum innotuit, ut vel a longinquo cum variolarum vaccinarum tutoria virtute comparari possit. Activitatem suam plerumque eo tantum limitant, ut in casibus infectionis jamjam praegressae, dummodo tempore debito adhibeantur, instantem morbum leviorem reddant.

706. *Emeticis* scarlatinae contagium aequa ac illud aliorum contagiorum obtundi posse, *Witheringii* in primis, et *Eichelii* (1) observationibus edocti sumus. Requiritur autem, ut mature adhibeantur; quam ob rem plurimum interest, morbi instantis signa rite cognoscere. Primam contagii suscepti conjecturam injiciunt: generales satellites, opportunitatis periodo morborum contagiosorum proprii; dolores lancinantes et signa inflammationis in faucibus, febricula, sudores insoliti, praegressum individui, scarlatinam nondum perpessi, commercium cum aegris eodem morbo afflictis; epidemicum luis ipsius dominium.

(1) *Hufeland's Journal.* XIII. B. 4. St. S. 79.

707. *Mercurius dulcis*, scopo scarlatinae decursum mitigandi, a Cel. Kreysig (1) insigni laude elatus, quem Thuessink cum sulphure aurato antimonii combinandum suadet, nimis lentas provocat in organismo reactiones, quam

ut vomitorii anteponi possit. Minorem adhuc fiduciam reponimus in diaphoreticis, ab Eichelio⁽²⁾, in acidis mineralibus, a Neumanno⁽³⁾ et Masio propositis, nec non in pipere cayensi, quod Anglus Headly ad scarlatinam anginosam malignam praecavendam summe idoneum esse testatur⁽⁴⁾.

(1) Hufeland's Journal. XII. B. 1. St. S. 1. et XVI. B. 1. St. S. 13.

(2) Acta regiae societatis medicae Havniensis. Tom. II. p. 42.

(3) Neumann, Aufsätze und Erfahrungen für Aerzte. 1802.

(4) Journal der ausländ. med. Literatur von Hufeland, Schreger und Harles. Julius 1802. S. 82.

708. Ast paradoxam prorsus nullisque experientiis veridicis confirmatam methodum prophylacticam sistit ea, quam Hahnemannus nuper proposuit, scarlatinam belladonnae dosibus summe refractis praecaveri posse, defendens⁽¹⁾. Juxta auctoris mentem succus belladonnae expressus in aqua solvitur ea proportione, ut quaevis gutta, ad hunc usum praescripta, grani unius particulam $\frac{1}{24000}$ am belladonnae contineat!! Dosin secundum aetatis diversitatem jubet variam, et per triduum guttas duas usque ad quadraginta sumendas permittit.

(1) Hahnemann, Heilung und Verhüthung des Scharlachfiebers. Gotha 1801.

709. Securissima prophylaxis in coercendis contagionis scarlatinosaे gressibus, cuius tanto major esse debet cura, si morbus malignum ostendit ingenium, in eis unice quaerenda erit

praesidiis, quibus diffusionem contagiorum cuiusvis generis refraenare solemus, jam suo loco fusiūs addictata.

6. RUBEOLA.

O r l o v i i, Programma de rubeolarum et morbillorum discrimine. Regiomont. 1758.

S t r o h m a y e r, Diss. de rubeolarum et morbillorum differentia. Goett. 1806.

H e i m, Bemerkungen über die Verschiedenheit des Scharlachs, der Rötheln und Masern in diagnostischer Hinsicht. — In **H u f e l a n d's Journal der pract. Heilkunde**. B. VII. St. 3. 1812.

G a l l i s c h, tractatus de rubeola. Viennae 1823.

710. Medium inter morbillos et scarlatinam exanthema recentiores rubeolam (Rötheln, Feuermasern) nuncupant, ob rubrum quem offert colorem. In ejus natura determinanda plurimum dissentunt auctores, ac ideo etiam nomine rubeolae promiscue utuntur, modo morbillis (Willan et Batemann), modo aliis exanthematum speciebus dicato. Neque in Gallico vel Italico idiomate propriae pro morbillis et rubeolis indicandis exstant voces; Rougeole enim Gallicum, et Rosolia Italorum utriusque indiscriminatim tribuitur aegritudini.

711. Jam Arabes medici, exactissimi illi morborum exanthematicorum observatores, rubeolam nomine Hhamikah, quod betam rubram significat, notarunt. — Rhazes primus fuisse videtur, qui rubeolas, ab ejus traductore blactias dictas, ceu maculas super cutem non elevatas,

tumorem erysipelaceum offerentes, ac tertio morbi die comparentes describit. **A v i c e n n a** eas (**Hhamikah**) medium inter variolas (**Dschadari**) et morbillos (**Hhasbah**) locum tenere asserit. **Ali Abbas** vesiculas miliformes rubeolis tribuens, has a morbillis distinctas esse vult.

Werlhof, de Variola et Anthrace. p. 63.

Sprengel, pragmat. Gesch. der Medicin. 5. Th. S. 439.

712. Serior rubeolarum historia cum illa scarlatinae plurimum confunditur, ita ut observatio-nes ab **Ingrassia**, **Foresto**, **Ballonio**, **Sennerto** et **Gohlio** traditae ad unam aequem ac alteram exanthematis speciem facile referri possint, tum ob descriptiones nimis breves et mancas, tum ob diversas ac saepe arbitrarias eorundem verborum versiones.

713. Versus finem saeculi praeteriti, **Selli** o-
praeunte, qui primus morbillos et rubeolas se-
paratim descriptsit, ultimisque decenniis saeculi
praesentis Germani medici ad exactiorem morbi
cognitionem plurimum contulerunt, exactissimas
epidemiarum rubeolosarum observationes colli-
gendo. **Ziegler** (1), **Reil** (2), **Fielitz** (3),
Jahn (4), **Hufeland** (5), **Schaeffer** (6),
Formey (7), **Fleisch** (8), et **Heim** (9) insig-
ne hoc intuitu sibi compararunt meritum.

(1) G. F. A. Ziegler, Beobachtungen aus der Arzneywissen-schaft etc. Leipz. 1788.

(2) Reil, Memorabilia clinica. Vol. II. p. 12.

(3) D. Fielitz jun., Beobachtung einer Röthel-Epidemie. In Hufeland's Journal IV. B. 2. St. S. 199.

- (4) Jahn, Neues System der Kinderkrankheiten, S. 446.
- (5) Hufeland's Journal 1811. Junius. S. 15.
- (6) Schäffer, Beschreibung und Heilart der gewöhnlichen Kinderkrankheiten. Neue verb. Aufl, Regensb. 1803.
- (7) Formey's Topographie von Berlin. 1796.
- (8) Fleisch, Handbuch über die Krankheiten der Kinder etc., Leipz. 1803 — 1808. B. 2. S. 200.
- (9) Oper. cit. p. 60.

714. **S t a d i u m f e b r i l e.** Rubeolam consueta ordiuntur phaenomena febrilia et catarrhosa, quemadmodum in morbillorum et scarlatinae initio observantur: narium destillatio, oculorum rubor, cephalaea frontalis, illacrymatio, tussis, aestus universalis et cutis ariditas. Quandoque dolores rheumatici, vomendi conatus irriti, somnolentia, capitis gravedo et oculorum pruritus rubeolas jam diutissime antecedere, observatum est. Constantissima vero esse solet angina faucium inflamatoria in tonsillis et velo pendulo palatino sedem figens, quae non nisi in levissimo morbi gradu deficere videtur. Praecipiente Heimio aegri eundem spirant odorem, quo scarlatina aegrotantes dignosci possunt, talem utpote, qualem perguiae macelliorum, vel vivaria animalium fercium eructant.

715. **S t a d i u m e r u p t i o n i s.** Die tertia, vel quarta exanthema erumpit in integro corpore uno quasi ictu, parcius tamen in facie, cuius duplex notatur forma; nunc enim maculae adparent rubrae angulis obtusis et irregularibus circumscriptae, quoad diametrum lineam unam, vel

unam cum dimidia metientes, per omnem decursum discretae; nunc vero maculae rubrae ambitum, nec finibus circumscripsum, offerunt, panicci miliaris seminis dissecti molem aequant, et cum illis insignem similitudinem habent maculis, quales ab atramento rubro, e calamo scriptorio demisso, in charta tenui et antea humectata relinquentur, a centro versus peripheriam, sensim pallescentes. In morbo simplici et benigno exanthema rarum et distinctum, in graviori uberrime diffusum esse consuevit, ipsaeque maculae multo maiores, lineas duas fere aequantes invicem confluent, atque jam altero ab eruptione die totius corporis ambitum intenso et fere aequabili tinguunt colore. Facillime tunc rubeolae cum scarlatina vera commutari possunt, a qua sequentibus differunt notis: quod puncta illa rubra, exanthemati scarlatino aliena, in locis digito impressis albescunt, ocissime tamen in conspectum veniunt, et rubedinem a centro versus ambitum recuperant; quod rubor generalis, scarlatinam aemulans, post biduum jam evanescit, superstitibus solum rubeolarum maculis; demum quod exiguac prorumpunt phlyctenae miliformes, asperam reddentes cutem, paucotamen eoque densiusculo et albido latice farctae. Increbescunt durante eruptionis opere phaenomena stadii primi, imo et alia gravioris momenti haud raro superveniunt, uti deliria, convulsiones, vomituritiones, tussis molesta, angustiae pectoris, raucedo, vel aphonia.

716. *Stadium florescentiae.* Postquam totum erupit exanthema, quod plurimum intra 24 horas fieri solet, per sex vel etiam decem dies floret, adsignatam retinens formam, quo tempore symptomata anginosa et febrilia notabilem patiuntur imminutionem, nisi anomaliae gratia cynanche faucium recenter ingravescat.

717. *Stadium desquamationis.* Eadem ratione, qua exanthema pallescit ac dissipatur, desquamatio successivo subintrat passu decima circiter ab incipiente morbo die, omnisque febris unacum angina cessat sub consuetis signis criticis, sudoribus, urinis hypostaticis, vel etiam epistaxi. Desquamatio e centro cuiusvis maculae exit, et forma subrotunda, quasi stellata terminatur, pruritus ingrato sensu destituta. Secedit solummodo cuticula, quac maculas tegit, nequaquam vero intermedia istis, prouti id armato evincitur oculo. In manibus et pedibus quandoque laciniarum forma decidit, quae tamen nunquam ita amplae, ut in scarlatina, observantur.

718. Infausto sub omniere rerum rubeola vel mortem parit, et quidem iisdem rationibus ac morbillus, aut febris scarlatina; vel vero posthumis terret, ambiguam aegri sortem reddentibus, quae inter hydrops anasarca et metastatici glandularum tumores potiores esse consuecant. — Pervicacem aliquoties tussim, insultibus asthmaticis et aphonia junctam, rubolas excipere,

atque phthiseos trachealis casum mentiri vidi-
mus, quae mala, tandem solutis ac ejectis sub-
tussis clangosae impetu pseudomembranis et con-
crementis lymphatico-puriformibus, salutis redi-
tum non vetuerunt.

719. Rubeolas nequaquam adeo insontem ad-
fectum esse, ut quidam arbitrabantur, funesta-
rum epidemiarum exempla evicerunt, insigni sub-
inde cum malignitate saevientium. Ex harum nu-
mero fuerunt epidemiae indole putrida ingraves-
centes, quas Selle exacte descriptis (1), et de
quibus Formey notitiam praebuit, insignem Be-
rolinensibus lethalitatem inferentes (2).

(1) Neue Beyträge zur Natur- und Arzneywissenschaft. 1 Th.

(2) Topographie von Berlin, S. 169.

720. Plerique auctores in eo conveniunt, quod
rubeolae contagiosam sistunt luem, atque hoc in-
tuitu ad unam eandemque febrium loimicarum
prosapiam pertinent; — dissentiunt tamen inter
se de morbi penitiori natura et essentia informan-
da. Nonnulli enim, Hufelandio, Schäffero,
Formeyo et Heimio praeuntibus, rubeolas
scarlatinae varietatem declarant; Kapp, Wich-
mann et Reil potius morbillis ad finem adfec-
tum esse arbitrantur. Alii denique medici, uti
Ueberlacher, Jahn et Fleisch nullas in-
ter rubeolam, scarlatinam morbillosque differen-
tias essentiales admittunt.

721. Rubeolam saepe saepius scarlatinae om-
nino germanum exanthema esse, evincunt faucium

inflammatio, rubor cutis intensus, desquamatio-
nis modus, odor specificus, quem aegrorum trans-
piratio spargit, nisus in hydropem, et contem-
poralis utriusque exanthematis in variis ejusdem
loci individuis adparitio. — Non minori tamen
fide dignae sunt observationes rubeolarum, mor-
billis potius adfinium; etenim praeter quod, te-
ste Reilio, symptomata catarrhalia graviora,
istis propria: coryzam, tussim, illacrymationem
oculorum et raucedinem, nec non exanthematis
formam cum maculis segregatis obtulerunt, iisdem
saepe in locis et temporibus emicuere, quibus
morbilli epidemice debacchabantur, uti id nuper
in agro Ticinensi compertum habuimus. —
Auctores autem, rubeolas semper scarlatinae
varietatem esse, defensuri, praeter hasce ob-
servationes inconcussas validissimum adhuc ob-
staculum in historiae monumentis experiu-
tur; convenient enim principes historici, scar-
latinam recentioris aevi morbum esse; rubeo-
larum contra vestigia jam apud antiquos Arabes
inveniri.

722. Hisce rite pensatis, si nostram fa-
teri licet opinionem, rubeolas neque exan-
thema sui generis, neque constantem modifica-
tionem solius scarlatinae, sed varietatem hybri-
dam nunc istius, nunc morbillorum agnoscimus,
quod inconstans morbi forma modo ad hoc, modo
ad illud exanthematis genus inclinans confirmare
videtur. Tali pacto nonnisi parum ab illa sen-

tentia deflectimus, quam Cel. Reil et Marcus tuentur; prior enim rubeolis intermedium locum inter febrem scarlatinam et morbillum adjudicat; alter similem inter utrumque exanthema statuit relationem, qualis inter variolas veras et spurias viget.

723. Quaenam vero sint causae ejusmodi modificationis, et quidem haud raro eo intuitu constantis, quod sub epidemica diffusione suam conservat formam, — quin igitur in matricem relabatur aegritudinem, — huicdum determinari nequit; licet suspicandum sit, atmosphaerae et anni temporis conditionem plurimum contribuere. — An fors accidentalis copula somitis morbillosi et scarlatinosi, cum unius alteriusve exsuperantia, ad hybridam hancce contribuit genesin?

724. Cura rubeolarum cum illa adfinium exanthematum ad unguem collimat, praevalens enim febris comitis character omnes dirigit indicationum paginas. Diaphoretica multo majorem in hocce affectu, quam in scarlatina, utilitatem spondere, ac omnibus morbi temporibus convenire, plerique testantur practici. — Superstes tussis chronica, asthma stridulum et aphonia refractis pulveris Doweri dosibus, mercurio dulci et vaporibus emollientibus ore exceptis tutissime dissipantur.

γ) CONTAGIA METHYSTICA.

7) TYPHUS CONTAGIOSUS EXANTHEMATICUS.

J. Val. v. Hildenbrand, über den ansteckenden Typhus.

Nebst einigen Winken zur Beschränkung oder gänzlichen Ausrottung der Kriegspest. Zweyte echte Aufl. Wien 1815.

— Traduct. ital. D. Althamer et Berti. Veron. 1817.

Ph. K. Hartmann, Theorie des ansteckenden Typhus und seiner Behandlung. Wien 1812.

Uebersicht der Schriften, welche in den Jahren 1815 und 1814 über die Kriegspest in Deutschland erschienen sind. In Hufeland's Bibliothek der pract. Heilkunde. 1814, 1815, 1816.

J. Reuss, Wesen der Exantheme. 1. Theil: Das Flecksfieber oder die Kriegspest. Aschaffenb. 1814.

Armstrong, practical illustrations of typhous and other febrile diseases. Lond. 1817.

E. Percival, practical observations on the treatement, pathologie and prevention of typhous fever. Lond. 1819.

Hufeland, über die Kriegspest alter und neuer Zeit. Berlin 1814.

F. E. Acerbi, Dottrina teorico-pratica del morbo petechiale. Milano 1822.

A. Omodei, del governo politico-medico del morbo petechiale. Milano 1822.

725. Morbus acutus, febrilis, contagiosus, exanthemate proprio ac eminenti systematis nervosi passione stipatus typhi contagiosi nomine nobis insignitur, quod a pie defuncto patre et moderatore, in hocce morbi genere versatissimo introductum, plurimis postea melioris notae medicis arrisit. — Competit ei typhi compellatio, quatenus stupor capitis, et temulentia, Graecorum $\tauυφός$, (fumus, caligo) adeo constans praebet symptoma, ut aegritudinem a primo ex-

ordio ad seram usque convalescentiam comitetur. Cum vero plura extent febrium nervosarum specimina, quibus simile capitis gravamen adsociatur, contagiosum dicere oportuit; tali enim epitheto non solum modus originis; verum etiam processus ille morbosus sui generis, qui essentiam constituit, apprime indicatur. — Ut ab aliis typhi speciebus pariter contagiosis distinguatur, anthracico utpote et icterode, typhus contagious nostras, Europaeus, communis, seu exanthematicus dici poterit.

726. Character febris hujus, si non per totum decursum, saltem in principio semper inflammatorius, topicae affectiones ejusdem naturae in dermate et membranis mucosis, sub forma dermatitidis exanthematicae et phlegmhymentidis, atque origo e proprio miasmate contagioso abunde vindicare valebunt locum, quem typho contagioso in nostro systemate nosologico dicavimus. — Spectat omni jure ad familiam naturalem exanthematum acutorum contagiosorum, quibuscum notas generaliores prorsus communes habet; distinctam vero efficit speciem ob adtributa quaedam particularia, quae inter exanthematis forma et passio typhodes principalia sunt.

ANTIQUITATES.

727. Prima typhi contagiosi vestigia ad canam usque porriguntur antiquitatem. — Pestis illa Graccis perquam calamitosa, quae ex Aethiopiac

finibus Lybiam primum, aliaque loca pervadens, Athenas demum, earumque suburbanum Pyracum adgressa est, quae contagiosa adeo, ut nemini parceret, adeo truculenta, ut, quos correisset, raperet ferme omnes, ea, inquam pestis a Thucydide graphice depicta, veluti Eridis pomum, diversissimas sane concitavit conjecturas. Malfatti enim eam scarlatinam; Odier morbillos malignos; Scuderi variolas, atque Sprengel pestem bubonicam declaravit. Ast nil nisi typhum nostrum contagiosum fuisse, ad insolitum tantum malignitatis gradum evectum, contra scepticos adversarios eximius ob priscam eruditionem Wawruchius in pretioso suo tentamine ad unguem evicisse videtur (1). — In libris Hippocraticis non minus ac in Galeni commentariis frequens typhi mentio fit; quod si vero singulae descriptiones cum morbi imagine, proati ea nostris innotuit temporibus, non omnino collimant, id potius vago vocis significatui, atque minori medicorum veterum in morbis loimicis rite distinguendis et illustrandis curae adscribi debet, alibi enim jam monuimus (§. 166), veteres historicos hoc intuitu medicis longe exactiores fuisse. Ita v.g. funestam pestilitatem, quae inter Carthaginenses, Syracusas obsidentes, desecavit, typhum contagiosum fuisse, e Diodori Siculi descriptione facile colligitur.

(1) Wawruch, Tentamen pathologico-medicum sistens antiquitates typhi contagiosi. Viennae 1812.

728. Saeculo VI Aëtius de maculis, culicum morsibus simillimis mentionem injicit, quae febres malignas et pestilentiales comitantur. Apud Arabes Arrasin et Avicennam, nec non apud Actuarium, qui medio saeculo XIII vixit, analogae leguntur observationes de stigmatisbus, febres gravissimas comitantibus, quae cum pulicum puncturis comparant. Quum autem adeo obscuri fuerint illorum temporum medici in exanthematibus describendis, debitamque neglexerint solertiam in colligendis characteribus, e quibus aegritudinum exanthematicarum diagnosis exactior desumi posset, nil mirum est, tantam inter historicos senioris aevi ortam fuisse discrepantiā, quorum nonnulli morbum, de quo sermo, antiquis omnibus abunde cognitum fuisse, arbitrentur, alii vero contrarium defendant (1). — Sitamen perpendimus, typhum contagiosum adeo fidelem tumultuum bellicorum socium esse, ut vix apertis praeliis funestus ille ac insidiosus hostis jam a tergo delitescat, neotericis propterea omni jure pestis bellica nuncupatus; et si demum mentem ad cunctas illas convertimus noxas, inconcussis observationibus evictas, quae typhum primario generare possunt, ac generi humano omnino coaevae dici debent, ad priorum sententiam, quam caeterum valentissimi viri, uti Pringle, Triller, Gruner, Rasori, P. Frank tinentur, potius inclinandum esse, quivis libenter concedet.

(1) Omodei, Op. cit.

729. Princeps illius dissensionis ratio latere nobis videtur in eo, quod debita inter typhum contagiosum (morbun semper autonomum) et petecchiam (exanthema mere parasiticum) distinctio fuerit neglecta. Quum autem petecchiarum nomen nonnisi seniori aevo, et quidem omnium primo temporibus Fracastorii occurrat, hinc etiam illi medici, qui typhum contagiosum cum febre petecchiali confundunt, hunc morbum novum esse, veteribusque ante saeculum XV prorsus ignotum, crediderunt.

730. Clariores typhi contagiosi notiones non nisi apud scriptores saeculi XV inveniuntur, quo tempore (circa annum 1478) morbus hicce, periculi plenus, maximam Italiae partem peragravit. Ejus testes fuere Marsilius Ficinus, Elias Cavriolus, Hieronymus Ghilinus, Murratorius atque Bernardus Orsellus, ut id perdocte disquisivit Omodeius. — Pestem typhosam, ab anno 1505 ad 1528 sub nomine peticulae per Italiam grassatam, Fracastorius claris indicavit notis. — Illae vero descriptiones, quas Coyttarus de febre purpurata epidemica A. 1557 per Galliam diffusa, atque Octavianus Roborelus de simili lue, Tridenti 1591 populariter debacchata tradiderunt, adeo pulchrae et exactae sunt, ut neotericis nonnisi pauca eis addenda remanserint. — Singularem quandam attentionem merentur sequentes pestilentiae, c. quarum descriptione typhi maligni

imago facile eruitur: Pestis, quae A. 1552 exercitum Imperatoris Caroli V. adflicxit, a Gratiolo notata; — alia, quae nomine febris pannonicae A. 1566 in Hungaria erupit, et cuius Sennerthus meminit; — quae annis 1613 et 1652 in Danimarcā grassabatur; — denuo alia, quam Turcorum exercitus A. 1688 post Vindobonae obsessionem per Hungariam diffuderunt, — atque illa durante Borussorum bello 1757 — 1759 per totam Germaniam et Bohemiam divulgata, quam Glaser et Hasenöhrl egregio calamo descripserunt (1).

(1) Val. v. Hildenbrand, vom ansteckenden Typhus, S. 25.

731. Lugubris tandem adhuc memoriae sunt insignes illae strages, quas typhus contagiosus mox elapsis decenniis edidit, eodem fere passu, quo victrices Gallorum cohortes maximam pervaserunt Europae partem, super plerasque provincias diffusus, ipso bello vix non maiores pariens calamitates. Ast medici φιλάνθρωποι hancce occasionem non praetermisserunt, ut maximam morbo illustrando et felicius curando contribuerent spartam, atque e funestis concivium mortibus posteritatis duntaxat vitam tutius servarent.

DIVISIO PRAEVIA.

732. Ut recta concipi possit morbi idea, typhum ante omnia in primigenum, et illum, qui e communicato contagio contrahitur, dirimere necesse est. — Typhus per

contagium communicatus ille dicitur, qui hominem perfecte sanum adgreditur, vel aliis etiam supervenit aegritudinibus, quin tamen cum istis in causali existat nexu, sed qui suam originem intus suscepto - miasmati contagioso debet, aliisque individuis per eundem fomitem vi morbi regeneratum, communicatur. — **T**yphus originarius contra sub concursu circumstantiarum propitiarum ex alio progerminat morbo febrili, ergo nunquam in prima origine c contagioso nascitur somite, eum tamen in suo decursu producit, ejusque ope ad alias transferri potest homines. — Primus itaque semper primarius, secundarius alter erit. — Ab hisce typhis, similibus quoad naturam et formam, atque originis modo tantum discrepantibus, distinguatur, oportet, **t**yphus symptomata, qui una cum aliis phaenomenis nervosis sub decursu febrium nervosarum et asthenicarum evolvitur, e longe diversis causis proficiscitur, per contagium non divulgandus.

HYPOTYPOSIS.

a) TYPHUS IN DECURSU REGULARI.

733. Ab infectionis momento, quod plerumque aegrorum attentionem effugit, aegri prima præludia salutis laesae percipiunt, e quibus tamen morbi futuri indolem nullatenus determinare, sed simplici tantum conjectura adsequi valemus, si commercium cum aegris eadem labi infectis prac-

cessit; sunt enim nonnisi generalia symptomata, quae opportunitatis, sive prodromorum stadium (infectioni et invasioni febrili intermedium), a tribus ad septem dies duraturum comitari solent, uti morositas, dysphoria sui generis, sensus caloris ferventis interni, languoris et defatigationis, oppressio ad scrobum cordis, adeptentiae imminutae, temulentia, inquietudo, tremor artuum, atque subsultus transitorii, quales ab electrico fluido concitantur.

734. **S t a d i u m i n v a s i o n i s.** Lassitudo insignis ac frigus variae intensitatis, consuetis symptomatibus sociatum; et quidem jam horror vehemens paucarum horarum, modo horripilationes vagae cum calore alternantes, ad sex vel et duodecim horas protractae, quandoque per aliquot dies redeuntes, primum febris typhosae ingressum patefaciunt.

735. **S t a d i u m i n f l a m m a t o r i o - c a t a r r h o s u m.** Praeter consuetos aestus febriles atque incitationis vasorum, ultra normam exaltatae, satellites, typhum in hocce stadio distinguunt symptomata catarrhosa, typhus in stricto vocis sensu, et exanthema proprium. — Passionem membranarum mucosarum, — quo intuitu typhus contagiosus cum omnibus febribus contagiosis apprime collimat, — indicant: oculorum rubor et suffusio, illacrymatio, narium siccitas vel oppilatio, secretio muci ab initio tenuis, serius tenacioris, et ab aëris contactu saepe in cru-

stas coëuntis; interdum levis irritatio in faucibus, ad tubas Eustachianas, vel tracheam propagata, unde difficultas deglutiendi, syrinx, raucedo; tussis cum sputis mucosis, oppressio pectoris, aliqua bronchitidis aut peripneumoniae signa; lingua alba, sapor oris pravus, nausea, vomitus materiae pituitosae, tormina, cœu effectus irritationis membranae mucosae, quæ tubum alimentarum amicit. — Symptomata cephalica eminent ab omni initio, ac morbum per totum decursum comitantur, videlicet: capitis gravedo, *καρεβαρια*, temulentia et stupor, qualis ab ebrietate, vel narcoticorum majoribus dosibus induci solet, capilenum, vertigo, quandoque acutæ cephalaea, nunc levis desipientia transitoria, nunc delirium magis permanens, nunc proclivitas ad somnum et sopor, quæ molestiae haud raro spontaneo sanguinis enaribus stillicidio mitigantur. — Quarta circiter die cutis in solitum acquirit ruborem et turgorem (erythema), atque clara in pectore, dorso, extremitatibus, rarius in facie adparent exanthematis indicia, cui nomen *purpurae typhosa* a *impertire* non displiceret. Consistit illud in maculis planis, plus minusve rotundis, inter se confluentibus, quoad figuram variegato marmori simillimis, purpureis, sub compressione evanescentibus, quibus persaepe papulae rubicundae, aut phlyctaenæ albicans intermiscentur, unde insignem cum rubeolis aut morbillis analogiam contrahit. Quandoque una cum hocco exanthe-

mate typhoso petecchiaie emicant, eo distinctac, quod ceu parvae sugillationes subcutaneae sub dito premente nullatenus disparent; alias pari tempore parotides intumescunt.— Reliquis majoris momenti phaenomenis adnumerari merentur: faciei turgor; cutis inaequaliter transpirans; urinac parcae, saturae, sub mictu ardentes; tensio, vel obtusus dolor ad hypochondrium dextrum; nausea et vomitus absque saburrae indiciis; dedolatio lumborum, et artuum languor, invincibilis ad motum inertia; tensiones dolorificae in suris et phalangibus digitorum; pulsus veloci, pleni, plurimum suppressi, ergo cum praevalente arteriarum diastole. Omnis symptomatum syndrome, characterem inflammatorium clare indicans, ad septimum usque diem eadem ferme intensitate persistit, nisi ordinarias exacerbationes vespertinas et remissiones mutatinas, nec non leve illud molestiarum catarrhalium, in primis pectoralium decrementum, quod exanthematis eruptione induci solet, excipere velimus.

736. *Stadium nervosum.* Absoluto primo cyclo septenario, quem plerumque solemnis exacerbatio et incompleta crisis claudit, forma morbi essentiali patitur mutationem, ita quidem, ut symptomatibus inflammatoriis, catarrhosis, et exanthematicis notabiliter infractis, vel maximam partem extinctis, nova ferme, prioribusque multo iniquior, malorum caterva oboriatur. Est autem systema nervosum, quod nunc eminent-

ter pati incipit, unde etiam hujus stadii ad $1\frac{1}{4}$ ^{am} diem usque perdurantis denominatio vindicatur. Aestus febrilis mirum in modum crescit, aegrisque tanto molestior evadit, quod ariditas cutis ipsarumque tunicarum mucosarum necessario imponderabilium secessui renititur, unde mordax manui tangentи sese offert calor. Loco symptomatum catarrhalium siccitas linguae et membranac Schneiderianae subinrat; nares ab indurato muco et crux fuliginosae adparent, atque dentes ob eandem rationem nigricante cooperiuntur sorde. Exanthema obsolescit; cutis arida, rugosa, ferme squamosa, pergamenae haud absimilis evadit, solae petecchia, si quaedam jam prius adfuerint, persistunt. — Passiones cephalicae primi stadii intenduntur, ac recentes superveniunt; sensus externi hebescunt; sensorium commune internis continuo laccessitur impressionibus, unde delirium diversum, gestus inconcinni, fixis ideis respondentes, inquietudo, jactatio, nisus lectum deserendi, crocidismus, carphologia, conscientia protinus sublata, inscitia omnium, quae contingunt, oblivio sui ipsius, quandoque impetuosus voluntatis nisus; sub omnibus tamen hisce efficientiae cerebralis deflexionibus species temulentiae, stuporis adtoniti ac somnolentiae continuo viget, unde peculiaris exsurgit delirii forma, cum somnambulismo haud inepte comparanda, quam typomaniam nuncupamus. Status animi in aegris, typho gravatis, plerumque singularem offert apa-

thiam et adiaphoriam fere stupidam, ita ut non solum psychicum commercium cum rebus externis sublatum sit, verum etiam potiores cupidines et instinctus naturales protinus langueant, unde fit, ut aegrotantes sub urentissimo saepe aestu nullum quaerant potum, quem tamen avide hauriunt, ubi eis propinatur. Ex eodem forte encephali obruti, atque infractae conductionis imponderabilium et phlogisticorum principiorum per cutem aridissimam alius quoque generis phaenomena nervosa pullulant, uti saltus tendinum, tremores, convulsiones, dysphagia spasmodica, singultus, vomitus, meteorismus, cystispasmus, enormis virium muscularium languor, insuperabilis ad motum pigritia, decubitus neglectus. — Haecce syndrome symptomatum nervosorum interdum quidem ex debilitate vera proficiscitur, quam in primis pulsuum respondens conditio, atque emolumentum a stimulorum usu confirmant; multo tamen crebrius causa proxima in systemate nervoso obruto, viriumque vitalium actionibus suppressis quaerenda est, ipsi enim pulsus pleni, modice fortes, vibrantes, una cum signis turgoris et orgasmi universalis, nec non congestionis conspicuae ad caput, spuriam ac mere fictitiam debilitatem esse evincunt, talique pacto summam inter typhum contagiosum, ebrietatem et narco-sin toxicam demonstrant adsinitatem, ex ipso habitu et physiognomia aegrorum haud difficulter dijudicandam. Sub suetis exacerbationibus vesper-

tinis, quae imprimis die decima, undecima ac decima tertia ad altiorem evehuntur vehementiae et periculi gradum, hocce stadium secundum explet cyclum septenarium.

737. **Stadium criseos.** Quandoque jam undecima, in plurimis tamen casibus die decima quarta, postquam gravior praecesserat perturbatio febrilis, calore urente, turgore, pulsuum vehementiori micatu ac soporoso statu comitata, criticae in propatulum veniunt evacuationes. Sicca antea superficies narium, linguae et faucium humescit; coagula muci indurati, parietibus choanarum pertinaciter adhaerentis, separantur; arida mollescit cutis, ac benefico irroratur sudore aequabili, vaporoso, odoris specifici; haud raro recens suboritur epistaxis; quibusdam sputa mucosa, facile prodeuntia, pectoris molestias sublevant; urinae fluunt saturae, a mictu turbidae, sedimentum deponentes furfuraceum, albidum aut rutillum; reseratur denique et ipsa alvus, secedentibus excrementis liquidis, vel pultaceis, cum instantaneo saepe aegrorum solamine. Cunctae hae crises partim idiostaticae, partim apostaticae adeo solemne in nonnullis casibus adferunt decrementum, ut uno quasi ictu tota phaenomenorum morbosorum series truncetur, atque aeger, ante horas in limine mortis versans, ad novam fere revocetur vitam.

738. **Stad. decrementi.** Pro diversitate criseos nunc solemnis, nunc minus decisivae decli-

natio morbi plus minusve prompta esse consuevit. Omnium primo franguntur symptomata graviora, cephalica utpote, et nervosa; aegri veluti e profundo evigilantes somno, vel ex ebrietatis verno revocati pristinam recuperant conscientiam, ante actorum plerumque immemores, disparet animi indifferentia et incuria, cuius loco singularis evolvitur sensilitas moralis, in tenerrimos affectus gratitudinis, amoris et commotionis proclivitas; vultus et oculi hancce animi hilaritatem et serenitatem spirant; componuntur venarum salientium micatus, reddit ciborum adpetentia. — Ast remanet adhuc sensus lassitudinis, cita post minimum motum defatigatio, pallor faciei, capitis gravedo, temulentia quaedam, obauditio, susurrus aurium molestus, mentis aliqua imbecillitas, somni cupido, alvus pigra, sudatio facilis. Tali sub rerum statu indies meliorescente septem dies consumere solent, quibus posthumae adhuc continuant crises, ultimas morbi reliquias abi-gentes.

739. *Convalescentia.* Aegritudine funesta protinus dissipata generalia adhuc remanent salutis, nondum ex integro firmatae, signa, quibus tamen nonnulla particularia adhaerent phaenomena, cum specifica morbi vix exantlati natura intime nexa. Cutis flaccida et rugosa epidermidem, furfurum forma secedentem, deponit, defluunt capilli, ipsique ungues vegetius reproducuntur. Resuscitant cupidines, adrident res quondam

gratae, ac prae caeteris ciborum adpetentia ad indomabilem usque intenditur voracitatem; alvus muneribus suis segnius respondet; in feminis pro rato tempore retinentur menses. Post aliquot septimanas perfecta non solum recuperatur functionum integritas, verum etiam firmior saepe priori adducitur salus, ita ut juvenes alacriter increscant, macilenti pinguescant, ac valetudinarii a variis incomodis, hydrothorace, arthritide, hysteriasi fausto omne liberentur.

b) TYPHUS IN DECURSU ANOMALO.

Wedemeyer, über die Erkenntniss und Behandlung des Typhus in seinem regulären und anomalen Verlaufe. Halberst. 1814.

740. *Subjecti constitutio prava, genius epidemiae dominantis, atque concursus circumstantiarum accidentalium haud raro typhi contagiosi incessum a sueto tramite eum in modum detorquent, ut mox praecipitetur, mox retardetur, vel plane extraordinariis inquinetur symptomatis, e contemporali diversorum systematum organicorum, vel singulorum organorum passione oriundis. Potiores tantum, practico medico maxime momentosas, anomalias breviter addictare juvabit.*

741. *Typhus inflammatorius. Quamvis typho contagioso character inflammatorius adeo constans sit, ut ad ejus essentiam spectet, nunquam tamen in decursu normali certum quendam vehementiae gradum excedit. Si igitur fe-*

bris angiostenica ad altiorem evehitur potentiam, vel si graviores in variis organis evolvuntur phlegmasiae, quas inter encephalitis sub dupli forma delirii aut soporis, parotitis, peripneumonia cum pleurodyne et haemoptysi, hepatitis et enteritis communiores esse solent, typhum *κατ'* *εξοχήν* inflammatorium compellamus. Ejusmodi typhi contagiosi anomalia, — cui rigida bruma, aegri plethorici, juvenis, torosi, vel crapulis dediti conditio, atque stimulorum incongruus usus p[re]ae aliis favent, — plerumque in primo morbi cyclo septenario occurrit, et rario-ribus tantum in casibus ad secundum usque protenditur.

742. *Typhus gastricus*. In gratiam epidemiae aestivae, climatis calidioris, pravae conditionis tubi cibarii, aut commissi erroris diaetetic[i] typhus jam ab omni initio manifestis jungitur colluviei saburralis phaenomenis, sub quorum persona delitescens haud raro praetervideatur, nisi maxima ad passionem capit[us], ad exanthema, nec non ad statum nervosum, serius ociusve subintrantem, maxima convertatur adtentio. Pro varia sordium qualitate, ac morbosae adfectionis sede, diversa quoque erit typhosae febris facies. Praecipua tantum mentione digna est ea typhi gastrici varietas, quae cum eminenti hepatis labe bilisque secretione eum in modum alterata incedit, ut praeter signa fomitis, in primis viis redundantis, generalis ejus adpareat ef-

fusio (polycholia, s. icterus), cuius gratia *typhus icterodes* nuncupatur, maximam cum febre flava tropicorum analogiam offerens.

743. *Typhus nervoso asthenicus*. Quatenus status nervosus in regulari typhi decursu nunquam ante septimum evolvitur diem, suamque originem potius viribus vitalibus suppressis ac fere reclusis debet, atque unice ultimis secundi cycli septenarii diebus incitationis imminentiae suspicionem movet; — eatenus quaevis debilitas vera nimis praecox, vel ad altiorem evecta gradum typhi contagiosi anomaliam constituit, cuius ratio quodammodo in ipsa morbi iniquioris natura, multo crebrius vero in prava medela, epidemia maligna, vel concursu potentiarum deponentium latet.

744. *Typhus putridus*. Una cum verac astheniac evolutione haud raro character septicus caput extollit, cunctis phaenomenis humorum dyscrasiae, solidorumque atoniae stipatus, ad cuius genesin praeter potentias debilitantes communes illae in primis contribuunt noxiae, quae vegetationis processum in qualitate ita depravant, ut infracto cohaesionis robore nisum abnormem in liquationem et expansionem inducant, quales essent omnes species atmosphaerae pravae et mephiticae. — Huc spectant typhi nosocomiales, castrenses, carcerales, navales; corruptus enim in nosocomiis, castris, ergastulis, urbibus obsessis, vel navium tabulatis aër

haematopoëeos muneri ineptus efficit, ut typho contagioso, in iisdem locis epidemice suborto, scorbutus acutus vel illico in principio, vel saltem in decursu adsocietur, cuius tanto major erit perfidia, si colliquativa simul junguntur profluvia, haemorrhagiae, diarrhoeae, dysenteriae, ephidroses (1).

(1) G. A. Richter, med. Geschichte der Belagerung und Einnahme der Festung Torgau, und Beschreibung der Epidemie, welche daselbst in den Jahren 1813 und 1814 herrschte. Berlin 1814.

745. Anomaliae, quas exanthema in eruptione, florescentia, forma et habitu, aliaque symptomata typho propria in diversis stadiis patiuntur, unde irregularis magisque periculosis evadit morbi decursus, plerumque a diverso charactere febrili, praeter normam evoluto, dependent, ac ideo mox enumeratis typhi complicati et anomali speciebus includuntur. — Mentionem tantum meretur *typhus levissimus*, ceu benigna et insonis morbia consueto tramite deflexio, quo in casu aegri praeter lassitudinem, febriculam vespertinam, capitis gravedinem, temulentiam, adpetitum ciborum imminutum, ac levia tormina ventris nil morbosi accusant, totumque morbum extra lectum exantlant, ad exceptionem ultimarum dierum, quibus perturbationes criticae plerumque vehementiores subintrant; qua propter etiam passim *typhus ambulatorius* dicitur.

DIAGNOSIS ET ULTIMA DIFFERENTIA.

746. Jam e praemissa nosographia typhi contagiosi diagnosis sat tuto construi poterit, dummodo singula phaenomena cum decurrenti modo rite computentur. — Ut tamen diversae, quas praxis offert, difficultates tanto facilius superentur, atque confusiones cum morbis adfinibus, quae persaepe ad perversam ducunt medendi rationem, evitentur, praecipuos adsignare oportet morbos, pro contagioso typho illudentes.

747. Morbillus pallidiori exanthemate stipatus, qui sub decursu nervosum contrahit characterem (§. 612), tantam cum typho contagious habet similitudinem, ut vix distingui possit, nisi ad symptomata constantia morbilli, — molestias catarrhales eminentes, tussim ferocem, exanthematis regularem eruptionem, — atque ad potiores characteres typhi, — capitis temulentiam et stuporem jam a principio conspicuum, ad rationem decursus et epidemiae dominantis ingenium maxima convertatur adtentio.

748. Febris nervosa simplex, cum typho contagious a pluribus medicis perperam confusa, sistit morbum semper secundarium, e febre catarrhali, biliosa, pituitosa, vel exanthematica accidentaliter evolutum; status nervosus indeterminatis prorumpit epochis ac saepe in prima sua origine suffocari potest; praevalent symptomata debilitatis verae, nunc crethismo, nunc paralysi et torpori junctae; neque e contagio speci-

fico proficiscitur, neque ultro propagatur, sed rationem geneseos in laesa conditione dynamica organismi agnoscit; nullo stipatur exanthemate, nisi accidentaliter et mere parasitico, miliaris, sudaminoso, petecchiali, quale omnibus febribus accedere potest, decursum tenet incertum, nunc acutissimum, nunc lentum, luculentissimis exacerbationibus quotidianis stipatum; crises solemnes non admittit, sed gradatim declinat. — Si hisce notis febris nervoso-asthenicae characteres typhi contagiosi opponimus, utriusque morbi essentialis differentia patebit.

Val. ab Hildenbrand, Ratio medendi in Schola practica Vindobonensi Viennae 1815. Pars altera. p. 214.

749. Febris biliosa exaltata, bilioso-nervosa et putrida primo quidem aspectu typhum contagiosum simulare poterunt, praesertim dum iste accidentaliter modo cum saburris biliosis, summa virium prostratione, aut charactere putrido complicatus decurrit; discriminatum perspicuum evadit, si ad cuncta symptoma, singulis illis febrium speciebus propria, animus dirigitur.

750. Sunt autem sequentes typhi contagiosi characteres palmarii, quorum syndrome morbi essentiam constituit, ultimamque differentiam ponit: 1) Oritur e contagio specifico, quod vel ab aliis contrahitur individuis, eodem morbo affectis, vel etiam sub datis circumstantiis in nostra zona primitus evolvitur. 2) Percurrit duo stadia

septenaria, primum inflammatorio - catarrhosum, alterum nervosum. 3) Princeps substratum largiuntur membranae mucosae, cutis et meninges, in quibus specificus processus morbosus inflammatorius, aut ei proximus emergit. 4) Adfectiōnem systematis mucosi comprobant sueta symptomata catarrhosa. 5) Meningum passionem temulentia capitis, stupor adtonitus, sensuum hebetudo et typhomania indicant, quae omnia ab initio ad finem usque persistunt gradu diverso. 6) In cute exanthema crumpit proprium, a petecchiis diversum, morbillo potius analogum, cui purpurae typhosae nomen impertimus. 7) In secundo morbi hemicyclo status nervosus adparret, e spuria potius, quam vera debilitate oriundus. 8) Die decima quarta plerumque crisi sollemni solvitur. 9) In morbi decremento ipsaque convalescentia sensus carebariae, capiplenii et temulentiae molestant, atque cuticulae desquamatione unacum capillorum defluvio, derma inflammatorium processum subivisse, extra dubium ponunt. 10) Semel exantlata aegritudo dispositiōnem in eandem denuo subeundam extinguit.

AETIOLOGIA.

751. **Diathesis.** Momenta, quae miasmatis typhosi susceptioni et facilitiori morbi ortui patrocinantur, latent imprimis in cutis conditione teneriori, molliori et succulenta, in virium languore tali, quem major comitetur erethismus,

ergo in asthenia directa incitabilistarum per venoris abusum, inediam, frigus, mentis intentiones, animi affectus deprimentes inducta. Accidit tamen sub epidemiis typhosis, robustissimos etiam homines vix non eadem facilitate morbum contrahere. — Multo minorem proclivitatem cernimus in seniculis, potatoribus, fumum tabaci suggentibus, in phthisicis et feminis gravidis. Qui typhum, maxime graviorem, jam subiverunt ab eodem morbo per plures annos immunes vivunt, ut si denuo contagium suscipiant, levem plerumque patiuntur aegritudinem. Frequentiores tamen hoc intuitu exceptiones in typho contagioso, quam in aliis exanthematibus specificis occurunt. Notatu demum dignum est, infantes nullam fere ad tyficum contagium offere adfinitatem, toties enim infectae nutricis ubera sugunt, quin inficiantur.

752. Prophasis. Unica *[typhi] contagiosi* primarii causa in *contagio specifico* est reponenda, cui praeter attributa generalia, sequentes adhuc competunt dotes: 1) Vehiculum praecipuum praebet mucus, nec non materies perspirabilis cutanea et pulmonalis; quapropter per contactum mediatum et immediatum, aequac per atmosphaeram aegros ambientem diffunditur contagium *typhi*. 2) Evolutio ejus cum exanthematis eruptione ordiri videtur, crescit morbo summum vestigium adepto, minuitur in de-

cremento, ac in convalescentia protinus cessat; quare convalescentes ad luis diffusionem caeterum summe idoneos, uti jam alibi monuimus, ceu conductores tantum passivos, quibus adhuc adhaerescit contagium sub morbi decursu genitum, consideramus. 3) Miasma typhosum venenis narcoticis summe analogas vires habet, quod ex analogis patet effectibus; magis permanentem tamen exerit actionem, rato tempore duraturam, quae unice naturae viribus, nunc solis, nunc arte suffultis; dilui ac dissipari potest, nisi primis post infectionem momentis debita therapia morbi evolutionem praecipere liceat. 4) Habet ideo naturam magis diffusibilem, cuius gratia majorem acquirit ad systema nervosum et in primis ad encephalon adfinitatem; id non solum constantia symptomata cephalica, sed etiam notabilis nisus in malignitatem, seu repentinam virium siderationem confirmant. 5) Dispositionem in eundem morbum minuit, pro tempore sopit, ast multo rarius, quam variolae et morbilli, omnino eradicat. 6) In nostra zona sub concursu circumstantiarum faventium, — veluti per generationem aequivocam, — primitus evolvitur. 7) Cimices enecat. — Fluidum gasiforme sui generis, quod nuperrime Cel. Rossi, Professor Taurinensis, peculiaris electro-eudiometri ope ex sanguine aegrorum, typho petecchiali affectorum, extricare novit, atque electricitatis influxui impune resistere adserit, esseentiale, fante inventore, constitueret miasmatis typhosi crite-

rion, ulterioribus tamen confirmandum experimentis.

753. Inter noxas, quae primigenae formationi miasmatis typhosi, atque evolutioni typhi ipsius ex aliis morbis febrilibus farent, recenseri merentur: 1) Effluvia plurium hominum tam sanorum, quam aegrorum, et praesertim febricitantium in angustiori spatio coacervatorum, unde haud infrequens typhi contagiosi origo in nosocomiis, carceribus, navium tabulatis, tuguriis, quod castae observationes Mindereri, Monroi, Pringlei, ac pie defuncti genitoris evicerunt. Hoc respectu a Ploucquetio et Bernhardio jure contagium anthropophthoricum nuncupatur. — 2) Determinatus gradus liquationis, si in febribus acutis cum cutis pervicaci ariditate et infracta facultate imponderabilia conducendi ingreditur. — 3) Mephitis paludum aquarumque stagnantium, opinante Hartmanno. — 4) Atmosphaerae continua humiditas et aestus ventis non placatus (Percival). E similibus causis typhus brutorum, nomine lues bovinæ notus, primam capit originem, efformati contagii ope in infinitum propagandus (1).

(1) Will, Bemerkungen über die in Lagern sich vermehrenden Viehseuchen. München 1799.

NOSOGENIA ET THEORIA.

754. Omnia et singula, quae ad organismi atria, contagiosum solum recipientia, ad modum

infectionis et diffusionis, ad nosogeniam, nec non ad autonomum illum processum morbosum, in penetralibus suscepti contagii causa concitatum, spectant, e generali contagiorum et febrium contagiosarum doctrina intelligi poterunt. Quapropter superfluas repetitiones consulto vitamus.

755. In determinanda morbi essentia et causa proxima notabilis inter medicos viget discrepancia, unde differentes ortum duxerunt typhi contagiosi theoriae, quarum potiores tantum addictere sufficit. — Acutissimus Hartmannus (1) essentiam reponit in processu quodam sphacelismi membranarum mucosarum retisque Malpighiani, quem praedominans per totum morbi decursum liquationis nitus inducit. — Marcus (2) omnem typhum encephalitidem declarat, neque ab ejus opinione multum differunt Mill et Percival, statum sub inflammatorium in cerebro et meningibus defendantes. — Goeden (3), postquam primam suam de febre asthenica, ex irritabilitatis elemento prodeunte, ideam dereliquit, serius, conditionem pathologicam typhi processum toxicationis esse, proposuit, qui, ex organis mucosis et arteriolis super nobilissimum sistema nervosum (aetherem nerveum) diradiatus, specificam producit inflammationem.

(1) Hartmann, Theorie des ansteckenden Typhus. S. 115.

(2) Entwurf einer speciellen Therapie. Nürnb. 1810. 2. Th. §. 1639 et seq.

(3) Geschichte des ansteckenden Typhus. B. I. Bresl. 1816.

756. Ut ut cuivis harum theoriarum aliquam veritatem inesse non abrogemus; nihilominus tamen, nulla earum essentiam typhi omni ex parte dilucidare, nobis videtur, quatenus singula tantum adtingunt momenta causalia, vel effectiva, cupitorum syndromen et reciprocam relationem negligentes. Si morbi symptomata, decursum, et exitus communiores cum generalibus contagiorum volatilium (quae inter et typhosum pertinet) proprietatibus computamus, nullum remanet dubium de processu inflammatorio, qui non solum totam corporis superficiem externam, macrocosmo obversam (cutem et membranas mucosas), verum etiam serosa velamenta cerebri et systematis nervosi prehendit. Ipsa autem haecce phlogosis universalis (stricte loquendo) jam effectum constituit specificae illius metamorphoseos morbosae organismi totius, quam contagiosus fomes in viribus aequo, ac in processu vegetationis animalis suscitavit, cuius essentia tamen, quo usque contagiorum intrinseca natura non fuerit revelata, problematica remanebit. Id solum indubitatum est, peculiarem durante typho contagioso vigere nisum in liquationem, ab eximio Hartmanno pulcherrime enodatum, cuius gratia processus phlogoseos peculiarem ac specificam contrahit modificationem.

TERMINATIONES.

757. Salutem aegris, typho gravatis, redonant benefici virium vitalium conatus eisque ef-

fectae evacuationes criticae, quae plerumque die 14^a, rarius 17^a, et rarissime die 21^a contingunt. — Indirecto modo ad faustam morbi solutionem contribuunt praesidia artis rite adhibita, vel et horum vices agentes circumstantiae secundae.

758. Frequentissimam mortis causam praebet apoplexia; mox mere nervosa, e viribus nervosis malefico veluti adflatu contagioso obrutis ac pessumdati, oriunda; mox sanguinea, turgore vasorum piae meningis plexuumque choroideorum inducta; mox serosa, ceu effectus colluviei serosae in ventriculis cerebri, vel ad basin cranii. Priores duae species omni momento decurrentis morbi occurrere poterunt, postrema plurimum ultimis diebus succedit in gratiam hypolepseos serosae, ab inflammatione arachnoideae inductae. Mors e debilitate virium et paralysi universali, in praxi multo rarer, quam passim credebatur, per eminentiam in typho maligno, nervoso-asthenico et septico, et quidem haud raro citra omnem expectationem improvise suboritur. — Indirecta via lethum parant inflammationes viscerum nobiliorum, pulmonum, intestinorum, earumque fatalia postuma, quae interdum effectus funestae metastaseos sistunt.

759. In cadaveribus typho peremptorum studiose rimatis sequentia inventa fuerunt: vasa meningum plerumque plus minusve turgida; superficies arachnoideae lubrica, humore viscidulo, gelatinoso, vel albicante et puriformi cooperta;

effusio seri in ventriculis encephali, quo in casu libenter vasorum sanguineorum collapsus animadvertisit; in plexibus choroideis vesiculae parvae, limpido latice refertae, veluti hydatides, quas morbosas dilatationes vasorum lymphaticorum habemus; arachnoidea incrassata, cum contiguis meningibus hinc inde arcte conjuncta; substantia cerebralis illibata; rarius apostemata; cor dextrum, pulmones et hepar sanguine plena, cuius caeterum venosa qualitas undiquaque praevalet; viscera marcida; cita putrefactio.

760. Transitus typhi contagiosi, imperfecte resoluti, in alios morbos sequentibus continet modis: 1) Per metastases ad organa interna, pro quorum diversitate cephalaeae et vertigines chronicæ, amaurosis, surditas, amnesia, amnesia, tussis diutina, asthma, viscerum abdominalium emphraxes, hypochondriasis, aliave mala cachectica aut nervosa sequuntur. — 2) Per metastases externas, unde parotides, bubones, phlegmone, otorrhoeæ, paralyses locales. — 3) Per suppurationem organorum durante morbo inflammatorum, cerebri, pulmonum, hepatis, intestinorum. — 4) Per gangraenam et sphacelum partium externalium nasi, extremitatum inferiorum (necrosis sicca), vel cutis vesicantibus irritatae, decubitu mortificatae (1). — 5) Per debilitatem superstitem, cuius damnosus effectus modo in processu plastico, modo in systemate nervoso patet.

(1) Rob. Jackson, Geschichte und Heilart des epidem. und ansteckenden Fiebers. Stuttg. 1804. S. 181. — Val. ab Hildenbrand, Oper. cit. p. 165.

PROGNOSIS.

761. In taxanda futura aegrorum sorte non solum ad corporis constitutionem, morbi gradum et vehementiam, symptomata concomitantia, dignitatem organorum eminenter patientium, decurendi modum, complicationes et anomalias ac ad epidemiae genium, e quibus omnibus rationalis desumitur prognosis, sed etiam ad empirica quaedam signa maximam adtentionem dirigere oportet.

762. Faustum eventum divinare sinunt: vomitus spontaneus, et diarrhoea levans primis morbi diebus; epistaxis modica versus finem primi cycli septenarii; mens hilaris et sui conscientia, etiamsi matutinis tantum horis observetur; levior peri-pneumoniae gradus; obauditio; sitis placabilis; lingua per totum decursum humidiuscula; pulsus liber et moderate fortis, parum acceleratus; symptomata nervosa mitia; exanthema regulariter prorumpens ac ad decimum usque diem laete florens; cutis minus arida; apta medela in principio, quae ad mitiorem secundi stadii decursum plurimum confert.

763. Malum omen portendunt: nullum a spontaneis profluviis, vomitu aut diarrhoea levamen; physiognomia aegri notabiliter alterata; sitis inexplebilis, vel totalis adipsia; delirium continuum,

furiosum, vel triste ; altus sopor ; singultus ; crocidismus ; convulsiones ; paralyses ; decubitus neglectus ; lingua in aridum conum contracta ; peripneumonia gravis ; parotides , quae morbo crescente oboriuntur ; signa metastaseos ad viscera nobilia ; aphthae oris ; dolores colici ; petecchia , vibices , haemorrhoeae , dysenteria , aliave phaenomena complicationis putridae ; icterus .

764. Typhum difficillime superant homines animi pusilli, alto moerore adflicti, venere exhausti ; implacabili patriae desiderio (nostalgia) flagrantes , bibones , seniculi , syphilide aut chronica hepatis labe adfecti. — Hydropici et feminae , gravidis et puerperis exceptis , minori periculo decumbunt. — Pessimus denique est typhus , qui in militum nosocomiis cum dysenteria castrensi copulam init. — Habito morbi summe insidiosi , centralia vitae organa obruentis , in malignitatem et metastases improvisas valde proclivis respectu , prognosticon insignem postulat medentis circumspectionem.

THE R A P I A.

765. Quamquam plures auctores diversa proposuerunt pharmaca , quibus specificas miasma typhosum destruendi , ac febrim inde ortam ad amussim diluendi vires adscribere non haesitarunt , — oculatores tamen practici , ab omni hypothesis aut rudis empiriae caligine alieni , eorundem praestantiam confirmare nullatenus potuerant ; neque spem concipere licet , — si essen-

tiam et proprietates febrium criticarum perpendimus, — evolutam semel febrem typhosam ante praefinitam maturationis periodum truncari posse. Quare potiora, a diversis commendata, praesidia nominatim adduxisse sufficit. Haec sunt: praeparata mercurialia, in primis unguentum mercuriale (Palmarius, Cogrossi et Giannini), et calomel (Chisholm et Palloni); fermentum cerevisiae (Bradley et Cartwright); acida mineralia (Sacco, Palloni); acidum carbonicum (Horn); aquae soteriae (Thomas); Theriaca; Lapis Bezoardicus.

766. Rationalem medendi methodum dirigit conditio virium et vegetationis laesae, modus originis, natura causae producentis atque substrati principaliter affecti, quibus rite perspectis et ponderatis etiam in typho indicationes facile patent. — Vires igitur in principio constanter exorbitantes, serius suppressae, vel in casibus gravioribus reapse debilitatae, nisus in liquationem septicam, ortus e miasmate contagioso, atque praecipua membranarum mucosarum, dermatis ac systematis cerebralis affectio subinflammatoria totidem praehent momenta indicantia, quae omnem therapiam determinant.

767. Utilissima primis morbi diebus evadunt emetica, a Pringleo, Stollio et Pichlero (1) omni jure collaudata, et quidem in typho simplici non minus, quam in gastrico; hic enim saburralem eliminant colluviem, morbumque

simplicem reddunt; ibi salubrem metasyncrisin in systemate nervoso, nec non summe beneficam ephidrosin movent. Absint tamen signa gravioraris turgoris in capite, quem prius venaesectionis aut hirudinum ope placare convenit.

(1) J. Pichler, Darstellungsversuch der in Mähren 1805 ausgebrochenen Epidemien. Brünn 1807.

768. Methodus antiphlogistica durante primo cyclo septenario, inflammatorio - catarrhoso, absolute necessaria et saepe saepius per totum morbi decursum commendabilis, conflatur ex omnibus remediorum evacuantium, emollientium, refrigerantum et resolventium generibus, quorum selectus specialior a diversitate casuum individuum determinabitur.

Friedreich, über den Typhus und die entzündungswidrige Methode dagegen. Würzb. 1814.

769. Venaesectionis necessitatem illi tantum vindicant casus typhi contagiosi, in quibus febris valida cum summo orgasmo, enormitas vitalis, status congestionis in encephalo cum delirio furioso vel sopore, aut inflammationes aliorum viscerum, typhum per excellentiam inflammatorium esse, evincunt. — In morbo simplici et moderato superfluae non solum, verum etiam damnosae evadunt, praecocem invitando lapsum virium, quas pro crisibus perficiendis solerter sustentare oportet. Ipsi fautores hujus remedii, quos inter Armstrong et Percival praecipui sunt, maximam inculcant cautionem, nec unquam, tantam in en-

cephalitide typhosa sanguinis copiam detrahendam esse, suadent, quantam in aliis inflammationis cerebralis idiopathicæ et substantivæ casibus, posita etiam eadem morbi intensitate, cum fructu educimus. Ubi de minuenda sanguinis congestione versus caput agitur, hirudines temporibus, vel aptius retro aures adplicitæ multo promptiore et securiore effectum praestant.

770. **Cathartica**, quorum efficaciam fors nimis extulit Hamiltonus, in casu typhi gastrici et biliosi principem quidem constituunt medicinam; caeterum vero ab omni tumultuaria, vel protractiori alviductione libenter abstinemus, partim quod vires adsimilatrices prosternunt, ac difficulter supprimendas diarrhoeas inducunt; partim quod intestinis laxatis cutis functio laesa restitui cunctatur.

771. Adparatum igitur antiphlogisticum in febre typhosa adhibendum constituunt: 1) **Eccoprotica**, uti tamarindorum vel prunorum fructus, manna, sales medii mitiores, clysteres laxantes, quibus alvum bis terve in die solvisse sufficit. — 2) **Refrigerantia**, quae inter acida primum tenent locum, quatenus aestum placant, irritationem vasorum compescunt, sitim ardentem sedant, simulque nisui in liquationem ob viam eunt; hinc decocta hordei, avenae, cum succo fructuum citri, acido tartarico, vel refractæ doses acidi muriatici oxygenati, suadente Schülero et Wolfio. — 3) **Leniter diaphoretica**,

sambucina, acetum ammoniacale, potiones tepidae, atmosphaerae aequabilis temperies. — 4) *Solventia*, uti sales medii, decoctum graminis, atque laudatum ab Anglis medicis calomel, cuius tamen usum ad solos typhi, affectione hepatis et ictero stipati, vel effusionem serosam in cerebro minitantis casus restringere solemus, quatenus dubia nobis videntur adserta de specifica ejus miasma typhosum destruendi ac morbum veluti raptim abigendi virtute. — 5) *Fomenta frigida* ex oxycrato, vel solutione nitri salisve ammoniaci ad frontem et tempora frequenter renovata. — 6) *Hirudines* locis indicatis ac eo numero admotae, ut octo aut decem sanguinis unciae adulto homini extrahantur. — 7) *Regimen diaeteticum* in eundem conspirans finem.

772. In gravissimum et exitiale errorem incidunt medici illi, qui typho in alterum, sive nervosum stadium vergenti, methodum stimulantem indiscriminatim opponunt; ante omnia enim epitheton *nervosum* male interpraetantur, quod nullatenus astheniae verae ideam includit, sed unice systema sensitivum eminenter et graviter affectum indicat; insuper se in arte diagnostica male versatos demonstrant, quatenus symptomata debilitatis spuriae ab illis incitationis vitalis reapse languentis et imminutae distinguere nesciunt. — Methodus antiphlogistica et aperiens etiam in secunda typhi regularis hebdomada principem indicationis paginam absolvit. Quum vero viribus

suppressis liberandis in mitiori tantum casu eam sufficere noverimus, vix non semper remediorum, antagonisticam revulsionem producere valentium, suppetias implorare oportet. Sinapismi et vesicantia adeo efficacem praebent medicinam, ut nullo alio suppleri possint remedio.

773. Eadem proportione, qua vires diu reclusae et oppressae, morbo ad finem vergente, prosterni incipiunt, a debilitantibus pedetentim recedendum, ac ad leves stimulos recurrentum, qui nerveam efficientiam erigere valent, quin circulationem accelerent, statumque congestionis residuae exasperent. — Refractae doses camphorae, moschi et alcáli volatilis praecipuam ostendunt efficaciam. Quamprimum vero altior evolvitur debilitatis gradus, vel plane liquationis septicae indicia comparent, stimulantium potentiorum et antisepticorum virtutes impetranda; typhus contagiosus igitur sub tali rerum statu febris nervosae et putridae instar tractandus.

774. Saluberrimas perfusionum frigidarum in febribus typhosis virtutes, quas praeceuntibus J. S. Hahnio (1731), Brandrathio, Cullenio et Wrightio, nuperrimis temporibus Anglus Currie maxime commendavit, postea Milius, Horn, Hegewisch, Kolbany, Reuss et Fröhlich unanimi testimonio confirmarunt. Ilii, quibus repentinae perfusiones remedium nimis violentum et ambiguum videntur, lotiones aqua frigida, temperici 12, 10 vel 8 gradus scalac

Reaumurianae, simplici vel aceto commixta juxta membra instituendas preeferunt. Quod modum applicationis et selectum casuum ad hanc praxim idoneorum adtinet, cuncta valent preecepta, quae jam fusius in capite de scarlatina exposuimus.

775. Regimen diaeteticum juxta stadiorum diversitatem et prevalentem characterem est modificandum. Aër atmosphaericus purus, siccus, frigidiusculus, diligenter eventilatus ad mitiorem morbi decursum plurimum confert. Victus esto parcus, tenuis, vegetabilis et solvens in principio; labentibus serius viribus nutriens, analepticus; — priori potus refrigerantes, posteriori vinum generosum respondebit. — Motus corporis moderatus, dummodo pigritia superabilis et sufficiens muscularum robur eum permittat, maximi aegris emolumenti est. — Psychica denique cura atque moderamen sensuum externorum in delirantibus nunquam praetervidenda.

776. Ratio medendi, quam typhus anomalous et complicatus sibi postulat, jam e preeceptis alibi praemissis intelligi poterit, atque clarius adhuc e therapeuticis regulis febrium gastricarum, nervosarum et septicarum, in operis decursu adsignandis, patebit. — Illius tantum consortii summe insidiosi, quod typhus cum dysenteria contrahit, in castris, nosocomiis miliaribus et urbibus obsessis adeo frequentis, brevem faciemus mentionem.

777. Dysenteria castrensis jam per

se sola dirissimum ac summe rebelle constituit mali genus, quod tanto majorem letalitatis gradum contrahit, si typhosa simul concurrit febris. Exceptis primis copulae fatalis momentis, in quibus ipsa dysenteria, ceu catarrhus intestinalis, plus minusve manifestis stipatur irritationis inflammatoriae signis, non solum ad stimulantia difusibilia, sed etiam ad tonica et visceralia melioris notae erit recurrendum, quae inter cortex simarubae, radix arnicae et columbo principatum tenent. — Opium, quod in typho generatim minus quadrat, sub ejusmodi rerum positione nullo alio suppleri poterit praesidio, praesertim refractis ipecacuanhae vel aluminis dosibus commisatum. Clysteres mucilaginosi cum vitello ovi et opio, vel etiam cum terebinthina subacta parca quantitate, ast frequentius injecti, bonum praestant effectum. Haud indifferens denique emolumentum experti sumus a lotionibus et perfusionibus frigidis, quibus solis interdum pertinacem cutis ariditatem, utriusque morbi scaturiginem principalem, vincere licuit. Quod si omnibus hisce eximiis remediis salus restitui nequit, atque de victo etiam typho continuus persistit alvifluxus, cum macie corporis, pessimaque excrementorum qualitate in dies crescente, de insanabili intestinorum exulceratione suspicandum, quam in plurium, hacce clade defunctorum, cadaveribus consulto rimatis invenimus.

PROPHYLAXIS.

778. Etiamsi infectio jam locum habuit, imminentem nihilominus morbum, contagii ingressi signis praenotatum, quandoque apta medicina avertire et disturbare licet. Requiritur autem, ut aeger opportunitatis confinia nondum excesserit; quamprimum enim febris criticae, qualis etiam typhosa est, ingressus fuerit cancellos, horrore febrili signatos, nullus datur exitus nisi per crises, cyclo utpote, quem morbus praefixum habet, absoluto. Tutissimum hoc intuitu praesidium largiuntur emetica, quae diaphoreticis, opio, et camphorae, in eundem finem laudatis, palmam longe praeripiunt.

779. Quod generalem adtinet prophylaxin, eo directam, ut contagii typhosi primigena evolutio impediatur, diffusio malii coérceatur, sanorumque corpora medias inter pestilentis Lernae undas tuta conserventur, ad alibi indicata praecepta provocamus (§. 387).

8. TYPHUS PESTILENTIALIS, SIVE ANTHRAX.

Chicoynau, Traité des causes, des accidens et de la cure de la peste etc. Paris 1744.

Isbr. Diemerbroeck, Tractatus de peste. Amstel. 1765.

Chenot, Tractatus de peste. Vindob. 1766.

Adami, Bibliotheca leimica. Vindob. 1784.

Samoilowicz, Abhandlung über die Pest. Leipz. 1785.

Minderer, Commentatio de peste ejusque medendi methodo. Rig. 1790.

Patrik Russel, a treatise of the plague containing an account of the plague of Aleppo 1760 — 1762. London 1791.

— Aus dem Engl. übers. 2. Th. Leipz. 1792.

- Val. v. Hildenbrand, über die Pest. Wien 1799.
- Desgenettes, Histoire médicale de l'armée de l'Orient. Paris 1802.
- Larrey, Relation historique et chirurgicale de l'expédition de l'armée d'Orient en Egypte et en Syrie. Paris 1803.
- Ler net, Diss. responsoria ad quaestiones de peste etc. Krzemencii 1810.
- Grohmann, über die Pest in Bucharest.
- Laurin, Diss. inaug. de peste in genere. Vindob. 1818.
- E. Volmar, über die orientalische oder Bubonenpest, die ostindische, molukische oder cholericische, dysenterische, und icterische oder melaenische Pest. — In Hufeland's Journal, 1819. Heft 12.
- J. D. Tully, the history of plague osit lately appeared in the Islands of Malta, Gozo, Corfu etc. Lond. 1821.

780. Truculentissimam sane ac vere feralem, quae inter tot generis humani flagella principatum tenet, luem sistit typhus pestilentialis, dira illa orientalis soli progenies, cuius characteres essentiales febris acutissima et summe contagiosa, virium necopinus lapsus, universalis liquationis signa, glandularum tumores, carbunculi, petecchiae et vibices, cita, ac nulla saepc arte averruncanda, mors constituunt.

781. Diversa quidem apud auctores sortitur nomina, quorum tamen nullum adeo adaequatum nobis videtur, ut morbi essentiam ultimamque ab analogis affectibus differentiam indicet, talique pacto omnem confusionis metum discutere juvet. — Compellatio pestis, febris pestilentialis, Loimopyrae, a plurimis usurpata, cuivis aequo jure competit morbo, qui populariter debacchatur, contagii ope diffunditur, simul-

que notabilem edit inter aegrotantes caudem (§. 227). — Qui pestem orientalem nuncupant, natales morbi solum, nullatenus vero ejus essentiam vel formam indicant, quae tamen rationalis morborum terminologiae cardinem constituunt. — Neque typhi pestilentialis denominatio omnem excludit ambiguitatem, quatenus etiam typhus nostras, sive febris typhosa cum exanthemate purpurato longe lateque diris diffunditur furiis, ac proinde ignominiosum pestis nomen sibi vindicat. — Quapropter specifica typhi maligni forma, quam hic exposituri sumus, rectius *typhus anthracicus*, vel *bubonicus* compellari deberet; tali enim nomine saltem pathognomonicum et essentiale morbi characterem, quo a cunctis reliquis febrium loimicarum speciebus differt, designamus.

HISTORIA.

782. Si perpendimus plagas vastissimas Orientis, praesertim Aethiopiam, Syriam, Palaestinam, Barbariam, Aegyptum, quae prima dici possunt generis humani et ipsius artis medicae incunabula, feracissimam, ne dicam unicam, esse cacoëthis hujus monstri scaturiginem, unde seniori saltem aevo constanter super Europam diffundi solebat, sponte sese obtrudit conjectura, illud jam antiquissimis medicinae patribus notum esse debuisse.

783. Monimenta Hippocratis, Aretaei,

et Galeni, ipsique codices sacri de variis quidem morbis pestilentialibus, diverso aevo observatis, fidem faciunt, nequaquam tamen omne dubium de reali *hujus speciei* observatione solvunt. Pestem Athenensem a Thucydide depictam, typhum malignum fuisse, vix dubitari poterit; utrum vero typhus anthracicus Orientis declarandus sit, vel potius typhus contagiosus exanthematicus, qualis in nostro etiam climate moderatione primitus evolvitur, sui generis exanthemate stipatus, et qui in oris calidioribus facile ingenium magis improbum contrahere potuit, nuperrime adhuc inter Sprengelium et Wawruchium disceptabatur, validis argumentis in utramque partem prolatis. — Qui animum eo convertit, quod apud Thucydidem, exactissimum ceteroquin observatorem, neque de bubonibus, neque de anthracibus mentio fit, quae tamen voces tunc temporis jam notae fuerent, uti e scriptis coaevi Hippocratis colligitur, Sprengeli sententiam fors minus libenter est amplexurus.

734. Chronologicam progressionem hujus morbi difficulter prosequi licet, et quidem maxime ideo, quod veteres nomine pestis (*λοιμός*) diversissimi generis intellexerunt mala, dummodo certum malignitatis et epidemicae diffusionis gradum adtigerint, momentosissimam inter morbos epidemicos proprie tales (constitutionales) et contagiosos distinctionem negligentes. —

Primam pestis bubonicae, sive inguinariae descriptionem, ejusque in Europam adparitionem non prius, quam versus medietatem seculi sexti invenimus, ab Aventinio (1) et Procopio (2) traditam. — Ortum duxit ex Antiochia, ubi eam Evagrius in tenera adhuc aetate perpessus est (3); postea Constantiopolin invasit, inde circa A. 505 per Italiam, Galliam et Hispaniam divulgabatur.

(1) Aventini Chronica. Frankf. am Mayn 1576. p. 309.

(2) Procopius, de bello persico Lib. II. Cap. 22 et 23.

(3) Evagrii, Schol. Hist. eccles. Lib. IV. 29.

785. Sontica illa pestis, qua nulla tetrior, e Sinensi Imperio oriunda, ac nomine a tra e mortis (schwarzer Tod) maximam Asiae et Europae partem ab Anno 1348 ad 1350 peragrata, strageque incredibili depopulata, — Musarum cultoribus vel ideo nota, quod Petrarcae dilectissimum objectum, adoratam Lauram, lugubri immolavit fato, — nil nisi typhus anthracicus, sive bubonicus summe malignus fuit, uti e fidelibus descriptionibus Cantacuzenii, Boccacii et Guyi de Chauliac colligitur (1). — Saeculum decimum sextum omni jure pestilentiale dici meretur ob insignem pestilitatum, quae diversis annis comparuerant, numerum, a Langio, Valleriola, Schenkio, Jouberto, Palmario, Ingrassia, aliisque traditarum (2), quarum pleraque ad praesentem referuntur typhi speciem.

(1) Sprengel, Beyträge zur Geschichte der Medizin. 1. B. 1. St. Nr. III.

(2) Sprengel, pragm. Gesch. der Medizin. 5. Th. S. 125.

786. Saeculo autem praeterito, quod erat decimum octavum, loimologia maxima cepit incrementa, quo non solum diversae pestilentiarum in variis Europae provinciis debaccharum observationes a meritissimis viris Chenotio, Schraudio, Mertensio, Minderero, Samoilowiczio, aliisque collectae, sed quam maxime creberrimae circa eandem labem in patrio solo experientiac, et quidem a Ruselio Aleppi, a Larreyo, Desgennetio, Pugnetio et Lud. Frankio in Aegypto factae, plurimum contulerunt.

HYPOTYPOSIS.

787. Brevis plerumque esse solet temporis intercapedo, quae infectionem et morbi ipsius invasionem intercedit. **Che notus**, per septem ad summum dies contagium susceptum delitescere posse, concedit. Diemerbröck et Samoilowitz opportunitatis periodum ad plures septimanas extendunt, quibus tamen in casibus, procul dubio rarioribus, suspicandum potius, fomitem contagiosum per longius tempus clandestine corpori, veluti conductori passivo, adhacisse, morbumque tunc tantum erupisse, ubi faventes circumstantiae languidam, prius ad suscipiendum miasma, proclivitatem fortuito exaltare juvarunt. — Dum populariter grassatur hicce typhus malignus, testantibus jam observatoribus

antiquis, ipsoque inter modernos Larreyo, interdum fulguris ritu homines prosternit, qui virium jacturam, animi despositionem et anxietatem incredibilem queruntur.

788. *Stad. invasionis.* Orditur typhus pestilentialis frigore brevi, fastidio, vomitu, lasitudine, capitis et praecordiorum doloribus immanibus, angoribus perpetuis, ardore intestino, talique vertigine, ut gradientes ebriorum more vacillent. Tristitia mirum in modum crescit, et nonnisi rarissime, referente Minderero, ejus loco perfecta observatur apathia; — pulsus jam ab omni initio notabiliter variant, modo pleni, satis fortes, modo debiles, inaequaliter micantes, semper tamen frequentissimi; — facies nonnullis turgida est, pallida et collapsa aliis. — Vultus et adspectus aegrotantium aliquid sibi proprii habet, quod verbis difficulter exprimitur; Forestus vultum ferocem, incertum atque turbidum, qualis temulentorum esse solet, Goclenius adspectum torvum et truculentum dixit. — Linguam plerumque balbam crusta tegit mucosa, albissima, veluti calcarea, pathognomonicum juxta Grohmann signum; sitis urget immanis, languet contra omnis ciborum adpetentia; cutis aret et urit; capitis stupor et temulentia ebriosa brevi in delirium degenerat furiosum cum continua corporis jactatione et inquietudine, tremore artuum et nervorum distentionibus, vel etiam in profundum abit veternum. — Quandoque statim ab initio pectoris

cruciatus varii cum tussi, sternutatione, difficultate spirandi, raucedine, halitu tetro adparent, quae phaenomena, sub decursu increbescentia, sphaceli pulmonum metu terrent. Continuum vero et necessarium symptomata peste afflictorum est sensus ignis in praecordiis, a vomitu plerumque immaniter auctus, cui non raro ventris murmura, meteorismus, vel diarrhoea accedunt.

789. *Stad. eruptionis.* Praegressis hisce symptomatibus, quae inconstanti plurimum ordine, numero ac vehementia evolvi solent, ast insigni cum rapiditate increscunt et multiplicantur, secunda, tertia, aut quarta morbi die post pruritum, aut sensum in cute, quasi acubus punge-retur, exsurgunt carbunculi, sive anthra-ces (a graeco ἀνθράξ, carbo), qui suum nomen depromserunt a sensu ustionis et doloris atrocis non minus, quam a colore nigro, extincti carbonis instar, quem pedissequi sphaceli causa contrahunt. Comparent omnium primo maculae parvae, pulicum morsibus haud absimiles, cito latescen-tes, in quibus vesiculae adtolluntur, latice lim-pido, flavescente turgidae; istae post duodecim circiter horas, vel etiam tardius rumpuntur, ac acerrimam fundunt saniem, superstite plaga atra, veluti cauterio inusta, in quam subjecta conver-titur cutis, emortua prorsus, ac ad notabilem pro-funditatem omni sensu priva; rubet vero, tumet ac intense dolet ambitus escharae sphacelosae, in-dies latius serpentis, ipsaque basis, cui insidet,

notabiliter elevatur, unde carbunculi tumores praesentant gangraenosos, qui plerumque magnitudinem nucis avellanae adtingunt, quandoque tamen molem ovi gallinacei superant (S c h r a u d).

790. Carbunculi determinata loca non occupant, sed modo in collo, pectore vel abdomine, modo in extremitatibus oriuntur; nunc solitarii, nunc numero plures, tres, quatuor, usque ad duodecim, segregati, vel et hinc inde confluentes; in omni casu pessimam ominantur aegrorum sortem, neque aliquid critici praesagiunt. Cel. Russel quinque diversas statuit carbunculorum formas, Orraeus duas admittit species, carbunculum humidum et siccum; B u d a y carbunculum ab anthrace diversum esse vult. Omnes tamen hae subtile斯 distinctiones et merae arbitrariae differentiae nullius momenti sunt. Carbunculi partium internarum (probabiliter cum sphacelo interno confusi) nullam merentur fidem; sunt enim species eruptionis exanthematicae, ac ideo solum derma ut substratum agnoscunt.

791. Alterum, quod in hocce stadio typhi pestilentialis evolvitur, phaenomenon essentiale praebent phymata, seu tumores circa glandulas inguinales, subaxillares, vel salivales (Pestbeulen), qui vel promiscue cum carbunculis prorumpunt, vel istos antecedunt. Jam post primam febris invasionem, dum universalis ingruit aestus, quandoque tamen multo tardius, dolores persentiuntur tensivi retro maxillam, sub

axillis, vel, quod saepissimum est, ad inguina; paucum post rubedo se adsociat, ac intra paucas horas emicant tumores plus minusve dolentes, subduiri, oblongi, quorum sedem non adeo glandularum parenchyma, quam potius textus cellulosus circumfluis largitur. Tumores inguinales, quibus solis bubonum nomen competit (a graeco βαρων, inguen), arbitrarie a variis medicis aliis quoque phymatibus analogis impertitum, — id sibi privum habent, quod inguinibus exacte non respondent, sed testante Mangeto, sub commissura femoris supra musculum tricipitem oboviuntur. Plures quam tres rarissime observantur, quorum singuli molem ovi gallinacei adtingere solent.

792. *Stadium acmes.* Postquam plenaria carbuncolorum et phymatum pestilentialium eruptio locum habuit, quandoque etiam citius, atrocissima evolvitur morbi imago; praecipiti enim passu processus contagioso-colliquativus maximum culminationis punctum adtingere nititur, atque improba virium prostratio omni fere momento vitae extinctionem minitatur, quapropter hocce stadium morbi maturati nervoso malignum quibusdam audit. — Delirium furiosum cum stupore ac temulentia alternans, (typhonmania), vel sopor ex adverso profundus; faciei collapsae color luridus, quasi terreus; oculi lacrymosi, cruentii; caruncula lacrymalis sanguine suffusa; lingua nigra, contracta, tremula, arida, quasi exusta;

vox rauca; vomitus effraenis, biliosus aut putridus; singultus; respirum streperum; meteorismus et diarrhoea; sudores frigidi, viscidi; carbunculi progredientis sphaceli signa praebent; bubones evanescunt, vel in ichorosam abeunt exulcerationem; petecchia, vibices, haemorrhoeae, gravis atmosphaerae aegrum circumambientis putor; convulsiones ac subsultus tendinum, surditas, animi deliquia, anodynus et anaesthesia generalis; pulsus debiles, molles, intermittentes, myuri, — haec omnia, et si non in quavis peste eodem numero et gradu evoluta, palmarios sistunt comites, quos cum typho nostrate, dum malignum et putridum contrahit ingenium, protinus communes habet, nisi carbunculos et phymata excipiamus, exanthematis vices agentia.

793. Crisis. Subinde adeo tumultuarius et praeceps est mali decursus, ut jam intra paucos dies apoplectici, vel exhausti obeant aegri, quin singulorum stadiorum limites rite internosci possint. — Si autem minor fuerit febris pestilentialis ferocia, porrigitur usque ad septimum diem, qui plerumque criticus esse solet. Inter evacuationes salutares ephidrosis primum tenet locum; solutio per urinas et alvum rarius succedit. Plurimum vero ad faustum morbi exitum contribuunt bubones in benignam suppurationem versi, ita quidem, ut illis comparentibus, praesertim si fortes simul fuerint pulsus, omne periculum abactum esse credant quamplurimi medici.

749. Decrementum morbi, plerumque lentum et gradarium, successiva virium recuperatione ac symptomatum abolitione insignitur. Bubones vel resolvuntur, vel, si suppuraverint, ad consolidationem disponuntur, plures tamen consumunt septimanas, donec omnino dissipentur. Processui sphaceloso, quem carbunculi in cute et tela cellulari, vel plane in profundioribus partibus suscitarunt, inflammationis periphericae ope limites ponuntur; eschara prorsus separata, vel et integris saepe phalangibus digitorum sacerentibus, residuae plagae artis auxillio in cicatricem vertuntur, quae rarioribus in casibus post aliquot septimanas cum periculo denuo aperciri observatae sunt.

CAUSAE ET NATALES.

795. Habito originis respectu typhus anthracicus Orientis aequa, ac typhus contagiosus communis, in primitivum et contagii ope communicatum distingui debet. Prior non nisi in determinatis zonae calidioris locis evolvitur; alter per cunctas hujus orbis regiones diffundi potest, ipsas septentrionales oras non exceptiens.

796. In designanda patria, quae infamem hancce luem progignit et alit, digladiantur scriptores. Veterum quamplurimi, seniori aevo Meadius, Adolphus, Arbuthnotius, ac inter neotericos Foderé Aegyptum graviter ac-

cusant tamquam omnium malorum feracissimam ; — alii contra, quos inter praecipue Prosper Alpinus, Targioni, et Olivier notari merentur, Aegyptios pestem sibi alienigenam reputare, eamque ab Aethiopia procedere defendunt, cuius solum praepingue, immanibus et diuturnis pluviarum imbribus maceratum, tum vehementissimo solis ardore percoctum ac in annos computrescens, evolvendis maleficiis miasmatibus omnino favet. Quamvis primigena pestis origo hactenus in contentione sit, nullaque ratione Kircheri opinio confirmata habeatur, pestem utpote Aegypto familiarem Nilo deberi, Crocodillorum aliorumque animalium cadavera in campos passim egerenti; negari tamen nequit tetrum huncce morbum a superioribus inde temporibus adeo profundas in Aegypto, Turcarum incuria jam tabescenti, atque limitrophis Asiae et Africæ regionibus, in Syria, Palaestina, Abyssynia, Graecia, ipsaque Byzantina Metropoli fixisse radices, ut ferme endemicum constituat flagellum.

797. Quod autem causas genitrices primitivae febris pestilentialis adtinet, hae contagiorum origini passim obsecundantibus (§. 208) vix discrepare videntur, licet particulares quaedam earum modificationes et concursus circumstantiarum quarundam ex parte climatis ad specificum huncce fomitem progignendum admitti necessario debeant. Hodieque tamen ignotae sunt, et nonnisi cum aliqua probabilitate

in effluviis venenatis corporum putrescentium supponuntur, quatenus typhus pestilentialis cum morbis septicis et malignis maximam ostendit analogiam.

798. Evolutus semel typhus anthracicus originarius ex aliis generis morbo, contagium specificum elicit, quod aliis communicatum individuis eandem constanter suscitat morbi formam, in infinitum multiplicandam. Vehiculo gaudet humoribus sub morbi vigore secretis, praeципue muco, materie perspirabili atque sanie carbuncolorum et huborum suppurantium, quod insitione artificiali evincitur. — Mirandum sane, complures medicos, interque illos oculatissimum Stomium, contagiosam typhi pestilentialis indolem pernegare voluisse, quae opinio, si sectatores inveniret, maximo esset generi humano detrimento.

799. Inter cuncta contagia volatilia, quae febries concitant morbos, pestilentiale ad fixam indolem proxime accedere videtur, namque vestimentis et suppellectilibus multo diutius et arctius adhaerescit, quam corporibus humanis, solo calore eliciendum. Inde intelligitur, quo modo ex Oriente ad remotissimas saepe transferatur terras, quin in intermediis prorumpat regionibus. Ita naves saepe saepius truculentissimas intulerant pestes, solis mercibus pollutis, quin vel unicus conautis et comitibus morbi indicia habuerit. Per plures annos posse virulentiam servare, vel inde

patet, quod, cum pestis Viennam 1713 adoriretur, in iis potissimum domibus caput extulit, quae ante triginta quatuor annos, dum pestis grassaretur 1679 nosocomiorum vices gesserant. — Ideo tamen cum contagiis fixis nullatenus confundendum est; morbum enim producit semper febrilem et acutum, incitationem vitalem graviter adficit, quandoque, malefici cujusdam halitus instar, cito enecat, atque *Howardio*, aliisque patentibus, ad aliquot passuum distantiam inficit. Relatum est, pluries in religandis sarcinis, quae inclusam intus contagem conveherent, vaporem illum, fortasse mora et angustia loci concentratum et asperatum, tanta vi erupisse, ut adstantes veluti de coelo tactos, momento enecaret.

800. Cum miasmate typhi vulgaris aliquam habet analogiam, quatenus nervos potenter adgreditur, atque similem encephali passionem determinat, quo intuitu cum narcoticis conspirat substancialiis; eo tamen differt, quod constanter, et quidem primis jam morbi diebus, nisum massae organicae in liquationem et sphacelum indicat, talique pacto manifestam actionem chemicam (septicam) cum priori dynamica (inebriante) combinat. — Insuper in genesi miasmatis pestilentialis circumstantiae climaticae et epidemiciae, in primis corruptio atmosphaerae per exhalationes paludum, uliginum et corporum organicorum, ad notabiles distantias putrescentium, multo majorem habent influxum, quam in primigenam contagii typhosi

evolutionem ; cui potius effluvia plurium hominum, in angusto spatio coacervatorum, patrocinari diximus. — Notare tandem oportet, paucas hucusque extitisse pestes , quas terrificaे revolutiones cosmicae non essent orsae ; uti meteora insolita, terraemotus, inundationes etc. testantibus omnis aevi observatoribus (1).

(1) Schnurrer, Chronik der Seuchen.

801. Pestis quosdam circuitus , plus minusve grandes , observare solet. Sic Evagrius refert, secundo anno cujusvis inductionis recurrisse pestem , unde Antiochia sexaginta annorum intervallo quater ei fuit obnoxia. Testante Russelio Aleppi quovis decennio grassatur. Omni quinquennio Aegyptum vastare fertur ; diversis anni temporibus improvise prorumpit, praesertim hyeme , atque subortis aestatis ardoribus defatiscit saepe absque ulla prophylaxi adhibita. Auster ardentissimus , quem Khamsin Aegypti, Samiel et Samum Syrii adpellant, saevitiam morbi frangere dicitur. Ipsa Byzantina pestis diversis obnoxia est vicissitudinibus.

802. Si hisce omnibus addimus observationem, typhum anthracicum longe minorem habere in eradicanda hominum dispositione potestatem, unde plura exstant individuorum eundem morbum saepius perpessorum exempla , — non sine fundamento colligere possumus , contagium pestilentiale semicontagiis , et quidem septicis (§. 191) proxime accedere , ac ferme transitum a contagiis perfectis ad imperfecta facere.

803. Quae in Europa diversis temporibus emicuit pestis anthracica, semper ab exteris regionibus advecta est, ac plerumque in portibus, vel in provinciis limitrophis caput extulit. — Quamvis in principio ingentem ostendat ferociam et malignitatem, pedetentim tamen elanguescere solet, quasi in nostro solo pabulum non inveniat, quo diuturniorem conservaret existentiam.

804. Essentia pestis anthracicae consistere videtur in specifico processu liquationis, quem manifesta ab initio irritatio (phlogosis) organorum periphericorum (cutis et textus cellulosi) atque systematis nervosi, praecipitanter in debilitatem paralyticam et sphacelum abitura comitatur, determinata per actionem miasmatis narcotico-septicam. Causae genitrices, natale solum, symptomatum praecipuorum syndrome, therapiae excitantis et antisepticae necessitas, et efficacia, nec non phaenomena in cadaveribus obvia adsertum confirmare juvant.

805. Dispositio contagium pestilentiale suscipiendi quidem cuilibet homini inest; præcaeteris tamen inficiuntur adulti, debiles, decrepiti, convalescentes ex aliis morbis, meticulosi, spirituosis abutentes. Qui immunda exercent opificia, uti caminorum purgatores, saponarii, olearii, porro infantes teneri, senes depontani, phlegmatici, hydropici et phthisici minorem ostendunt proclivitatem.

PROGNOSIS.

806. In typho pestilentiali medicus semper tristis evadit vates, quum pauca tantum individua crudelem morbi saevitatem superare, ac praefixam ferme lethi metam effugere possint. — Pessimi ominis sunt petecchia, vibices, carbunculi grandes, copiosi, profluvia immodica, aurigo, et communia summae debilitatis signa. — Quo citius characteris nerveo-maligni et septici satellites evolvuntur, eo majus discrimen. — Aliquam recuperaturae salutis spem alere sinunt bubones in modicam et benignam suppurationem versi; praesertim si eis sudores per totum corpus diffusi ac levantes accedunt; imo in peste transylvanica, quam Chenot A. 1755 observavit, nemo sanitatem recuperavit, qui bubones non esset expertus. — Quo tardius exanthemata pestilentialia erumpunt, et quo segniter incedunt, eo plus sperandum. — Qui feliciter evadunt, bubonum vestigia diu retinent. — Observatae etiam sunt bubonum, suppuratione exesorum, cicatrices eo anni tempore, quo pestis grassari consuevisset, iterum aperiri (Larrey et Desgenettes). — Benignior putatur pestis, si ex Aegypto orta litus maris mediterranei legit, quam si per deserta propagatur.

RATIO MEDENDI.

807. Quamvis febris pestilentialis in primo exordio, omnis alias febris criticae instar, cum viarium vitalium incitatione aucta incedat, imo ma-

nifesta phlogoseos (etsi levioris et transitoriae) in superficie cutis et membranarum mucosarum indicia praebat, id tamen sibi privum habet, quod ociter in veram et colliquativam debilitatem ruit. Quapropter rationi quidem absonum foret, curam illico ab efficacioribus, ut nonnulli proponunt, stimulis ordiri velle; nihilominus tamen pari modo anceps evaderet methodus antiphlogistica, largiori manu adhibita. Quidquid igitur Cel. Botallus, Massaria, Septalius, Riverius et De Haen in honorem venaesectionis protulerunt, nonnisi particularibus quibusdam typhi orientalis modificationibus, insolitam characteris inflammatorii vehementiam offerentibus innixum, nullatenus vero ut generale praeceptum therapeuticum amplectendum esse arbitramur. Sufficiunt in primo exordio remedia refrigerantia, leniter eccoprotica, praecipue vero acida, quae eodem tempore, quo vividiiores compönunt motus febriles, imminentiliquationi septicae opponuntur.

308. Increscente virium prostratione, atque evolutis characteris putridi phaenomenis nonnisi a remediis cardiacis, stimulantibus, tonicis et antisepcticis valentioribus aliquid sperandum. Cura indirecta rationalis typhi pestilentialis sub ejusmodi rerum statu ne hilum discrepat ab illa febris nervosae malignae et putridae; omnis enim medentis scopus eo directus sit, oportet, ut funesta dyscrasia humorum emendetur, atque virium vitalium energia pro criticis operationibus

absolute necessaria conservetur. — Radices Angelicac, Serpentariae, et Valerianae, Moschus, Camphora, Castoreum, Asa foetida, Aetheres, Caryophylli, Cortex peruvianus, Acetum aromaticum, Acida mineralia et in primis Acidum muraticum oxygenatum, cunctis reliquis analogae virtutis medicamentis palmam praeripiunt.

809. Inter praesidia, quae specialiorem quorundam medicorum fiduciam sibi promeruerunt, quin eorum actio et praestantia e communibus therapiæ praeceptis intelligi possit, unctiones oleosæ primum tenent locum, non solum scopo præservativo; ut alibi monuimus (§. 408), sed etiam in morbo jam evoluto a Cel. Baldwinio propositæ, atque referente nuper Graebergio Smyrnae et Tingi insigni cum fructu usurpatae. Totum corpus spongias, ex oleo olivarum tepido tinetae, ope illinitur ac perfricatur; febricitans delibutus tepefacto committitur lectulo, atque, ut maximam observet quietem, jubetur, donec profusi extricentur sudores, quod si contingat, morbum plerumque solutum vel brevi solutumiri credunt. Pari tempore internus olei olivarum proponitur usus.

810. Frigoris virtutes, in compluribus morbis contagiosis adeo salutares, etiam in typho orientali tentatae leguntur. Fuerunt praesertim Bartholinus (1), et Samoilowicz (2), qui frictiones glaciales proposuerunt. — Sponte autem liquet hancce methodum aequæ, ac priorem

nonnisi in mali primordiis cum aliqua spe adhiberi posse; superfluam contra, imo damnosam esse debere, ubi summa urget exhaustas vires erigendi necessitas.

(1) De usu nivis medico. Cap. 13.

(2) Lettres sur les expériences des frictions glaciales dans la peste. Strassb. 1781.

811. **E met i c a** illis tantum sub circumstantiis experiri licebit, quae ipsorum usum in typho communi aliisque febribus contagiosis admittunt. — **M ercurius a Schraudio**, et **C antharides a Grohmanno** laudata, quandoque votis responderunt, unde tamen generalis eorum virtus antiloimica nondum evincitur.

812. **R egimen diaeteticum** exquisitissimum sit, et cum pharmaceuticis auxiliis in eundem collimet finem. Principem respectum sibi vindicat aëris ambientis conditio talis, qualis universim in morbis septicis et asthenicis convenit. Animus aegrorum mirum in modum depresso, per quantum fieri licet, exhilaretur.

813. Symptomata, quae particularem exigunt medelam, sunt bubones et carbunculi. — **B ubonibus aegre prorumpentibus**, aut qui rursus disparere minantur, cataplasma leniter irritantia cum cepa assata, fermento panis, vel, suadente Cel. Desgenettes, cum radice squillae cocta superimponuntur. Si contra dolent, et manifesta phlogoseos indicia praebent, cataplasma emollientia et anodyna requiruntur, quibus

optata suppuratione benigna optime invitatur, praesertim si aptis remediis intus propinatis moderata virium vitalium incitationem sustinere licuerit. — A scarificationibus, ustione, praematura incisione et cantharidum applicatione sedulo cavadum esse, expertissimus Lernet jure monet. In carbunculis prosunt fomentationes aromaticae ex aceto, sale ammoniaco, spiritu vini camphorato, vel decocto chiae, quorum scopus eo tendit, ut ulteriores et deleterii sphaceli et liquationis saniosae progressus inhibeantur. Dum separatio partis emortuae non rite contingebat, Galli medici in peste Syriaca scarificationes utiles fuisse adseverant.

PROPHYLAXIS.

814. Quatenus pestis bubonica Europaeis semper adventitium sistit flagellum, eatenus etiam princeps cura eo dirigenda, ut funesti hospitis introductio avertatur, quem in finem cuncta illa solertissime observanda erunt praecepta, maxime in portubus et regnum confinibus, de quibus jam alibi generales exposuimus notiones. — Introducta semel ac diffusa lues non aliter, quam quivis alias morbus loimicus refraenari poterit, eo solum discrimine, quod, habito summae malignitatis respectu, nulla omitti debeat cautela (§. 588 — 418).

815. Brevi tamen mentione haud indigna censemus quaedam praesidia recentiori aevo proposita, quibus hominum miasma pestilentiale sus-

cipiendi dispositionem infirmare, sanorumque in-
columitatem tueri conabantur philanthropi, utut
nullum adhuc votis omnino respondisse videa-
tur. — Cauteria, et fonticulos ab Etm ül-
lero, Hildano et Bartholino proposita le-
gimus, ejus fors experientiae gratia, quod homi-
nes exulcerati peste rarius adficiuntur. Testatur
inter neotericos Cel. Larrey aegros in Syria,
quorum vulnera laute suppurabant, peste immu-
nes mansisse. — De frictionibus totius
corporis per oleum olivarum, quas Bald-
win et Graeberg multis collaudant encomiis,
Desgenettes ambigue loquitur. Celebratissi-
mum quondam oleum Ludovici de Leonibus
Veneti, atque Duncani Liddelii, quod
auribus, carpis, et scrobiculo cordis illinitum, mi-
rifice pestem praeservare dicebatur, oblivioni tra-
dita sunt. — Usus acidorum, praesertim ace-
ti radicalis et aromatici iis merito com-
mendandus, qui aegrotantium curas gerentes, ne-
cessario infectionis periculo exponuntur. Syl-
vius de la Boë, antequam aegros adeant, me-
dicis cochlear aceti vini, mica panis excep-
tum, sumendum suasit; — Vallesius, Hor-
stius, et Diemberbroeck spongiam vel lin-
teum aceto intincta saepius naribus, et ori ad-
moveri jubent. Hisce tamen cautionibus perquam
utilibus dispositio hominum nullatenus deletur,
sed infectionis metus pro momento solum minuitur.

816. Inconussa variolae vaccinae virtus in

casu humanarum antevertendo in quibusdam observatoribus spem concitavit, ejus insitione ipsam febrem pestilentialem praecaveri posse. — Non desunt quidem experientiae, e relationibus Angli Auban colligendae (1), quae praecconceptam conjecturam quodammodo corroborare videntur; ast continuans pestis saevities et frequentia in variis regionibus, in quibus vaccinae insitio jam divulgata est, atque tristia exempla Cel. Whyte et Valli, quorum primus inoculatae sibi pestis (variolam vaccinam prius perpessus) victima obiit, alter morbum pariter contraxit, felici tamen omni evasit, incertam omnino prophylaxin declararunt, quae nullam imitationem meretur. — Multo minus adhuc amplectenda esset inoculatio pestis ipsius, mediante carbunculorum sanie perficienda, a Veszpremio (2), et Samoilowiczio (3) proposita, quam recentiora funesta, a Mac-Gregorio relata exempla, prorsus reprobant.

(1) De Carro, Histoire de la Vaccination en Turquie etc.
p. 79.

(2) Veszpremi, tentamen de inoculanda peste Lond. 1755.

(3) Samoilowicz, Mémoire sur l'inoculation de la peste.
Strassburg 1782.

9. THYPHUS ICTEROIDES TROPICORUM.

Ferreira da Rosa (Joao) Tratado da constituição pestilencial de Fernambuco. Lisbonne 1694.

Moultre (Joannes), Diss. med. de febre maligna biliosa Americae. Edinburg 1748. — Vide Baldingeri Syloge.
Tom. I.

Dazille, Observations générales sur les maladies des climats chauds. Paris 1785.

Gonzales (Petro-Maria), Dissertacion medica sobre la calentura maligna contagiosa que regno en Cadiz el año pasado de 1800. Madrid 1800.

Valentin (Louis), Traité de la fièvre jaune d'Amérique, etc. Paris 1803.

Tommasini, sulla febbre di Livorno del 1804, sulla febbre gialla americana, etc. Parma 1805.

Harles, die gerechten Besorgnisse und die gegründeten Vorkehrungen Deutschlands gegen das gelbe Fieber. Nürnb. 1805.

Bally, François et Pariset, Medizinische Geschichte des gelben Fiebers, welches im Jahre 1821 in Spanien beobachtet wurde. A. d. Französ. von Liman. Berlin 1824.

817. Plures quidem medici, ac prae aliis Pouppé — Desportes (1) et Bally (2) febrem hancce pestilentialem Anno 1682 (proprie A. 1690) e regno Siamensi per gallicam navem Oriflamme, Indiae occidentali illatam crediderunt, cuius opinionis causa etiam morbus Siamesis, Mal de Siam, vocari solebat; exstant tamen documenta, quae eam anterioribus jam temporibus in variis Americae provinciis observatam fuisse testantur. Rev. Pater Dutertre (3) grassatam in Antillis insulis A. 1635 pestem describit, cuius symptomata cum imagine febris flavae plurimum congruunt. Ita quoque epidemiae, quae A. 1655 in Insula Martinica (4), A. 1665 in S. Lucia et A. 1685 in Brasilia grassabantur, nullum dubium de anteriori morbi adparitione in solo Americano relinquunt, quin ejus prima origo aliunde repetenda sit; cui opinioni etiam Hillary adstipula-

tur (5), febrem flavam a summa hominum memoria in India occidentali endemicam esse adfirmans. Quod autem antiquis medicinae cultoribus ignota fuerit lues, nullumque ejus in relictis codicibus inventiatur vestigium, nemo mirabitur, qui morbi natales primum A. 1492 innotuisse perpendit. **Fereyra da Rosa**, Medicus Lusitanus, primus fuit qui A. 1694 proprium de peste Americana tractatum edidit.

- (1) Histoire des maladies de S. Domingo. Paris 1770. Vol. I. p. 191.
- (2) Ball y, du Typhus d'Amérique, ou fièvre jaune. P. 1814.
- (3) Histoire générale des Antilles. Tom. I. p. 81.
- (4) Moseley, a treatise on tropical diseases, p. 421.
- (5) Hillary, Beobachtungen über die Luft, und die damit verbundene Krankheit auf der Insel Barbados. Aus dem Englisch. Leipz. 1776. p. 142.

818. Saeculo praeterito aliquoties tropicos transcendent; Annis 1740, 1747, 1793 et 1799 per mercatorias naves variis mundi plagis illata, ipsosque Europae accolas perfida nece adflictans. Ita Anno 1800 ex India occidentali navibus Gadis et Hispalin advecta, sequentibus annis per plures Hispaniae urbes, atque A. 1804 per Liburnum et Hetruriam extendebatur. Nuperrime tandem Anno 1821 Gadibus denuo enormes intulit strages.

819. Nomine typhi icterodis tropicorum intelligimus febrem acutam, contagiosam, in prima origine gastrico - biliosam, sub decursu nervoso - septicam, in variis Indiae occidentalis pla-

gis endemicam, cuius palmaria symptomata sunt praecordiorum tensio et inflatio, rodens ventriculi dolor, vomitus ater, et aurigo universalis. Vocatur passim febris flava (Febric gialla, gelbes Fieber), nomine quidem minus bene sonanti, ast a profanis aequè ac a medicis communiter adoptato; Moultrieo febris malignabiliosa Americana, Moseleyo Causus tropicus endemicus, Swedi auero Ochropyra audit.

820. Quamvis febris flava exoticam in origine luem praebeat, Europeis tamen medicis ejus notio ab illo inde tempore absolute necessaria evadit, quo funesta haecce clades jam aliquoties Europam invisit; quapropter etiam recens invasio, quam Deus avertat, haud impossibilis foret. — In pertractando argumento, quum propria deficiat experientia, Sprengelii (1), Fournieri et Vaidyi (2) ad exemplum, alienos fontes adire, eorumque praecipuos consulere debuimus. Ex observationibus autem et factis solerter collectis morbi theoriam quadantenus adumbrare conati sumus.

(1) Historische Untersuchung über das gelbe Fieber in West-Indien. In Sprengel's Beyträgen zur Geschichte der Medicin. Halle 1795. I. B. 2. St.

(2) Dictionnaire des sciences médicales. Art. Fièvre jaune.

HYPOTYPOSIS.

821. Praeviis consuetis phaenomenis, quae opportunitatis periodum in febribus gravioris no-

tae universim designare solent, anorexia utpote, capitis dolore, lassitudine, pervigilio, animi despunctione et moestitia, vel interdum absque ulla prodromis morbus extemplo cum horripilationibus ingreditur, et plerumque duo percurrit stadia distincta; tertium enim, quod nonnulli auctores adjungere voluerant, cum secundo intime confluit, quoad prevalentem characterem (debilitatis et colliquationis) prorsus collimat, inque nonnullis casibus plane deficit.

322. *Stadium irritationis, sive inflammatorio-biliosum.* Initium febris flavae indicat peculiaris praecordiorum dolor, ad hepatis regionem usque protensus, obtusus, rodens, fastidium adferens, atque ardor ferme intolerabilis, quod symptoma in nullis desideratur aegratis. Breve plurimum frigus excipit calor urens, cum siti inexplicabili, anxietate summa, spiracionibus crebris et anhelantibus, carotidum vibratione, ac pulsibus frequentissimis, plenis, plerumque molibus. Capitis dolores atroces rarissime in delirium degenerant, sed potius in somnolentiam et stuporem ($\tauυφόν$) abeunt; oculi cruentam quasi contrahunt indolem, illacrymantur, suumque amittunt splendorem, et facies inter ruborem squallent, unde singularis emergit aegrorum physiognomia. Lingua sordescit; nauseam, vomiturationem, ructusque nidorosos sequitur vomitus materiae mox pituitosae, mox bilirosae, porraceae, fœtentis; regio epigastrica constanter inflata, adeo-

que patitur, ut vel levissimam reformidet contractationem; venter dolens et oppillatus suis muniis respondere cunctatur; urinae secedunt saturae, flammeae, turbulentae. Quandoque tales emicant lumborum dolores, ut etiam sub levi trunci motu ejulatus extorqueant. Insuperabilis aegros opprimit animi desponsio, moestitia, ac mortis timor, unde etiam obdormientes terrificis expurgiscuntur insomniis. Sanguis e vena missus coloris est floride rubentis; nunc parcam, mollem, ac in superficie lutescentem deponit placentam; nunc tenaciorem et crassam separat crustum phlogisticam. Mirum tamen in modum vivent vires musculares, ita quidem, ut aegri quandoque paucis adhuc ante obitum horis lectum deserere valuerint.

823. *Stadium colliquationis, sive nervoso-septicum.* Circa tertiam, vel quartam diem cuncta, quae incitatum praeter naturam vasorum sistema indicarunt, symptomata deceidunt, subintrantibus praecipiti passu illis debilitatis et liquationis. Comparent ante omnia indicia auriginis in oculis, ad nasi pinnas, labiorum angulos, ac tandem per totam corporis superficiem. Differt autem color hujus icteri, funestum tropicorum typhum comitantis, quod multo satior est, et aurantiaco proximus. Vires vitales insigniter labuntur; pulsus fiunt parvi, debiles, myuri; capitis dolor acutus in gravedinem stupidam convertitur; aegri vix quid sentiunt, supini

cubant, velut attoniti, corpus erigere nequeunt, floccos legunt, vel muscas carpunt, quandoque inter verba desipiunt; angoribus continuis, spastica gulæ constrictione, praecordiorum doloribus, viscerum ardore, vel etiam ischuria et tenesmo torquentur; urina fluit lutosa et jumentaria; quod per alvum deponitur, decolor est et argillaceum; cutis mox arida, mox sudoribus frigidis viscida; lingua sicca et fissa; dentes soribus fuseo-atris obducti. Increscente tandem circa quintum aut septimum diem morbi saevitie deplorabilis exsurgit dissolutionis universalis status; e naribus copiosus per vices profunditur sanguis; gingivae tumidae foetentem dimittunt cruentem; per vomitum dolorosum et pervicacem rejicitur latex ater, foetidus, acreidine sua fauces irritans, sedimento coffeeae decoctae non absimilis, qui cum nullum, docente Cathrallio (1), habeat albumen, sed resinosa et oleosa materiem, atque calori expositus gas hydrogenio-sulphuraturn dimittat, potius bilis degenerata quam sanguis esset declarandus. Per alvum similes, inscio saepe aegro, secedunt materies, viridescentes, atræ, piceac, foetidissimæ, vel etiam cruento remistæ. Facies hippocratica, miliaria, petechiae, gangraenæ partium, singultus, stertor, subsultus tendinum, anaesthesia, sopor, frigus extreborum, etiam in febre flava constantes præbent instantis lethi satellites. In quibusdam casibus hubones et parotidum tumores visi fuere.

(1) *Cathrall (Isaae), a medical sketsch of the Synochus maligna, or malignant contagious fever. Philadelphia 1794.*

824. Quandoque etiam nostrarum terrarum febres bilioso-putridae et typhosae vomitu rebelli, gastrodinia, et flavedine satura stipantur, talique pacto febris flavae formam induunt. Ita Hallerus A. 1762 in ditione Bernensi icterum cum febre putrida junctum, Buchholz Vinariae 1772 vomitum atrum in febre petecchiali, et nosmet ipsi in variis occasionibus typhum contagiosum nostratem, seu exanthematicum gravi hepatis passione et aurigine comitatum vidimus. Sunt autem hi casus vel sporadici, vel contagio expertes, in singulis tantum hominibus occurrentes, ab individualibus circumstantiis determinati, ac ideo potius anomaliae fortuitae declarandi, qui autonomam morbi formam, per plures generationes propagandam, non constituunt, atque insuper syndrome essentialium febris flavac americanae characterum destituuntur.

E X I T U S.

825. Morbo secundis avibus decurrente, circa septimam, nonam, vel decimam quartam diem omnia symptomata manifeste remittunt; reddit ciborum adpetentia, placatur vomitus; conticescunt dolores capitis, ventriculi et lumborum; dissipantur turbae febriles, atque sub salubri sudorū reditu pristina recuperatur integritas. Quandoque epistaxis, aut alvifluxus insigne adferunt levamen.

826. **M**ortis ratio proxima plerumque in infesta virium exinanitione, ac praecipiti humorum dyscrasia delitescit, et ideo vix non semper sub animi deliquiis succedit. Non defuerunt cassus tantae morbi atrociae, ut aegri jam primis ab exordio diebus improvise obiverint, veluti de coelo tacti, quod phaenomenon igitur febris flava cum reliquis speciebus typhi commune habet, summae contagii diffusibilitati, ac singulari cum systemate nervoso adfinitati tribuendum.

827. **E**x tispicia defunctorum hactenus parum ad morbi naturam illustrandam contulerunt; pro diversitate enim regionis et epidemiae dominantis adeo differentia in cadaveribus deprehensa fuere phaenomena, ut ferme diversorum morborum producta esse viderentur. Potioribus tamen magisque constantibus accenscri possunt: substantia cerebri mollis et collapsa (Savaresy); meningum vasa turgida (Pouppé); sanguinis effusiones in ventriculis encephali (Bancroft), congestiones, imo vestigia inflammations in pulmonibus et pleura (Bally, Palloni); grumi sanguinis coagulati in corde et vasis majoribus; vena cava lumine multo minor, sive contracta, sive collapsa fuerit (MacKittrick); stomachus et intestina tenuia maculis rubris, discoloribus, vel vere gangraenosis inscripta, prouti post toxicationes accidit, quae quidem vestigia phlogoseos septicae in omnibus inveniuntur casibus (Moultrie, Hillary, Jackson, Mo-

seley); intra stomachum residua ejusdem materie atrae, vel atro-viridis, foetidissimae, quam aegri vomitu rejicere solent; hepar justo magis turgidum, liquido sanguine plenum, in superficie inflammatum, quandoque tamen ad speciem integrum; vesicula fellea bilem nigram, fusco-viridem et spissam recludit; lien volumine auctum et interdum plane exulcerationibus excusum (Jackson); flava decoloratio totius panniculi adiposi et omenti (Bisset); cita defunctorum putredo a praecordiis incipiens.

AETIOLOGIA ET MORBI THEORIA.

828. Eminentem in typhum americanum dispositionem offerunt advenae, praesertim in regionibus septentrionalibus, vel et indigenae ex itineribus in dissitas oras reduces; Aethiopes contra, Creolos, ipsosque Europaeos a longiori jam tempore americano solo adsuefactos (quo in casu particularem faciei squallorem contrahunt, »teint patale«) rarissime adfici constat. Proclives demum prae ceteris sunt, qui laute convivantur, dapes salitas, fumo induratas, vel multo aromate conditas, potusque generosos amant; qui venereis amplexibus abutuntur; corpus laboribus strenuis exercent, tristitia, nostalgia, aliove pathemate rodente affliguntur. Mulieres, teneros, et eos, qui sudamina ac hydroas; quovis aequinoctio in tropicis terris endemias (Moultrie), vel eandem febrem flavam passi jam fuerunt, immunes esse, ab observatoribus exploratum habetur.

829. Inter caussas occasioнаles recensetur omnium primo enormis ille aestus, qui Indiae occidentalis accolat, maxime vero advenas ita adurit, ut non solum pinguiculo sudore continuo madeant, sed etiam floridum corporis habitum brevi amittant. Mense Augusto et Septembri tantus est coeli fervor, qui neque noctu infra 90° thermometri Fahrenheitiani descendat. Cur autem calor insularum tropicarum praecipuus sit febris flavae fons, Savaresyus explicare conatur ex abundantia acidi carbonici, quoniam lux solaris, propter pluvium coelum in plantas agere, et gas oxygenium extricare nequit. Inde etiam perspiratio cutanea depravatur, ut sudores foeteant, metalla oxydent, et lintea arrodant. — Imminutam electricitatis atmosphaericae tensionem, qualem aér aestuosus communiter offerre solet, ad genesin febris flavae plurimum contribuere, hujusque dominium ea ratione declinare, qua cerebriores contingunt electricae explosiones, variis experimentis nuper statuminavit Americanus Medicus Shecut (1).

(1) Medicinisch-chirurgische Zeitung von Ehrhart. 1823.
III. B. S. 141.

830. Alteram prophasin praebet humiditas atmosphaerae adeo insignis, ut omnes fere fidei limites excedat. Ita notum est, in Insula S. Domingo et Jamaica pecudes fere nunquam sitire, cum ex aëre sufficientem absorbeant humorem; suppelletilia ferrca rubiginem, aliaque corpora

mucorem mira facilitate contrahere. Immensa paludes, lacus, vicinia maris, illuvies et imbræ abundantes, nec non oryzae et sacchari cultura ad hancce exitialem atmosphaerae conditionem plurimum conferunt; estque adeo evidens ejus insalubritas, ut ipsa febris flava in illis tantum evolvatur regionibus, in quibus calor excessivus unacum humiditate et paludosa mephite concurrit, quae infra maris libellam sunt sitae; vel super hanc parum eminent, et quarum flumina fluxum et refluxum experiuntur.

831. Tertium denique momentum procatarcticum largitur perfrigeratio repentina, nocturnis praesertim horis corpori admissa; quare, testante Humboldtio, summe detrimentosum est, noctes sub divo sereno transigere. Si refrigerii causa furuncularis illa eruptio, quam advenae in Antillis interdum contrahunt, derepente reprimitur, febris flava pariter sequi observata est.

832. Hactenus de causis, quae febrem flavam originariam producunt. Quamprimum autem morbus altiorem vehementiae et malignitatis gradum adeptus est, contagioso principio eliciendo par evadit, quod in sanis et dispositis eandem aegritudinis formam concitat, atque per atmosphaeram contaminatam non minus, quam per contactum mediatum, vel immediatum ultro diffunditur et multiplicatur.— Digladiantur quidem medici circa contagiosam febris flavae naturam; nonnulli enim eam absque haesitatione defendunt,

uti Ulloa, Lining, Hillary, Mackittrik, Schotté, Arejula, ac, summus hac in re judex, Cl. Haygarth; aliis interim, uti Moultrieo, Valentino et Savaresyo contrarium adserentibus. Videntur tamen haece discordiae sine negotio conciliari posse, dummodo febris flavae origo et decursus adtentiori perpendatur animo; unde etiam majorem verisimilitudinis gradum acquirit sententia Gilberti, Clarkii, et Humboldtii, qua morbus modo contagiosus, modo contagii expers declaratur.

833. Quemadmodum complures febres acutae epidemicæ aut endemicae, si sub adversis circumstantiis, debilitati et colliquationi patrocinantibus, decurrunt, ac certum malignitatis contrahunt gradum, contagiosos fomites extricare, ac in veras pestes degenerare valent, ut id de typho nostrate, et de febre anthracica Orientis, quae saepe ex insontibus in principio febribus prosiliunt, competum habemus; ita etiam nihil obstat, quominus febres biliosae, aut inflammatorio-biliosae Occidentis, ab initio pure endecimae vel epidemicæ in contagiosam vertantur luem, quo in casu non solum inter soli natalis incolas celerrime diffunditur, sed etiam per merces, maxime gossypinas et laneas, aut per insecta ad remotissimas plagas transvehitur, quod concipi nullatenus posset sine contagiosi fomitis intercessu. Praestantia demum praesidiorum prophylacticorum, ac in primis separationis infectorum in coërcenda ulteriore mali

diffusione, nec non experientia illa, a pluribus
observatoribus confirmata: homines febrem fla-
vam semel perpessos, secundae infectioni impunes
resistere (1), adsertum adhuc magis corroborare
juvant.

(1) Lettre de Madrid, publiée par le Moniteur. Vide Journal de Francfort 1804. Nr. 347.

834. Duplicem igitur febris flavae tropicorum
formam statuere, rationi summe consentaneum
est; benignam utpote, neutiquam contagiosam,
et malignam, seu vere pestilentiale (1). Prior,
ab Anglis R. Jackson, S. Browne, Fr. G.
Eymann et Rush exacte descripta, febrem
praesentat biliosam, aut inflammatorio-biliosam
(καυστὸν Hippocratis Moseleyo scite docente),
cujus origo, popularis diffusio, atque major, quam
in nostra zona temperata contingere solet, malig-
nitas e circumstantiis climaticis absque difficultate
concipitur, quin tamen ideo, testantibus Che-
valiero et Hukio, essentialis vigeat eam in-
ter et febres biliosas Europae differentia. — Altera
contra febris flavae forma, e priori quidem
oriunda, evolutum jam supponit contagiosum fo-
mitem, et quamvis in primo stadio characterem
febris genitricis retineat, nempe inflammatorio-
biliosum, ociter tamen ad astheniam et liquatio-
nem septicam properat, unde veram typhi putridi
imaginem praebet. Atque haec est ratio, cur mor-
bum inter contagiosas febres, et speciatim inter
illas a methystico miasmate oriundas pertractavi-

mus, *typhi* generico nomini epitheton *icteroidis tropicorum*, exemplo *Sauvagesii* et *Sprengelii*, adjungentes, quo specialis et constans morbi forma, simulque natales indicantur; evitata tali pacto ambigua compellatione febris flavae, quae etiam ad *ναρτον* tropicorum insontem, non contagiosum, atque ad alias cujusvis generis febres, *ictero comitatas*, omni jure extendi posset.

(1) *Sprengelii Institut. pathologiae specialis.* §. 112, 113.

835. Eadem ratione, qua febres inflammatio-
rio-*catarrhales* et exanthematicas mali moris, si
in characterem nervosum, aut septicum nituntur,
praeccipuas matrices *typhi* contagiosi nostratis, seu
exanthematici esse, huncque ideo symptomatibus
catarrhalibus per omnem fere decursum stipari
comperimus; — ita febres inflammatorio-*bilio*osas,
ob climatis torridi potentiam in maleficam liqua-
tionem versas, *typhi* occidentalis genitricem esse,
nobis verisimile videtur. — Incitatio vitalis, in
primo morbi stadio constanter aucta, acerbus ad
epigastrium dolor, vomitus rebellis, angores sum-
mi et cadaverum autopsia non solum primitivum
characterem inflammatorium, sed etiam topicum
processum phlogisticum in ventriculo abunde evi-
cunt; icterus vero, aliaque symptomata bilis re-
dundantis et qualitative alteratae, sistema cholo-
poeticum eminenter affectum esse, extra dubita-
tionis alcām ponunt, quin tamen verae inflamma-
tionis in hepate praesentiam tuto indicent.

CURA,

836. Quatenus typhus icterodes tropicorum varium juxta stadiorum diversitatem offert characterem; eatenus quoque ipsam medendi rationem variare debere, sponte liquet. In primo stadio aucta virium incitatio, topica irritatio ventriculi et hepatis, atque redundantia bilis necessitatem remediorum antiphlogisticorum et evacuantium vindicat. Debilitas contra et septorrhepsia in periodo secunda praevalens ad cardiaca nervina, roborantia et antiseptica configere jubet. In utroque tamen casu mere indirectam esse curam eo intentam, ut vires vitales rite temperentur, alteratus vegetationis processus corrigatur, et symptomata urgentia leniantur, jam inde intelligi poterit, quod de critica et contagiosa agitur febri, cuius sanatio medicatricibus naturae moliminibus plurimum incumbit. Generales canones therapeutici non differunt ab illis, quos jam in capite de typho exanthematico enucleavimus; quapropter nonnisi specialiores quasdam medendi rationes, a medicis autoptis cum emolumento usurpatas, subjugere restat.

837. Experientiae Lindii, Moseleyi, Jacksonii et Griffitii docuerunt, venaesectiones in morbi principio semper desideratas tulisse opes; summam tamen in hujus remedii usu circumspectionem dictat inevitabilis ferme in astheniam et liquationem transitus. Potiones refrigerantes, emollientes, mucilaginosae, ac similes

clysteres ventriculi sensilitatem, et dolores acerbos optime leniunt. Circa efficaciam balneorum tepidorum vix non omnes conveniunt practici.

838. Scopo sordes biliosas evacuandi, simulque beneficam metasyncrisin efficiendi emetica quidem valde prosunt; eorum tamen usui ob manifestam stomachi irritationem inflammatoriam rariissime conceditur locus, nisi prima excipiamus morbi initia. Melius quadrant purgantia leniora, tamarindi, manna, tremor tartari, mercurius dulcis, quae alvum leniter subducunt, quin irritatos fistulae cibariae parietes offendant.

839. Sub transitu primi stadii in secundum, vel etiam citius, sinapismi et vesicantia princeps suppeditant auxilium, quo praemisso ad remedia cardiaca et roborantia transire licet. Corticem peruvianum, nisi forma decocti, infusi, aut extracti, aromatibus nupti, exhibeat, excessiva stomachi sensilitas plerumque recusat. Eminentia laudes sibi promeruerunt vinum generosum, radix serpentariae, moschus et aether vitrioli.

840. Acida, et quidem prae aliis vegetabilia, per totum morbi decursum prosunt; in principio enim dyscrasiam phlogistico-biliosam, et in secundo stadio septicam emendare optime juvant. — Bally et Morreau de Jonnes frictiones totius corporis parenchymate fructuum citri, quas Aethiopes indigeni generatim in febre flava affectis usurpare consuescunt, summi emolumenti esse testantur. Hunter gas acidum carbonicum

commendat, quod praecipue, dum pertinax urget vomitus, Riverii ad mentem subministratum omnino prodesse poterit. Litus ex oleo olivarum etiam in peste americana felici cum successu adhibitos fuisse, e Cel. Humboldtii relationibus constat.

841. Alienis mundi plagis inventa lues icterodes tropicorum, plerumque brevi tempore exterminari solet, si palmaria praesidia prophylactica solerti ac indefesso adhibentur studio, et prescriptae cautiones rite observantur. Spectat febris flava inter illas pestes, quae, si ad septentrionales transferuntur oras, vastissimas quidem edunt strages, ast brevi a saeviendo desistunt, quum illae ibidem deficiant circumstantiae, quae fomitis contagiosi primigenae evolutioni et ulteriori conservationi opitulantur; quare, deficiente veluti pabulo, pedetentim emoriuntur. Nullam vero spem concipere licet, febrem flavam in solo natali unquam extirpatum iri, irreparabilis climaticae conditionis causa, quae perennem et fertilissimam praebet scaturiginem. Quidquid igitur ad tuendam incolarum salutem praestari potest, unice in possibili causarum maleficarum vitatione, et adcommodato vitae genere erit quaerendum.

II. INFLAMMATIONES TOXICAE.

GENERALIA DE VENENIS EORUMQUE AD ORGANISMUM VIVUM RELATIONE.

J. Fr. Gmelin, allgem. Geschichte der Gifte. 5.Th. Leipzig. 1776.
Plenck, Toxicologia. Viennae 1785.

Orfila, allgem. Toxicologie oder Giftkunde. A. d. Französ.
durch Hermbstädt. Berlin 1818. 4.Th.

Schneider, über die Gifte. Tübingen 1821.

847. Quaevis substantia, cuius interiorem qualitatem inter et organismum vivum tanta viget oppositio dynamico-chemica, ut parva etiam quantitate deleterios vel plane lethiferos edat effectus, **veneni nomine insigniri potest. Toxicum inde appellatum videtur, quod Barbari sagittas, quas Graeci Toxeumata vocant, venenato fomite illinirent. Ut tamen venenorum natura et in corpus humanum agendi modus effectuumque possitorum ratio, per quantum in abstruso argumento licet, innotescant, atque dato beneficii casu rationalis medendi methodus institui possit, generales quasdam notiones praemittendas esse, necessarium duximus.**

845. Omnia primo monendum est, relationem veneni ad organismum nunquam esse simpliciter dynamicam, sed semper dynamico-chemicam, quam non aliunde, nisi ex dissonantia et antithesi inter elementa materialia substantiae venenosae, illaque organismi repetere valemus. Tali ratione excluditur veneno-

rum actio in distans, solis imponderabilibus propria, quippe talis, quae mediantibus conductoribus perficitur, quin tamen vel illa, vel isti mutationem visibilem perpetuantur; secus et ignis et fulgura venenis adnumerari deberent.

844. Posita materiali principii venenorum activi indole, venena ipsa nonnisi substantiae esse poterunt *visibles*, vel *ponderabiles* duntaxat, in spatio existentes, qualiscunque demum fuerit eorum forma, solida, liquida, vel vaporosa. Nisi igitur substantia venenosa, vel, quod idem est, aliud corpus ea imbutum, organismum immediate contingat, beneficium fieri nequit, mysteriosa enim antiquorum beneficia per philtrea, per fascinum, incantationem, per basilisci intuitum et s. p., ad aniles pertinent fabulas.

845. Mutata materialis venenorum forma, quae toties ab accidentalibus dependet circumstantiis, naturam eorundem specificam agendique modum ne hilum alterat, dummodo chemica elementorum proportio nullam patiatur mutationem. Ideo e. g. mercurius sublimatus corrosivus sive in pulverem redactus, sive aqua solutus, sive demum in vaporis speciem dissolutus fuerit, easdem saluti struit insidias. Memorare tamen oportet, venenositatem substantiarum solidarum semper in directa proportione esse cum earum solubilitate. Quae humoribus animalibus non solvuntur corpora, nullam exerunt vim venenatam, quatenus requisitum elementorum chemicorum dissidium de-

terminare nequeunt; agunt solo pondere, mole, figura, ergo forma mere fortuita, vitri contusi vel amianthi plumosi exemplo, ac perperam venena mechanica adpellantur, nisi et fustes, et laqueos, et sclopeta venena dicere velis. Substantiae deleteriae, fortuito casu in vaporem dissolutae (v. g. vapores arsenicales), vel virulentae atmosphaerae, quas illae subinde, phlogisticorum continuo emanantium causa, ad notabilem distan-
tiam spargunt, uti narcotica, veneni nomen omni jure sibi vindicant, a nonnullis cum illo mephitis commutatum. Eas vero fluidorum elasticorum species, quae nunquam in formam concretam vel liquidam condensari possunt, quae elementa primigenia omnium corporum constituunt, atque negativam potius, quam positivam super organismum vivum actionem exerunt, subtrahendo vel dengando principia ad vitam necessaria, et maxime respirationis munus laedendo, uti essent gas acidum carbonicum, hydrogenium, azotum, horumque miscelae, quas in atmosphaericis corruptis praedominari novimus, — has inquam, gasiformes species, mephitis potius, quam veneni compellatione distinguere placet. — Discrimen inter mephites et venena, quatenus corporum organicorum producta sistunt, jam alibi (§. 170, 179) addictavimus.

846. Venenorū actio ea propter nos latet, quod elementa eorum haud ubique cognoscimūs. Id tamen generatim in dubio poni nequit, in ce-

lebratissimis venenorum generibus unum alterumque elementorum polarium, oxygenes nimirum, vel phlogiston praedominari, tantoque majorem esse saevitiam, quo major haec inter et organismum viget heteronymia et dualistica oppositio, et quo facilius principia illa clementaria, laxioribus vinculis copulata, ab invicem secedunt, novasque cum elementis massae organicae uniones ineunt. Tali ratione venenorum exsurgit, modernis pluribus accepta, divisio in oxygenata et phlogistica, quae, utut chemicis innixa principiis, pratico medico nondum eam, quam a priori pollicetur, utilitatem adulit.

847. Dicunt passim, venena pro diversitate elementi praevalentis adeo constantes in organismo effectus concitare, ut ea, quae phlogistico scatent principio, vitam sensiferam proxime adficiant, nec sanguinem, nec humores singulari modo mutant; oxygenata ex adverso in irritabiles primitus agant partes, ac vegetationem organicam invadant. Experientia tamen, hancce legem nequaquam constantem esse, abunde confirmat; siquidem plura venena phlogistica, uti essent septica, olea caustica, massam organicam eminenter adficiunt, oxyda vero saturnina nervos primario adgrediuntur.— Ergo venenorum actio non ubique cum stoechiometrico eorundem charactere pari passu incedit, sed variis subjecta est exceptionibus; quapropter tamen injustum foret, omnem supra expositae venenorum partitioni valorem abnegare, tanto ma-

gis, quod venenorum actio per eminentiam chemica vix melius, quam e legibus chemicis explicari potest, dummodo peculiares illae ante oculos habeantur modificationes, quas organismi vitalitas determinat. Utrum e reciproca inter venena et singulas vitae manifestationes relatione eorum actio nefors tutius explicari possit, mox patebit.

848. Diversitas electivae actionis venenorum, atque effectuum, quos producunt, dependet a diversa ipsorum indole et qualitate, nec non a diversa, quam inde contrahunt cum singulis organismi systematibus et organis relatione dynamico-chemica. Hujus cognitionem nobis unice suppedit observatio, unde haud raro ad occultas etiamnum venenorum qualitates aliquo saltem cum verisimilitudinis gradu concludere licet, cautum semper analogiae et inductionis usum faciendo. Neque venenorum actio ex aliis, quam quae medicamentorum actionem regunt, principiis erui poterit

849. Dantur venena, quae primitus in incitationem agunt; virium organicarum harmoniam eum in modum subvertendo, ut vel alterutrius, vel utriusque factoris vitalis energiam sufflamment, vel conficiant, idque non raro fulguris celeritate praestent. Quae incitationis vitalis gradum intendunt, in systemate nervoso dolorem creant, in irritabili vero, et quidem paeprimis in systemate vasorum, motum organicum celeritate et robore augent; venena stimulantia

inflammantia; — quae autem contraria pollent virtute, facultatem, sensitivam prosternunt, unde anodynbia (indolentia) et anaesthesia (stupor, insensilitas), atque principium irritabile exhauriunt, unde circulationis torpor et musculorum paresis; venena narcotica, seu stupefacentia. Utriusque ordinis toxica includunt substantias, quarum nonnullae ad unum, aliae ad alterum referuntur principium dynamicum, unde in expansiva et contractiva ultro subdividi possunt. Alcohol et cantharides e prima prosapia, acidum hydrocyanicum et oxyda plumbi ex altero ordine exempli causa adduxisse juvabit.

850. Alia ex adverso venena processum vegetativum, seu chemismum, ut ajunt, animalem, directe ad grediuntur, elementorum componentium proportionem et differentiam subvertunt, massae organicae eucrasiam et texturam destruunt. Huc referimus venena corridentia et septica, quorum prima gangraenam seu mortem topicam in parte, quam pertingebant, altera processum colliquationis praecipitem in tota oeconomia animali producunt. Quemadmodum primae classis venenorum actio non nisi in homine vivo locum habere potest, ita venena secundae classis eam habent potentiam, ut etiam in cadaveribus similes ponant effectus. Ergo si quaedam absoluta admittenda essent venena, non nisi inter septica et corrosiva inveniri possunt.

851. Qui nexum intimum inter incitationem

et vegetationem norit, absque negotio comprehendet mox adlatam distinctionem venenorum sub duplice nimirum ad organismum relatione, cum grano salis comparandam esse; nemo enim inficiabitur, venena stimulantia et narcotica vix unquam actionem suam ad dynamicas vitae manifestaciones limitare, quin materies organica citius seriusve exitiosam contrahat crasin, atque vice versa organisationis et eucrasiae destructionem viribus illibatis contingere posse. Distinctio fundatur in actione primaria et eminenti, quac tamen innumeris sub formis et modificationibus in conspectum venit pro specifica singulorum venenorum qualitate.

852. Quamquam venenorum actio mere relativa nulli subjacet dubio, quatenus eadem substantia diversis exhibita dosibus nunc salutem restituit amissam, nunc exitium parat, atque pro effectu salubri aut pernicioso, quem producit mox medicamentum, mox venenum dici potest; nihil tamen secius significatio strictioribus limitibus erit complectenda, cum plures substantiae tanta polleant pernicie, ut data quantitate etiam exigua (v. g. paucorum granorum) nunquam prosint, sed semper funestos, imo et lethales effectus ponant, exemplo arsenici, vel acidi prussici. En potiores conditiones, a quibus relativa venenorum actio plurimum dependet:

853. I. Quantitas major aut minor, quo intuitu a contagiosis essentialiter differunt. Inde

evenit quoque, venena minori dosi irritationem tantum adficere, majori vero copia materiem organicam destruere, quod de corrosivis praesertim dicendum.

854. II. Locus applicationis. Nonnulla venena, dum in apertis plagis adhibentur, vel in venas injiciuntur, truculentissimos exerunt effectus; illaesas vero ventriculi, intestinorum, ipsiusque oculi partes contingentia, vel nullas, vel mitiores saltem reactiones concitant. Ita venenum serpentum, et americanum Ticunas, integris modo faucibus, obliguritur impune. Tardius agunt eadem venena, dum nervorum truncis adplicantur, quam in finibus periphericis. Idem saepe venenum diversis locis adplicitum diversos ponit effectus; tartarus emeticus ventriculo exceptus vomitum, cuti illinitus exanthema sui generis producit. Epidermis venenorum noxas optime arcet. Variant demum phaenomena, quae in parte immediate contaminata subnascuntur, ab illis, quae a venenato fomite absorpto in reliquo organismo, vel ex simplici consensu in organis remotis evolvi videmus.

855. III. Specifica relatio venenorū ad determinata organismi systemata et organa. Existunt quaedam venena, quae summe perniciose in certis organorum seriebus mutationes efficiunt, dum alias ferme illibatas relinquunt, atque hoc intuitu cum medicamentis specificis apprime collimant. Exempla sint narcotica, emetica, drastica, cantharides, sabina.

856. IV. *Individualis organismi dispositio et consuetudo.* Homines robusti, bene pasti, phlegmatici, torpidi, senes, caeteris paribus majores perferunt venenorum doses, quam infantes, feminae, delicatuli et convalescentes. Praesentia quarundam dyscrasiarum sine dubio deleterios venenorum effectus retundere valet, nefors ideo, quod polarem invenientia oppositionem in neutram ac insontem rediguntur naturam. Ita a syphiliticis hydrargyrum corrosivum, ab illis, qui cancro detinentur, insolitas arsenici doses impune perferri posse, compertum habemus. Quanta demum consuetudinis sit potestas in temperanda certorum toxicorum saevitie, cuivis notum est.

857. V. *Diversa vitae animalis evolution; et organisationis differentia.* Dantur venena, quae vel soli homini, vel solis animalibus, et saepe uni solummodo generi nocent. Caprae cicuta impunes vescuntur, quae homini adeo dirum est venenum; doronicum canes necat, rupicapras et alaudas nutrit; piperis grana homini innocua, suibus autem damnosa sunt, quos e contrario radices hyoscyami absque noxa devorare novimus; herba aconiti insonis equis suppeditat pabulum.

858. VI. *Certus gradus heteronymiae, seu differentiae inter elementa veneni, illaque organismo animalis.* Inde concipitur cur aciores substantiac

minerales sine distinctione et plantis et animalibus venena esse soleant, quorum actio ab organisationis diversitate insensibiles tantum patitur modificationes. Venena animalia eo magis truculentos exerunt effectus, quo magis natura et organisatione differt animal, quod venenum generat, ab illo, cui adplicatum fuit, quapropter animalia sanguine calido a similibus venenis (quae constanter ab animalibus frigidi sanguinis proveniunt) acerrime adficiuntur, quae e contrario pro individuis ejusdem generis, vel etiam pro illis ordinum inferiorum indifferentem sistunt stimulum. Ita viperas se invicem absque ulla noxa saepe irato percellere dente, repetita incomparabilis Fel. Fontanae experimenta extra dubitationis aleam posuerunt (1). Idem viperarum toxicum hirudinibus, limacibus, insectis, aliisque serpentibus insonis observatum fuit. Fabulosam vulgi opinionem de scorpionibus, quos venenato aculeo capiti infixo sibimet ipsis necem parare credunt, mox laudatus observator abunde refutavit.

(1) Fontana, *Traité sur le vénin de la vipere etc.* Florence 1781. T.I. p.24.

859. Quodvis naturae regnum venenata includit corpora, quare in mineralia, vegetabilia et animalia dividi passim solent, quae quidem divisio aliam utilitatem non praestat, quam quod substantias adeo multifarias in determinatas quasdam coordinat familias.

860. Quemadmodum in mineralibus forma so-

lida eminet, haec autem principio contractivo praeponderanti debetur, cui in processu chemicco oxygenium respondet, ita etiam venenata plurimorum mineralium vis ab oxygenii abundantia ejusque laxiori cum oppositis principiis nexus repetenda videtur. Re quidem vera compertum habemus, corpora simplicia, terras, metalla regulina, metalloides, sulfur, carbonem etc. innocua esse, nisi diversa cum oxygenio contrahendo connubia in oxydula, oxyda, vel acida abeant; periculum vero eo majus esse, quo major fuerit oxygenii evolutio, quod arsenici, hydrargyri, et acidorum mineralium exemplum abunde confirmat. Negari tamen nequit, venenatam mineralium indolem neutiquam ex solo oxygenis praedominio explicari posse, cum tot oxyda et acida absque damno ferantur. Praeter faciliorem separationem, atque majorem substantiae oxydatae solubilitatem, incognitas adhuc elementorum geneses et syntheses supponere fas est. — Id saltem indubitatum est, substantias, in quibus elementa polaria statui indifferentiae quamproxime accedunt, vinculisque adeo strictis invicem uniuntur, ut violentis tantum operationibus chemicis separari possint, — uti esset aqua, sales neutri plurimi, venenatis carere viribus.

861. Venena, quae corporum organicorum productum sistunt, a mineralibus jam ex eo discrepant, quod activitas praecipua a praeponderanti phlogisto, diversis sub formis evoluto et com-

binato, dependet. In venenis vegetabilibus hydrogenes carbonicum praevalere, uti opinantur Fontana, Mons, et Sprengel, persuadent odor virosus, natura volatilis, adfinitas eorum cum oleis aethereis et alcohole, quibus commune est id elementum, analysis demum chemica, atque acidorum virtus in temperandis effectibus. Quo magis evolutum et liberum fuerit illud elementum, eo magis praeminet vis narcotica veneni.

862. In animalibus vero substantiis vitae humanae deleteriis azotum videtur princeps constituere elementum, quod saltem e particulari earum praecipitem saepe colliquationem materiae organicae provocandi efficacia quodammodo colligi potest. A diversis azoti connubiis cum aliis phlogisticis, vel et a determinato oxydationis gradu diversitatem effectuum pendere, per analogiam conjicere liceret.

863. Etiam si hodieque conditions proximae latent, sub quibus corpora organica venenatos producere soleant fomites, remotiores tamen quedam circumstantiae, venenorum specificorum genesi faventes, observatione colligi poterunt, e quibus rite inter se collatis ac maturiori scrutinio subjectis fors quondam toxicogeniam illustrare licebit. 1) Maximus plantarum et animalium venenatorum numerus in zona torrida observatur; decrescit in climate temperato, ac penitus evanescit in horrido septentrione; unde concludere

fas est, influxum caloris potentioris, lucis, electricitatis, ad evolutionem principii venenosi necessariam esse conditionem. — 2) Plantae et animalia, quae sub aqua vivunt, veneno generando minus apta dici possunt; nullum saltem hucusque innotuit piscium genus, quod specificum pararet venenum, exceptis illis qualitatibus nocivis, quas interdum contrahunt in gratiam alimenti pravi, status morbos, aut putrefactionis. Colubri eadem species exitiosior esse consuevit, dum in aprico et arenoso vivit solo, quam dum paludes incolit. 3) Quo inferioris ordinis fuerit ens organicum, eo majorem in generandis venenatis principiis habet potestatem. Hinc ingens plantarum venenatarum caterva numerum animalium, similem ob causam nocivorum, longe superat. — 4) Nullum existit animal sanguine calido, quod in statu salutis venenum specificum pararet, omnia hoc intuitu infamia animalia pertinent ad classem amphibiorum, insectorum et vermium. — 5) Quo junius fuerit animal, et quo minorem processus animalis habuerit energiam, eo minor quoque venenati, quem secernit, liquoris esse solet vis. — 6) Venenosa plantarum et animalium principia nunquam totam organismi massam inquinant, sed ad determinatas limitantur partes, alias innocuas relinquentia. Ita plantae plures, quarum folia, flores vel fructus summe damnosos exerunt effectus, in radice nullum veneni indicium produnt. Serpentes et insecta nonnisi in propriis vesiculis

toxica secernunt ex insonti sanguine, quibus organis destructis nullum amplius generare valent virus. — Desiderandum sane foret, ut tale argumentum, quod veluti per transennam adtingere placuit, majorem naturae scrutatorum attentio-
nem excitet!

DE VENENIS INFLAMMANTIBUS EORUMQUE EFFECTUBUS IN SPECIE.

874. Praemissa hacce brevi digressione, qua venenorum physiologiam et relationem diversam ad organismum vivum aliqua saltem ratione adumbrare studuimus, et quidem eo maxime respectu, quod morbos toxicos incassum curare tentabit medicus, quem generales illae notiones circa veneni, ceu causae efficientis, naturam et agendi modum latent, — revertimus modo ad praefixum nobis objectum, ad specialem videlicet contemplationem inflammationum, quatenus productum venenorum sistunt.

865. Ex supra adlatis (§. 849) abunde liquet hic loci nonnisi de venenis stimulantibus acribus et corrosivis sermonem esse posse, quibus omnibus incitatio vitalis ad altiorem extollitur potentiam, atque diversi inflammationis gradus producuntur, si cuidam parti immediate adplicata systematis capillaris vitalitatem ultra modum incendunt, quam ob rem etiam *venena inflammantia* vocari solent.

866. Juxta varium potestatis gradum, quem

venena exhibent in gratiam quantitatis majoris, vel qualitatis magis activae, inflammatio producta diversam offert intensitatem et formam, prouti nempe irritatio vel intra limites simplicis congestionis consistit, vel vero ad eum intenditur gradum, ut etiam vegetationem diversimode alteret. Specifica demum veneni indoles specificos inflammationis characteres determinat, vel saltem generales plurimum modificat.

867. Vénena inflammantia minori in gradu partem, quām adtingunt, leviter irritant, copiosiorem in subtilissima vasorum retia sanguinem alliciendo, atque ruborem accersunt plus minusve intensem, quem praesertim in cute lacesita videre est, nunc aequabiliter diffusum (erythema), nunc variegatum et interstinctum (roseola), qua propter etiam venena rubefacientia, phœnigma, seu epispastica compellantur.

868. Eaedem substantiae acres forma saturatiori adplicitae, multo tamen magis illae, quibus e sua natura major competit venenositatis gradus, graviorem incendunt inflammationem, ac pro caustica virtute, epidermidem a vinculis, quibus cum corio subjecto nectitur liberantes, vesiculas adtolunt diversae magnitudinis et copiac, nunc minutulas (phlyctaenas), nunc ampliores (bullas), quare vesicantia passim audiunt. Dum externae admoventur corporis superficie, dermatitidi inde oriundae varias conciliant formas, eczematis, pemphigi, herpetis, erysipelatis vesicularis.

869. Summe deleterios tandem effectus ponunt venena caustica, cauterizantia, seu escharotica, quae gravissimam non solum, eamque acutissimam inducunt phlogosin, sed praeципiti passu materiam organicam corrodunt, destruunt, ac in gangraenosam convertunt escharam.

870. Characteres essentiales inflammationum toxicarum, quibus a miasmatico-contagiosis atque specificis quoad diathesin discrepant, ad sequentes reduci possunt:

871. I. Inflammationes toxicae sunt semper i diopathicae, oboriuntur videlicet in eodem loco, cui venenum adplicatum fuit. Quae sub usu venenorum acrum et corrosivorum, minori dosi exhibitorum, in remotis ab atrio organis interdum evolvuntur, irritationes, uti v. g. pneumonitides lentae ex toxicatione arsenicali, vel mercuriali, originem suam non ab immediata et directa veneni actione depromunt, sed a metamorphosi abnormi, quam totus processus vitalis passus est, ac ideo specificis signis destituuntur.

872. II. Nullum sibi unice privum agnoscunt substratum, sed in qualibet parte organica, cui immediate adplicantur venena, evolvi possunt. Per eminentiam tamen plectunt superficiem cutis et membranarum mucosarum, ceu communissima potentiarum nocivarum atria, quapropter quoad formam creberrime ad dermatidem, vel phlegmhymentidem spectant.

873. III. Veneni adplicationem inter et morbi IV.

evolutionem brevissimum intercedit intervallum, vix animadvertisendum, si caustica fuerit veneni indoles.

874. IV. Communia phlogoseos symptomata altiorem assumunt gradum; unde rubor intensus, calor urens, dolores acerbi, tumor insignis, febris vehemens, quorum vel summatim, vel singilatim eminentium phaenomenorum intensio a veneni potestate plurimum determinatur.

875. V. Juxta diversum veneni ingenium consueti phlogoseos satellites particulares contrahunt modificationes, ita quidem, ut singularis haud raro in effectibus adpareat contradictio; acerrium v. g. incendium absque dolore, vel acerba ex adverso tormenta absque notabilis effervescentiae phlogisticae indiciis. Ipse dolor, vel pruritus adeo peculiares offert varietates, ut vel inde ad toxicis inscie adpliciti genus persaepe concludere liceat.

876. VI. Inflammationes toxicae, praeter symptomata localia, etiam generales in toto organismo, vel sympathicas in partibus remotioribus concitant turbas, quae vel a fomitis venenosis absorptione, vel ab ejus actione primitiva, dynamico ferme modo diradiata, dependent. Diversa tamen veneni natura, ac specifica quaedam versus determinata systemata organica adfinitas et relatio efficit, ut ea symptomata secundaria mox in sanguineo; mox in nervoso, mox in plastico systemate extricentur. Ita venena simpliciter acria et corro-

siva febrem incendunt diversae intensitatis; narcoticō-acria nervosam vitam labefactant non sine aegri discriminē; septico-acria dyscrasiam et colliquationem sollicitant.

877. VII. Pro sua origine non egent dispositione peculiari, sed in quovis individuo sive sano, sive infirmo evolvuntur, dummodo venenum sufficienti adhibeatur quantitate, nihilque intercedat, quod ejus influxum infringere valeat. Sensibilitas minor, fibrae animalis torpor, contracta per frequentiorem veneni adapplicationem consuetudo, epidermis crassa, aliaque plura momenta dispositionem quidem minuere eatenus poterunt, ut major potentiae nocivae requiratur dosis, eam tamen nunquam extinguunt.

878. VIII. Quot sunt venenorum inflammantium species, tot etiam occurunt inflammationum toxicarum schemata. Quatenus identicus phlogoseos character unice a veneni specifico ingenio pendet, eatenus per nullam aliam produci poterit causam.

879. IX. Decursum observant plerumque rapidum, typi determinati, nisi continuata veneni actio, vel effectus quidam secundarii diutinum foveant phlogoseos incessum.

880. Si talis fuerit veneni, parciori praesertim quantitate adhibiti, natura, ut renitentibus viribus organismi, vel aptis remediis destruatur, antequam miscelam massae organicae adgredi potuerat, perfectae resolutioni conceditur locus;

ubique tamen inflammationes toxicæ eminentem patefaciunt nisum in gangraenam et sphacelum, cujus evolutio subinde adeo præcipiti succedit passu, ut nulla arte præcaveri queat.

881. XI. Inflammationes a veneno sua præsentia neque fomitem, unde ortum duxerunt, reproducunt aut multiplicant, neque proclivitatem in recidivas sufferunt; quo intuitu ab inflammationibus contagiosis eminenter discrepant.

882. XII. Praeter tractamen antiphlogisticum, gradui morbi adcommodatum, specificis egent remediis, quibus funestas veneni vires retundere, vel organicas partes duntaxat adversus eas munire adnitimur.

883. Potiores nunc breviter exponendae resistant inflammationum toxicarum species, sub quarum enumeratione tamen ad eas tantum attentio nem præcipuum limitare placuit, in quibus characteres specifici, vel veneni irritantis causa, vel quod externas occupent partes, sensibus patentes clarius in conspectum veniunt.

884. Venena mineralia, quae oxygenii exsuperantiae maleficas suas debent vires (§. 860), uti oxyda metallica, sales diversi, alcalia et acida concentrata, in eo conveniunt, quod inflammationem acutissimam cum præcipiti in gangraenam nisu inducunt, cujus tamen forma vix aliquid singularis offerre solet, nisi a tartaro emetico et hydrargyro productam excipere velis, speciali mentione haud indignam.

885. *Tartarus emeticus* cuti externae forma unguenti, aut saturae solutionis infriktus ardorem, ruboremque partis concitat, cui brevi dermatitidis exanthematicae sui generis symptomata succedunt. Emicant nimurum papulae rubrac, discretae, ardentes potius quam prurientes, magnitudinis diversae, quae intra paucorum dierum spatium in dolentissimas abeunt pustulas, margaritaceas, opaco liquore turgidas, rubro halone cinctas, variolis non absimiles, interpositis tamen cutis decoloris plagis. Postquam hae pustulae maturationis fastigium adtigerunt (quod ordinario septimo ab eruptione die accidere solet), complanantur, quin tamen semper collectus effluat latex, ac pedetentim in escharas subfuscas abeunt, quibus deciduis levigata denuo adparet cutis absque manifestis cicatricibus, macularum tamen lividarum pertinacia vestigia per plures hebdomadas retinens. — Nulla alia innotuit substantia venenosa, quae analogum producere valeret *exanthema*, quod ideo merito *stibiatum* dici possit. Est semper idiopathicum, ab interno tartari emeticci usu nullatenus provocandum; nunc accidentale, ex inepta remedii applicatione ortum, nunc ex industria prolicitum.

886. Alia exanthematis toxicae species est illa, quam mercurius diutius et largiori manu exhibitus producit, ab Anglis Bell, Pearson, Alley, Spens, Mullin, et Willan majori adtentio- ne observatum ac descriptum, cui nomen exan-

thematis mercurialis, seu hydrargyriae (1) inditum est. Praeviis plerumque phaenomenis febri catarrhali propriis, inquietudine inconsueta et pruritu, profundus super cutem diffunditur rubor; efflorescunt nunc papulae confertae purpurei coloris, nunc phlyctenae fluido dia-phano, acri, rodente, ac saepe specificum odorem (mercurialem) spirante repleteae, summopere prurientes, numero ferme infinitae, ac non raro adeo exiguae, ut nonnisi oculo lente armato distingui possint, quae, dum rumpuntur, in furfuraceas degenerant crustas, vel etiam dolentes relinquunt excoriations et rhagades pertinaces. Communissima eruptionis sedes est ad scrotum, ad brachia, crura et lumbos; rarius super totum cutis ambitum efflorescit. Pro diversa, quam morbus offert, forma externa, nonnulli medici eum ad erythema (2), alii majori jure ad eczema (3), relegarunt, quorum quidem exemplo ducti hydrargyriam inter eczemata adtingere non omisimus, propriae eam speciei inserentes, quam toxicam ex adlatis suo loco (§. 111, 112) rationibus denominare placuit. Duratio exanthematis ab una hebdomada usque ad mensem esse solet; — solutio obtinet vel desquamatione epidermidis, si papulosum fuerit, vel crustarum separatione, si phlyctaenarum forma eruperit.

(1) Alley, Observat. on the Hydrargyria, or that vesicular disease arising from the exhibition of mercury. London 1810.

- (2) Mullin, Essay on erythema mercuriale. — In Edinburgh medical and chirurgical Journal. 1805. Nr. 1. p. 7.
- (3) Batemann, Practische Darstellung der Hautkrankheiten, S. 577.

887. **U**litis atque glossitis ab eodem venenato metallo producta, ac ideo mercurialis dicta, peculiares quoque offert notas, e quibus solis oculatus medicus ad praegressam causam sat tuto concludere poterit. Pathognomonicis hisce signis adnumeramus; molestum ardoris sensum in ore, intumescentiam glandularum salivalium, uberem salivaे secretionem, specificum halitus odorem, aegro non minus quam adstantibus ingratissimum, metallicum saporem, marginem gingivarum, linguam et dentes sordibus mucosocaseosis, tenacibus circumdatos, quas ceu productum vitiatae secretionis membranae mucosae considerare oportet; particularis nisus inflammationis in pseudoorganisationes fungosas, quas praesertim in illis linguae locis observare licet, quae dentium lacunis et interstitiis respondent; excoriations et aphthas, cum epithelii ferme dissoluti secessu; quibus omnibus et aliae accedunt turbæ, febriles, vel consensuales.

888. **C**ommunis vegetabilium acri principio scatentium in organicas partes actio ea esse consuevit, quod inflammationem provocant plus minusve intensam, ac specificis phaenomenis comitatum, quae mox ad consueta inflammationis topicae symptomata, diversimode modificata, refe-

runtur, unde forma ejus specifica exsurgit, mox vero in contemporali fundantur organorum adjacentium, vel etiam remotorum laesione, quae quidem plurimum variat pro specifico veneni ingenio, atque electiva ejus actione. Inde evenit, ut nonnulla venena vertiginem, alia vomitum aut diarrhoeam, dysuriam denuo alia suscitent.

889. Acrimonia venenorum vegetabilium non eidem ubique materiae, neque omnibus plantae partibus inhaeret, in nonnullis enim materia extractiva, in aliis resina, in aliis oleum aethereum, e diversis plantae partibus extractum, communiter tamen lac, quod e sauciata stillat planta, virulentam possidet qualitatem. Chemia recentioris aevi, in plerisque substantiis venenatis vegetabilium principium sui generis latere, docuit, quod ad alcalium naturam proxime accedit, proprietatis deleteriis plantae per eminentiam pollet, ac pro individui, unde depromitur, diversitate, diversis nominibus, piperinae, veratrinae, strychninae etc. insignitur.

890. Inter venena vegetabilia inflammantia, praecipua mentione digna, existimamus illa, quae, non solum interne exhibita, vel cum parte vulnerata in contactum posita, funestos exerunt effectus, sed ipsi cuti adplicata, coërcentem epidermidis virtutem spernentia, vehementissimam producunt inflammationem, vel et causticorum more sphacelum provocant. Principem hic sibi vindicant locum pleraeque species e genere Euphorbiae, Ranunculi,

Ari, et Daphnes, Plumbago europea, Cynanchum erectum, Opocynum androsemifolium, Anacardium occidentale, Cneorum tricoccum, Cerbera Ahovai et Manghas. Maximam vero virulentiam offerunt Rhus Vernix et Toxicodendron, Hippomane Mancinella, et Excoecaria Agalocha, quarum plantarum succus non modo cuti instillatus, sed etiam effluvia sola ardorem et ruborem intensem, pruriginem intolerabilem, urentes phlycteinas, vel bullas, erysipelas vastum, validamque febrem gignunt, praesertim dum folia in umbra et tempore pluvio aut nebuloso decerpuntur. Tanta autem est horum venenorum vis, ut praeter partem immediate infectam, et remotiores eadem ratione adficiantur. Quod e ruptis vesiculis effluit serum, acre dice sua vicina arrodit loca, ac demum in crustas coit, subjectam cutim cum dolore fidentes. Monsii experimentis debemus analysin foliorum Rhois Toxicodendri, e qua patet, hydrogenes carbonicum maxime praevalere, cuius potestas a solari luce suppressa, in umbra praesertim evolvitur.

Wichmann, Ideen zur Diagnostik. 1. Th. §. 20.

Fontana, Traité sur le venin de la vipère. T. II. p. 158.

Anderson, Versuch über das Rhus Toxicodendron. Aus dem Engl. von Froriep. 1799.

891. Regnum animale tertiam, eamque fertilissimam suppeditat venenorum inflammantium scaturiginem, quorum, habita geneseos ratione, tria distingui possunt genera: 1) Nonnulla

in propriis organis secretoriis ex insonti caeterum sanguine parantur, et vitae normalis productum ac essentialem individui characterem efficiunt, uti venena serpentum et insectorum plurimorum, idque sibi privum habent, quod cum apertis plagis in contactum venientia, summe deleterios edunt effectus, in ventriculum vero delata, vel supra partem epidermide munitam adplicata, nil mali producunt. 2) Alii fomites venenati integrantem ferme constituunt organismi sani partem, atque mox evoluti et elaborati jam deprehenduntur, uti in cantharidibus, formicis, erucis, et urticis marinis, mox vero aliis elementis vinci delitescant, per analysin chemicam eliciendi, uti phosphorus et ammonia. Interne adsumpti non minus quam externe adpliciti nocent. 3) Tertium denique venenorum animalium genus nunquam productum specificum processus vitalis, ad normam pergentis, sistunt, sed per statum morbosum, vel putrefactionem extricantur, ac ideo potius ad mephites, vel semicontagia septica referri merentur, quibuscum duntaxat ratione effectuum, quos concitant, adprime conveniunt.

Orphal, Musterung aller für giftig gehaltenden Thiere.
Leipz. 1807.

892. Teterimum sane virus est illud, quod serpentes varii in propriis folliculis, juxta dentes incisivos positis, praeparant, recondunt, ac sub irato morsu per ipsos dentes, exiguo foramine pertusos, inficto vulneri ad libitum insundunt. Est

autem liquor ille viscidus, unguinosus, inodorus, insipidus et mitis, nullius acidi vel alcalini principii vestigia prodens, coloris flavidi, aqua specificie gravior, ingestus vel illaesis partibus infribitus nulla incommoda parit. Infames prae aliis innotuerunt diversae species e genere *Crotali*, *Boae* et *Colubri*, quarum maxima pars in tropicis natales habet regionibus.

Patrick Russel, an account of indian serpents collected on the coast of Coromandel. London 1796. T. II.

893. Illico a serpentis venenati mortu acerbus emicat in loco sauciato dolor, qui per totum membrum, imo et ad interiora corporis diffunditur; ad tollitur pars demorsa in tumorem durum et pallidum, serius rubrum, lividum aut nigrescentem, vesiculis haud raro conspersum, qui cito crescit et ampliatur; e vulnusculis crux ater, aut foetida sanies stillat, quod quidem stillicidium cessat phlogosi ad maximum gradum elevata; sequitur tandem suppuratio praeeeps, vel gangraena. — Praeter hasce notas locales, quas virus instillatum vulneri et inflammationi suscitatae imprimit, ociter summe exitialia in toto organismo, et speciatim in systemate nervoso, ob narcoticas veneni virtutes, extricantur symptomata, febris ardens, vertigo, sopor aut delirium, insignis virium prostratio, convulsiones, vomitus, cardialgia, sitis clamosa, icterus, angores, pulsus exilissimi, deliquia, quibus cita saepe succedit mors, nisi ars succurere valeat.

894. Phaenomenorum specialium differentia, numerus, intensitas atque periculum, quod inde scaturrit, plurimum quidem variat juxta serpentis speciem diversam. Docuit tamen experientia, eandem saepe speciem pro variis circumstantiis, aetate, satietate, esurie, iracundia, anni tempore, climate et solo, quod incolit, varium venenositatis gradum offerre. Ita e. g. viperae climatis calidioris, vel quae in apricis vivunt locis, magis periculosae esse solent; minus nocent fame confectae, quam bene pastae.

895. Toxica illa truculentissima, quibus barbarae Indiae nationes mortiferas inquinare solent sagittas, e succis diversarum plantarum, nondum sufficienter cognitarum, parata, uti sunt *venenum americanum Ticunas, Upas-Antiar, et Woorara*, cum venenis serpentum non solum eo intuitu collimant, quod praeter malignam inflammationem partis sauciatae symptoma ominosae narcoseos ac mortis necopinae periculum inducunt, sed quod etiam lambi absque detimento possunt, in ventriculum delata vel partibus epidermide tectis superrimposita vix insidias parant, serpentibus innocua sunt, et quod tandem carnes animalium, eis venenis occisorum, impune commeduntur.

*Fontana, Traité sur le venin de la vipère. T. II. p. 83—124.
Orfila, Allg. Toxicologie. 4. Th. p. 3—19.*

896. Entium organicorum familiam non minus importunam componunt *insecta*, quae ac-

stivis praesertim diebus catervatim per aërem circumvolitantia, vel doloso passu per humum reptantia, hominum et animalium corpora insidiose odorantur, atque in partibus, quas immediate pertingunt, acria tormenta, imo et ominosiora subinde symptomata provocant. Eorum nonnulla sanguine et tenuiori humore pascuntur, quem in finem proboscide suctoria provisa esse solent; alia vindictam spirant, in primis ad iram concitata si fuerint.

897. Inter illa, quae in sui defensionem et tutelam armavit natura, recenseri præaliis merentur: **Apes**, **Vespae**, **Crabrones**, **Fuci**, **Scorpiones**, et quaedam **Aranearum** species, quae cuncta ad annum muniuntur aculeo tenuissimo, vel hamo recurvo lacerante, ad cuius radicem **Hockio**, **Swammerdamio**, **Fontana**, aliisque docentibus, vesicula exstat liquore venenato plena. — Dolorosos et saepe funestos puncturae effectus non a mechanico stimuli infixi, licet interdum in vulnere remanentis, irritamento, sed a chemica qualitate virulenti laticis, per aculeum cavum intra cutem insinuati, pendere, observationes **Reaumurii** (1) extra dubium posuerunt, e quibus innotuit, vesparum functionem primam summe dolorificam esse, secundam mitiorem, tertiam vero vix sentiendam, donec novas vires animal resumpserit, reparaveritque passam veneni jacturam. Insectorum venenum curiose examinatum viscidum invenitur, coloris albidi, saporis amari, acris, et urentis,

manifestaque acidi vestigia prodit, quas quidem proprietates virus apum per eminentiam offere solet.

(1) *Histoire des Insectes.* Tom. V. Mém. 7.

898. *Consuetiora phaenomena hujusmodi puncturarum beneficarum sunt: dolor vehemens, subinde immanis, subita partis vulneratae intumescentia, quae modo inflammationis erysipelatosae, modo verac phlegmones characteres presentat, calorem videlicet urentem, ruborem pallidum, puniceum aut lividum, phlyctenarum congerie interstinctum, non sine gangraenae metu. Proximam mali resolutionem pruritus et scabendi desiderium indicat. — Licet posita eadem insecti specie, eadem quoque sit veneni natura, idemque spectata qualitate effectus, multiplicatis tamen ictibus symptomatum numerus, violentia et periculum ita augetur, ut si v. g. tota alvearii pubes irata in hominem exardescat, vastum ac dolentissimum erysipelas super partes denudatas, eisque contiguas, febris ardens, deliria, convulsiones, ipsaque mors succedere observata sint.*

899. *Nec certe deest vis major urendi insectis, quae in aëre calido et praefervido climate degunt, vel venenato pabulo vescuntur. Quae de Scorpionis africani et americanani veneno multo magis deleterio peregrinatores passim narrant, de aliis pariter valent zone meridionalis insectis. Famosae apud antiquos erant vi pungente Apes Cretenses, quae si turmatim aggredierentur, et bo-*

ves ipsos possent prostertere (1). Usus mellis, quod apes e venenatis Azaleae ponticae floribus colle-gisse videbantur, narrante, ni fallimur, Xenophonte, integrae militum graecorum phalangi vomitum, temulentiam et insaniam conciliavit; cuius eventus veritate admissa, nemo inficiabitur, etiam venenum, quod apes parant, a simili circumstantia majorem virulentiae gradum contra-here posse.

(1) Aelian, Lib. 17. de animalibus. Cap. 25.

900. Phalangiorum et aranearum quarundam, speciatim tarantulae apulicae, adeo funesti esse solent morsus, ut dolorem vehementem, ardorem, tumorem inflammatorium livescentem, paucis diebus post crusta nigricante obsitum excitent, accendentibus mox somnolentia, cardialgia, angoribus ac tormentis in singulis corporis artibus. Effraenis saltandi cupiditate, quae tarantulae ictu produci, ac per musicae concentus sanari credebatur, jam a Baglivio per negata, inter medicinae fabulas merito releganda.

Büsching's Nachrichten von der Tarantel, welche zur gänzlichen Vertilgung des Vorurtheils von der Schädlichkeit des Bisses und der Heilung desselben durch die Musik hinlänglich sind. Berlin 1782.

901. At non minus numerosa est illorum insectorum classis, quae, etiam non lacessita, sanguine ac liquoribus animalibus cibantur, aut delectantur, eodemque tempore, quo altilem laticem acuminata proboscide, cutim perfo-

diente, hauriunt, viri acris et fere ignei guttula instillant, quod pro animalculorum diversitate cruciatus concitat adeo differentes, ut ex his solis interdum ad speciem importuni hospitis sat tuto concludere liceat. Jam muscae nostrates, praesertim imminentे procella, et sub finem autumni acriter pungunt et quidem levissimo haustello ita, ut nota remaneat. Muscae columbae censes (*culex reptans*), in Banatu Temesvariensi communes, venenato morsu intolerabiles hominibus ac bestiis inducunt cruciatus (1). Oestrii boum, et tabani equorum fortissima etiam terga impetunt, ut continuo ipsos cauda everrere necessarium sit animalibus, imo si nares, annum, aut vulvam adtigrent, in furorem agantur illa. Hominibus vero molestissimae esse solent illae culicum et conopum turbae, quas in locis humidioribus, luto atque coeno squallentibus aestas parturit, et quarum nonnullae stridore nos monent (*culex pipiens*), aliae nos tacite circumstant, dormientes aequē adgrediuntur ac vigilantes; vestesque ipsas, si non arcte colligatae fuerint, superant. Inter hos culices eminent illi, quibus America meridionalis, praesertim vero insulae et magnorum fluviorum littora unidique scatent, et quos Lusitani Moschitos passim nominant, advenis, ut ajunt, multo magis, quam indigenis infestos. — Apteronorum insectorum communissimum esse solet *cimex lectularius*,

qui putore nauseabundo non minus, quam importuno incessu ac dolentibus prurientibusque puncturis blandam noctis quietem perturbat.

(1) Schoenbauer, Geschichte der Columbaeser Mücken im Banate. Wien 1795. Salzburg. medic. Zeit. 1795. IV. p. 113.

902. Omnia haecce insecta proboscidem acutissimam cuti insinuando, acremque liquorem sui generis instillando vividum pro perfossonis momento suscitant dolorem, quo brevi dissipato pruritus oboritur intolerabilis, scalptu quidem leniendus, ast majori postea rediens saevitie; pars puncta, praesertim circa vulneris oras intumescit ac inflammat; manu adposita rubor evanescit, excepto tamen loco, quo proboscis infixa fuit. Si plura insecta cutim offendent, numerosa non solum emicant phymata, exanthema urticatum, aut eczema aemulantia, verum et artus omnis undiquaque erysipelatoso tumore inflatur, non sine gangraenae periculo, ac febriles incenduntur turbae; raro tamen aliis generis symptoma ominosa observantur.

903. Alterum genus animalium venenatorum componunt illae substantiae, quae nec in determinatis organis secretoriis praeparantur, neque per morsum aut puncturam ad libitum insecti sub cutem insinuantur, sed integrantem partem certorum animalium constituunt; atque per qualem cunque viam adplicitae virulentos producunt effectus, modificatos tamen juxta naturam, textu-

ram et sensitatem substrati organici. — Huc imprimis referri debent *Cantharides* et *Meloe Proscarabaeus*, quorum actio in cutim, vel partes denudatas cum illa vegetabilium acrum prorsus convenit, pro diversa enim vencni copia et organismi receptivitate nunc rubefaciens, nunc vesicatoria, nunc planc escharotica evadit. Insuper adhuc cantharidum stimulus id sibi proprium habet, quod organa uropoëtica et sexualia per eminentiam adgreditur.

Beaupoil, Diss. inaug. Recherches medico-clinique sur les vertus et les principes des Cantharides. Paris. A. XI.

904. *Formicæ*, praesertim *flandricæ*, acidum volatile fortiter spirant, et illud quandoque adeo evolutum, ut nares sternutatione adficiat, adeoque earum multiplicatione concentrata pars acerrima cutim ipsam irritet; unde formicarum officinam orentem et summe volatilem spectanti, saepe etiam sine ulla animalium invasione, facies universa rubore adficitur, prurituque molesto.

905. Dum erucarum nidos tractabat *Beaupoir*, mirabatur manus, in primis circa digitorum interstitia prurigine molesta adfici, dein faciem et palpebras inflammari et tumere, perque integrum quatriduum molestum illum tumorem una cum phlyctaenis prurientissimis perstisset. — Hancce irritantem erucarum proprietatem, quam insignis ille observator, et cum eo eximus *Svietenius* (1) pilis minimis exuviarum, cutim pungentibus, adscribere voluit, potius chemicae cui-

dam acredini, forsitan acidobombycino, a modernis Chemicis detecto, adscribenda videtur.

(1) Commentar. in Boerhaavii Aphor. T. II. §. 725.

906. Innotuerunt demum diversa animalia marina, e familia molluscorum et zoophytorum, uti *Actinia senilis*, *Aplysia depilans*, *Holothuria Physalis*, *Medusa Velella* et *aequorea*, quae venenati principii causa intensam oculis et tangentibus manibus uredinem et pruritum excitant, non secus ac *urtica vegetabilis*, unde etiam *urticæ marinae* passim nominari solent.

Bohadsch, de quibusd. animalibus marinis. Dresd. 1761.

907. *Phosphorus*, qui certis sub conjunctionibus plerorumque organismorum animalium integrantem constituit partem, dum ab illis vinculis solutus ad puritatis reducitur statum, atrocissimum evadit causticum, quod partes organicas vehementer inflammat et comburit, quin tamen specifica quaedam provocet symptomata.

908. Ii tandem fomites virulenti, qui per morbosos animalium status, per pravum alimenti genus, vel per putrefactionis processum extircantur, — quo intuitu venenata existimantur ostreæ, cancri, mituli, piscium species variae, in primis clupea thryssa, coracinus major, et scomber maximus, carnes corruptae quaevis etc. — in eo convenient, quod ingestâ tantum saluti hominum exitialia evadunt, vomitus, choleras, dysenterias, colicas, exanthemata symptomatica

(§. 102), maxime vero morbos putridos generando; quare e prosapia venenorum inflammantium ea omni jure excludimus.

909. Si perpendimus naturam venenorum organismo vivo adeo contrariam et inimicam, ut minima etiam dosi adhibita summe deleterios producant effectus, sponte liquet inflammations ab eis concitatas semper mali ominis esse. Crescit periculum, quo major est venenositatis gradus, quo major copia, quo pluribus locis venenum fuerit adplicatum, et quo minus occultam toxicum qualitatem antidotis tutis extingue licet.— Ex hisce solis jam sine negotio intelligitur quanta in praedicendo futuro eventu necessaria sit circumspectio.

CURA INFLAMMATIONUM TOXICARUM.

910. Quatenus inflammations e veneno, praeter generales notas vitalitatis in systemate vasorum capillarium cujusdam partis ultra normam incitatae, specificos simul agnoscunt characteres, quos unice causae efficientis qualitati specificae in acceptis referendos habent,— catenus etiam simplex medendi methodus antiphlogistica non sufficit, sed particulares in gratiam causac genitricis postulat modificationes; quibus neglectis morbi cura nunquam obtinebitur, nisi adeo mite veneni adpliciti fuerit ingenium, adeoque parca dosis, ut ei devincendo vires naturae medicatrices per se solac sufficienter. Hanc ob rem the-

rapia inflammationum specificarum, ut jam alibi injunximus, in generalem et specialem destingui debet.

911. Therapia generalis consistit in adaequato usu remediorum antiphlogisticorum emollientium, refrigerantium, diluentium, tam interne, quam externae adplicitorum; ipsa venaesectione, si casus gravitas eam deposceret, non excepta. — Hisce adminiculis auctam partis inflammatiae incitationem compescere, molesta symptomata localia et consensuales turbas mulcere, exitusque funestos paevertere adnitimur.

912. Specialis ex adverso cura, cum priori prudenter unienda, 1) deleterium venenum removere, 2) ejus perniciosas vires destruere, vel saltem obtundere, ac 3) specificos, quos in organismo suscitat, effectus tollere studet, quo intuitu tot ferme particulares medendi rationes habentur, quot existunt venenorum species. Eas tamen ad generalia quaedam principia, illis quidem analoga, quibus venenorum actionem diversam innixam esse diximus (§. 846 — 850), reducere oportebit.

913. Amotionem veneni, absque ulla temporis jactura suscipiendam, efficere studemus emeticis aut purgantibus, si de veneno in ventriculo, aut intestinis latitante habetur vel certitudo, vel fundata duntaxat suspicio. Quae autem superficiebus externis intincta, vel vulneribus instillata fuerint toxica, abstergenda erunt, vel

eluenda; quod quidem substantiis liquidis et acrioribus, praesertim naturae veneni contrariis, optime praestabitur. In casu discriminis pleno, uti essent toxicationes a morsu serpentum exoticonum, ipsa moxae aut ferri carentis applicatio suum sibi vindicaret locum, dummodo illico post morsum accersitus fuerit medicus.

914. Secundam indicationis therapeuticae spartam absolvunt cuncta illa remedia, queis vel generalis, vel specialis inest virtus, activum veneni principium dissolvendi, adtenuandi, retundendi, neutrum reddendi, vel prorsus destruendi, cuius potestatis gratia Antidotata passim compellantur.

915. Antidotis generalibus, quae in omni toxicationis casu, sine ulla ad veneni speciem ratione habita, conveniunt, atque eo praesertim intuitu proficia evadunt, quod acredinem involvunt, diluunt, partesque organicas obducendo et obliniendo illius damnosum influxum quodammodo coercent, adnumerari merentur: oleosa et pinguia quaelibet, lac, mucilagines vegetabilium, mel, albumen, gelatina animalis, saccharum, solutio saponis, terrae absorbentes, et ipsa aqua pura. — Quousque effectus veneni inflammantis territorium partis primitus affectae non egrediuntur, sufficiet horum praesidiorum usus localis, quae pro diversitate casus et substantiae selectae variis sub formis, fomenti, balnei, lotionis, litus, potionis, clysteris, injectionis, sac-

pius ac solerter repetita adhiberi solent. Arrident autem practicis, ipsique plebi tanto magis, quod cum indicatione cardinali antiphlogistica in eundem collimant scopum, stimulorum summam minnuunt, incitationem exaltatam deprimunt, molestumque ardorem et pruritum optime mulcent.

916. Antidota specifica vocantur illa, quae propter qualitates naturae veneni contrarias, hujus vim obtundunt, temperant, vel et prorsus extinguent, talique pacto imminentes beneficii effectus mox praeverunt, si illico ab initio adhiberi potuerant; mox concitata jam mala directe dissipant, efficientem causam enervando, dummodo nullae alterationes secundariae, et irreparabiles in virium concentu, vel organisatione fuerint inductae.

917. Sponte liquet, rationalem ejusmodi praesidiorum usum illis tantum in casibus concedi, ubi stoechiometrica veneni compositio, ac elementi polaris praedominantis natura innotuit, cui e diametro opposita esse debebit antidoti virtus. Ita oxyda et acida venenata alcalinis, alcalia acidis corriguntur. Non desunt tamen exempla antidotorum fortuito detectorum, e quorum notis elementis constitutivis ad occultam, vel ambiguam veneni naturam cum aliqua probabilitate concludere licet. Aliorum contra virtus e principiis polaritatis chemicae explicari nequit, sed soli innititur experientiae, unde mere empirica emergit medendi ratio.

918. Ut autem antidota specifica, rationalia, aequa ac empirica cum fructu adhiberi possint in toxicis inflammationibus, sequentes requiruntur conditiones: 1) Veneficium recens; — venenum enim diutius latens sumptibus organismi hebetatur, diluitur, dissolvitur, novasque init adfinitates et conjunctiones, vel vigente conatu virium medicatrice eliminatur. — 2) Certitudo de veneni praesentia; nam antidota nonnisi in oppositione cum veneno salutaria evadunt, quatenus invicem juncta neutram et innocuam efficiunt materiem, per se sola vero exhibita ipsa toties evadunt venena. — 3) Requiritur, ut venena nondum talem induixerint in viribus et organisatione mutationem, ob quam ipsam vita periclitatur, licet venenatum solum extingue nulla sit difficultas. — Antidotum ea natura sit oportet, ut processus phlogisticus, a veneno concitatus, inde nullum patiatur detrimentum, rarioribus tantum casibus exceptis, ubi magis convenit inflammationem pro momento exasperare, quam necessarii remedii omissione, vel usu nimis timido vitam aegri periculo exponere majori. — 5) Medicamentum morbo nec majus, nec minus esse debet. — 6) Ubique unque venenum, malefici ingenii causa, actionem suam oxyus, seriusve super totum organismum diradiare, ac nobilia organa labefactare amat, externus antidoti idonci usus cum interno prudenter erit combinandus. — 7) Seligenda sunt antidota experientiis et experimentis confirmata; spernenda

contra illa, quorum virtus e superstitionis praesumitur ideis, vel praeconceptae cuidam circa veneni naturam hypothesi innititur. — 8) Quo promptius agunt antidota, eo efficaciora erunt, quam ob rem solubiles substantiae insolubilibus, liquidac solidis praeferentur.

919. Ultimam denique indicationis specialis paginam (§. 912) pro parte jam explet mox enumerata antidota generalia et specifica; extincta enim causa, etiam effectus plerumque dissipantur. Si tamen contrarium succedit, vel si secundaria oboriuntur symptomata, quae vel molestias creant intolerabiles, vel etiam exitium diversa ratione minantur, aptis omnino tum remediis erit succurrendum. — Pro casus et beneficii diversitate varia urgere solent symptomata, congestiones, dolores, spasmi, sopor, vomitus, cardialgia, polycholia, languores, septicae liquationis satellites, suppuratio, gangraena, etc., quapropter praesidia therapeutica innumera esse poterunt, uti venaesectiones, narcotica, antispasmodica, evacuantia, cardiaca, antisепtica, quorum idonea usurpatio generalibus regitur therapiae praceptorum, habito semper assiduo comitis phlogoseos respectu.

920. Praemissis hisce cardinibus therapeuticis, quibus medentis opera in curandis inflammatoribus toxicis innixa esse debet, potiorum, quas supra adnotavimus, specierum curam speciale paucis subjungemus.

921. Exanthema stibiatum plerumque consulto provocatur, scopo revellente, ut reactione vividiiori super majori cutis plaga suscitata, organorum internorum passiones variae subleventur, quare vix unquam curandum venit. Nimis tamen dolentibus ac notabiliter inflammatis pustulis, fomentis et cataplasmatibus emollientibus succurrimus.

922. Quae incauto, vel ex industria continuato hydrargyrii usu inducitur inflammatio gingivarum, linguae, glandularum salivalium, aut dermatici textus, praeter usum emollientium et refrigerantium ea sibi postulat remedia, quibus deleterias mercurii vires infringi novimus. Interne flores sulfuris, sulfuretum alcalinum, vel aquae gas hydrothionico imbutae a practicis laudantur. Uritis et glossitis mercurialis in principio colutoriis emollientibus, serius leviter adstringentibus, horace, vel acidis mineralibus dilutis corrigitur. Exanthema ab hydrargo leniunt balnea simplicia, sulfurea, lotiones per aquam calcis; a nonnullis inspersiones subtilissimi carbonum pollinis, farinac vel amyli proponuntur.

923. Effectus vegetabilium acrum, quo usque ad solam partem primitus irritatam limitantur, relaxantium, mucilaginosorum et pinguium usui protracto cedere solent, et quidem eo facilius, quo citius veneni amotio per emesin, catharsin, vel ablutionem effici potuit. Quod si vero, hisce admiculis in principio neglectis, absorptio venenati

fomitis successit, talisque fuerit ejus iudeoles, ut ominosas in penetralibus concitaverit turbas, — quo intuitu substantiae narcoticō-acres eminentem offerunt malignitatem, — sine mora ad usum internum lacticiniorum, mucilaginosorum, diluentium, et acidorum transeundum erit. Acida vegetabilia universim, speciatim vero acetum, eoque imbutae substantiae potentissima ab omni aevo habebantur antidota vegetabilium acrīum et narcoticorum, quorum venefica virtus principio phlogistico, diversis sub formis et copulis evoluto ac praedominanti, merito adscribitur.

924. Contra serpentum truculentos morsus omni cura procedendum, ut venenum immissum quantocytus eliminetur, vel destruatur, ejusque in massam sanguinis transitus, per quantum fieri licet, praepediatur. Hunc in finem partis demorsae scarificationes, sanguinisque per cucurbitam extractio, adustiones mediante lapide caustico, butyro antimonii, ammonia pura, vel ferro candente securissima praebent adminicula. Nauci facimus illa, quae antiquitas suasit, superstitionis ac sympathiae illusionibus toties in errorem tracta, modernorum vero iteratis experimentis nullatenus confirmari potuerant: uti applicatio terrae sigillatae, cboris usti, lardi viperini, hirudinum et bufonum; membra demorsi ligatura; usus radicis serpentinae et Mungos; suctio vulneris, Psyllorum et Marsorum ad exemplum, exorcismus, amuleta, aliaque absurdā. — Ulterius tractamentum locale

consistit in unctionibus oleosis circa limbum vulneris, fomentisque leniter aromaticis, quorum efficacia paucis alcali volatilis guttis mirum in modum acuitur. — Ammonia pura universim, interna eaque ac externe exhibita tutissimum ac vere specificum contra serpentum venena praebet antidotum, ita ut viperarum morsus, quondam summe exitiales habitu, hodierno aevo periculi expertes sint, dummodo ars tempestive succurrat. Propinatur spiritus salis ammoniaci causticus ad sex, octove guttas omni bi- aut tri-horio ex infuso florrum Sambuci vel Aurantiorum, interpositis aliquot vini generosi cochlearibus. Hisce remediis eousque continuandum, donec omnia systematis nervosi obruti phaenomena evanescant.

925. Deleterios effectus venenorū americanorum, quibus Indi tela contaminare solent, nullis hodieque antidotis securis dissipare didicimus. Condamineo testante ab indigenis murias salis et saccharum adhibetur; ab aliis acida mineralia, terebinthina et aetheres proponuntur, quorum tamen omnium specifica virtus a plurimis observatoribus in dubium vocatur.

926. Insecta, quae venenato cutem perfodiunt aculeo, raro tantos excitant cruciatus, ut medicæ artis auxilium implorare cogantur aegri; superata enim prima acrioris doloris impressione, levidense malum sua sponte dissipatur. Si vero ab irato apum, crabronum, aut vesparum examine, vel a majori esurientium culicum agmine numerosi

inferuntur ictus, dolores omnino acerbissimi, inflammatio late extensa, febrisque ardens debita deposita prae sidia, ab illis vix discrepantia, quae aduersus serpentum morsus proficua esse compemimus. Optimum erit partes laesas et inflammatas aqua et aceto, vel diluta salis communis solutione, saepius irrigare vel fovere, aut etiam blando perungere oleo, aliquot guttis ammoniae purae commixto. Ad compescendam irritationem generalem, aestumque febrilem temperandum sufficiunt potionis refrigerantes, eccoproticae, praesertim acidulae. Extractio aculei intra vulnus remansi, nisi absque ulla difficultate praestari possit, superflua censemur; moles enim adeo parvula vi naturae extruditur, vel brevi marcescit; neque inflammationis et doloris causa in mechanico stimuli infixi irritamento quaerenda est, quod abunde evincitur eadem cruciatum intensitate, etiamsi insectum vindictae arma integra extraxerit.

927. Tractamen inflammationum, quae a cantharidibus pendent, absolvitur topicis emollientibus, atque internis diluentibus, praesertim emulsionis gummosis, nitratis, aut leviter camphoratis, ut funesta cantharidum in organa uropoëtica actio temperetur. Ad praevertendos effectus pessimos, quos phosphorus, sive externe adplicitus sive interne sumptus, caustica sua acreidine producere solet, promptus aquae frigidae, imprimis cum magnesia carbonata mixtae, vel lactis affatim sorbillati usus princeps sistit auxilium.

C.

INFLAMMATIONES SPECIFICAE QUOAD DIATHESIN.

928. Tertiam inflammationum specificarum seriem (Tom. II. §. 470) constituunt illae, quae ex parte latentis cuiusdam in organismo diathesos morbosae, dyscrasiae, vel cachexiae singularem contrahunt characterem, unde non solum communiora phlogoseos phaenomena multifarie adulterantur, verum etiam specificae therapiae necessitas exsurgit. Inflammationes hujus generis sunt serofulosa, cancrosa, herpetica, septica, aliaeque plures, cachexiarum effectus et comites, quae suam originem vel e specifica processus vegetativi alteratione trahunt, vel vero a communibus causis progenitae in gratiam praexistentis dyscrasiae, vel cacotrophiae indolem specificam ac peculiarem formam acquirunt. Tamquam mera symptomata aliorum morborum e Pyretologiae tractatu merito excluduntur, septicis tantum exceptis, quas non raro febrium putridarum comites, plus minusve constantes esse, mox patebit.

GENUS II.

FEBRIUM CONTINUARUM.

FEBRES CONTINUAE CHARACTERE PUTRIDO.

Schroeder resp. Brande, Diss. de febrium putridarum differentiis. Goett. 1768.

Sarcone, Geschichte der Krankheiten, die durch das Jahr 1764 in Neapel sind beobachtet worden. Zürch 1770.

Fordyce, a new inquiry into the causes, symptomes and cure of putrid and inflammatory Fevers. Lond. 1773.

Mertens, Observat. medicae de febribus putridis, de peste, nonnullisque aliis morbis. Viennae 1778.

Bilguer, Versuche und Erfahrungen über die Faulieber und Ruhren etc. Berlin 1782.

Hanlo, Diss. de febribus in genere et de febre putrida in specie. Duisb. 1785.

Gemeiner, Diss. de vera febrium putridarum notione. Erlang. 1786.

Ueber die Fäulniss lebender und todter thierischer Körper, über Faulkrankheiten und fäulnisswidrige Mittel (von Hecker). Hildburgh. 1795.

A. Fr. Hecker, über die Natur und Heilart der Faulieber etc. Berlin 1809.

929. **F**ebris putrida, rectius febris charactere putrido aut septico, Septorrhœpyra Swediaueri (a greco σηπτορρεπής, ad putredinem vergens) Faulieber, fauliches Fieber, priscis jam temporibus nota erat, diversissimisque insignita nominibus. — Quam Galenus σύνοχος μετὰ σηπεδόνος, syno-

chum putrem, seu cum putredine vocavit, ad cunctas extensa videtur febrium species, in quibus humores mutantur; putredinem enim, claris verbis dixit, esse non simplicem, sed cum quadam specie coctionis junctam, analogam ei humorum mutationi, quam in inflammatione patiuntur (1). **Typhi nomine,** quo nonnulli febrem putridam insignire voluerunt, jam apud Hippocraticos Auctores (2) adeo differentes ac obscure descripti morbi indicantur, ut vaga significatio vocis, quam potius specificae febrium formae tribuere placuit (§. 725) sponte elucescat.

— **Febris nosocomialis, castrensis,** maligna, pestilentialis Huxhamii, Pringlei, aliorumque auctorum, synonyma si-
stunt non minus rejicienda, quum distincto febrium generi indicando, ejusque naturae autono-
mae exprimendae neutiquam sufficient.

(1) Galeni, de differentiis febrium. I. p. 524.

(2) De affectionibus internis.

930. Febris putridae essentia constat in peculiari mutatione humorum, et maxime sanguinis, cuius gratia magis adtenuantur, panduntur, ac nisum in liquationem septicam contrahunt, comite vero virium vitalium languore. Characteres palmarii, quibus discrepant, sunt sequentes:

931. I. Eminens passio systematis arteriosovenosi, unde cum inflammatoriis febribus, habita ratione substrati, ad unam candemque familiam referri merentur (Tom. II. §. 23), utut spectata

status morbosi natura cum eis in dualistica sint oppositione.

932. II. Virium vitalium, et praesertim systematis nervosi energia imminuta, unde motus organicus undiquaque, quoad robur, languidior. Quum tamen, saltem in primordiis, directa libenter obtineat asthenia, cui major in stimulos aviditas, atque promptior erga eos reagendi nisus ordinario respondet, oscillationes vitales celeritate ac sedulitate majori id resarcire moliuntur, quod eis de robo deficit. Est ergo febris putrida **f e b r i s a d y n a m i c a v a s o r u m**, in antithesi cum angio-sthenica.

933. III. Haematopoësis languida, et imperfecta; sanguinis altiliumque humorum inopia (**Oligohæmia**); unde turgor vitalis imminutus, pallor et collapsus universalis.

934. IV. Qualitas sanguinis eum in modum alterata, ut debita destituatur plasticitate, praecipuumque ex adverso nisum in liquationem contrahat, **diathesis**, seu **dyscrasia putrida**. Ejusmodi sanguis offert colorem magis atrum, consistentiam minorem, ac adeo exiguum in coagulum proclivitatem, ut sibi relictus vel nullam prorsus separet placentam, vel parvam eamque mollem et friabilem, plurimo contra scatens sero, talique pacto venosum praesentat characterem, cuius quidem ratio in languida principii contrac-tivi energia, elementorum phlogisticorum exsuperantia, horumque facili secessu latet.

935. V. Major massae sanguinis expansio, ergo **plethora** quo ad volumen, quae in praedicta sanguinis qualitate abnormi fundatur, atque **vividiores** (quamvis non fortiores) concitat in parietibus cordis et vasorum reactiones; inde pulsus **velox** ac **saepe plenus**, ast **mollis** et **debilis**.

936. VI. Calor animalis modo **auctus**, et quidem **mordax**, modo **imminutus**, pro diverso febris putridae stadio, atque varia superficie cutaneae conditione.

937. VII. Sanguini analoga conditio (*syntaxis*) etiam in reliquis humoribus inquilinis et excrementitiis conspicua, quae diversorum profluviorum et effusionum internarum causam constituit.

938. VIII. Totius compagis solidae cohæsio ac elasticitas infracta, quae praevalenti undiquaque nisu in expansionem et dissolutionem respondet, atque unacum simili humorum statu ad eosdem conducit effectus.

939. IX. Congestiones locales modo activae (*phlogoses septicae*), modo passivae, vel et stases humorum in vasis capillaribus cum facilis in sphacelum transitu (*sepses locales*).

940. Syndrome omnium horum attributorum ad duos commode reduci possunt characteres principales, qui essentiam **status septici** constituunt; videlicet ad virium debilitatem veram, atque ad specificam vegetationis animalis alterationem cum praevalenti in colliquationem nisu; unde febris putridae differentia a febre nervosa,

et analogia cum scorbuto abunde elucescit. Omni jure igitur **scorbutus acutus**, seu **febrilis dici** poterit.

941. Quousque particulares non emicant singulorum organorum passiones, sed status septicus per omnem organismum pari ferme intensitate vigeat, febrem putridam simplicem nuncupamus, quae quidem rario in praxi esse solet, penitiori tamen disquisitione eget, quatenus prototypum omnium morborum septicorum praebet. Longe crebrius vero occurrit febris putrida topicis affectionibus comitata, atque istae vel in statu inflammationis per vigentem diathesim modificatae (**Phlogoses septicae**), vel in vera putredine, sive sphacelo singularem partium (**Sepses locales**) consistunt.

A. FEBRIS PUTRIDA SIMPLEX.

HYPOTYPOSIS.

942. Character septicus in febribus vix unquam primarius est, sed secundario sub earum decursu ocyus seriusve extricatur. Nullum quidem exstat febrium genus, cui putridus succedere nequiret status; eminentem tamen proclivitatem ostendunt febres contagiosae omnes, praesertim typhosae, febres nervosae, et gastricae. Pyrexii inflammatoriis, catarrhosis, rheumaticis, intermittentibus et symptomaticis multo rarius suboriri consuevit.

943. Signa ex alterato processu vegetationis in septicam liquationem.

n i t e n t i s. — Pro diversa causarum producentium natura, morbiique inde nascentis vehementia, etiam humorum pansorum, ad putredinem proclivium, ipsiusque compagis solidae laxitatem et atqniā contrahentis indicia nunc primis jam ab ineunte morbo diebus comparent, rapido passu multiplicata et augescentia, nunc tardius minori celeritate evolvuntur, minorique periculo incedunt.

944. *Sanguis*, sive e venis consulto eductus, sive spontaneo manans fluxu, liquidus est ac dissolutus, discolor, saturate rubens, atro-purpureus, inque proprias partes non abscedit; vel vero fluidam sat diu conservans consistentiam, tandem placentam separat tenuem, mollem, pultaceam, friabilem, muculentam, quae digitis facile solvitur, inaequaliter albescit, et luci obversa haud raro iridis fere colores multifarios reddit; sero abundat turbido, viridescente aut rutillo; cito in putredinem abit, et nonnunquam, fante Richtero, eo jam tempore, quo e vena emititur, foetorem putrem redolet.

945. Hujus dyscrasiae causa crux libenter suetus deserit alveos, per anastomosin, vel dia pedesin — ut ajunt pathologi — ostia vasorum egreditur, atque mox haemorrhoeas varias, epistaxis, haemoptysis, haematemesis, diarrhoeam cruentam, metrorrhagiam suscitat, mox in cavum thoracis, vel abdominis lethali effunditur rivo. Rarioribus tantum in casibus urina et sudor colore cruento tinguntur (*haematuria*, et *haematidrosis*),

vel plane sanguis pravus ex oculis, auribus, et vasis brevibus intestini recti destillat. Ipsae demum plagae, cantharidum stimulo inductae, laticem sanguinolentum fundere sunt observatae.

946. Communissimum status septici comitem sistunt maculae parvae, cum cute aequales, rubrae, purpureae, lividae, vel et atrae, pulicum morsibus perquam similes, stigmatis saturatioris tamen defectu dignoscendae, quandoque majores, lenticulares, rarius irregulares, quae passim puncticulae, peticulae, aut petechiae nuncupantur. Sunt nil aliud, quam exiguae sanguinis pansi, et in partes propiores jam resoluti profusiones, sive sugillationes sub summa cutis pellicula. Quaedam medio tenus saturatius rubescunt, et ruborem versus peripheriam sensim amittunt, aliae ambitum distinctum et circumscripsum servant, aequali colore imbutae, quem etiam digitus impressus non delet. Ab exordio ad plenariam extinctionem easdem subeunt coloris mutationes, quas in ecchymosis a contusione observare licet, ac sine ullis desquamationis indiciis dissipantur. Nec pruritum, nec dolorem, nec alias generis molestiam pariunt. Nunc per paucae ac dispersae, nunc innumerae, cutim marmoris instar tingentes, efflorescunt, praesertim in pectore, collo, abdomine, scotulis, antibrachiis, et ad internam paginam femorum; universim in locis opertis comparant, rarissime in illis, quae aëri et luci continuo sunt obversa.

Quandoque plane in partibus interaneis, in ventriculo v. g. et intestinis, observatae fuere. Maculae amplae, saturate rubentes, vel atrae, irregulares, quibus partes integrae interdum uti nasus, pedes omnino denigrantur, aut dorsum, veluti virginis caesum esset, picturatum observatur, ab antiquissimis inde temporibus **vibices**, seu **molopes** compellantur, malignioribus inprimis febribus familiares.

947. Quemadmodum petecchia, seu comites accidentales, in febribus aliorum characterum occurunt; ita etiam putridae febres haud raro absque petecchiis decurrere observantur. Idem valet de miliaribus, aphthis et furunculis, quibus febres putridas quandoque comitatas fuisse, observatores testantur.

948. In intimo nexu cum liquatione unique praevalente sunt excretiones humorum adtenuatorum, et qualitative alteratorum. Jam a febris putridae initio aegroti facile insudant; labe autem indies crescente sudores fiunt profusi, viscidi, oleosi, intolerabilem putorem spirantes, qui vires aegrotantis avide consumunt potius, quam ut eas refocillent. — Alvi fluxus prorumpit largus et creber, quin particularis ejus ad ortum concurrat causa; materies liquidae, discolores, nigrescentes et graveolentes furtim, ac nescio aegro secedunt. — Urinae sunt turbulentae, spissae, lutescuae, fuscae, ac facillime putrescant. — Quandoque vomitus suboritur summopere debilitans ma-

teriae acris, viridescentis, praesertim si febri, in principio gastricae, putridus succedat status.

949. Reliqua tandem colligationis septicae signa sunt: evolutio uberrima elementorum inflammabilium diversi generis, eorumque per varias superficies corporis secessus; inde putridus et fere cadaverosus aëris aegrum circumambientis foetor, atque meteorismus intestinalis, vel abdominalis, prouti morbose extricatum vel intra fistulam cibariam, vel in ventris cavo colligitur, cuius gratia haud raro tormina urgent. — Lingua sicca, fusca, vel atra in sulcos finditur, et cruentem plorat dissolutum; sordescunt dentes; muculentae gramiac oculorum deturpant canthos. Corporis partes levissime tantum irritatae, compressae, vel arrosae in gangraenam abeunt, et putrescunt; quapropter loca, quibus sinapismi, vel vesicatoria adplicita fuere, vel quae decumbendo conterruntur, circa os sacrum, trochanteres et scapulas ulceribus gangraenosis (gangraena ex decubitu) devastantur. — Calor in principio et decursu intensus et mordax, talis utpote, qui sub vola manus tangentis increscit, sensumque ingratissimum relinquit, morbo ad finem vergente in cadaverosum vertitur frigus, lentescente pulsuum velocitate.

950. Signa ex debilitate. Altior in primis putridae diatheseos gradus, sive febri stipetur, sive febrilibus turbis expers sit, locum habere nequit, quin simul vires vitales, systematisque nervosi efficientia notabile patiantur detrimentum;

quapropter asthenia vera et status nervosus constantes sistunt febris putridae satellites, quorum gratia omni jure febris nervoso-putridae nomen sibi vindicat.

951. Ante omnia vires musculares et arteriosae singulari ratione prosternuntur, quare ægri, sufficiens antea, imo excessivum robur manifestantes, miram ac saepe repentinam aduersant artuum, totiusque corporis dedolationem et motus difficultatem; pulsus fiunt debiles, parvi, myuri, inordinati, quandoque pleni, ast molles, plerumque tamen naturalibus frequentiores, ultimis vitæ momentis exceptis. Propagatur demum debilitas ad systema nervosum, ac vita sensifera cunctas illas subit funestas metamorphoses, quas febribus nervoso-asthenicis proprias esse novimus. Ortum inde ducunt hebetudo sensuum externorum, syrigmus aurium, cephalaea occipitalis obtusa, temulantia, animi desponsio, balbuties, aphonia, sitis mox nulla, mox insatiabilis, anorexia, dyspepsia, dysphagia, tremores, convulsiones, paralyses, deliquia. Delirium cum stupore alternat, quam ob rem febricitantes plerumque stupido excellunt et obfuscato vultu, ac inter verba despiunt; alii vero mentem serenam ad interitum usque servant. Quandoque sub exordio febris putridae horrores longi funestum hospitem praesagiunt.

952. Varia esse solet febris putridae duratio pro diverso epidemiae regnantis, vel morbi primitivi, e quo originem traxit, ingenio; nunc enim

septimo solvitur die, nunc ad decimum quartum et ultra protrahi observata est, ni mali ferocia aegrum prius enecuerit.

953. Rarioribus tantum in casibus febris putrida iis duntaxat phaenomenis stipatur, quae statum liquationis et astheniae universalis indicant; crebrius contra multifariis conjuncta incedit symptomatibus, praecedenti primitivo febris characteri propriis, ac ultro permanentibus, quorum diversitas totidem ponit febris putridae complicatae varietates; uti febris inflammatorio-, gastrico-, bilioso-, exanthematico - putrida.

954. Sub transitu febris qualiscumque in characterem septicum diagnosis haud exiguis persaepe premitur difficultatibus, tunc solum superrandis, ubi, hebescente charactere primario, status putridus in dies magis evolutus clarioribus signis suam praesentiam patefacit.

AETIOLOGIA.

955. Febris putridae casum, caeteris paribus, longe facilius subeunt homines debiles, phlegmatici, laxi, exhausti, convalescentes, valetudinarii, morbis diuturnis et praesertim cachecticis confecti, uti illi, qui scorbuto, syphilide, hydrope, phthisi detinentur, aut brevi ante eosdem morbos cachecticos sunt perpessi; praeterea pauperes, egeni, adversa sorte oppressi, atque necessariis carentes vitae adminiculis, quapropter

ipsae calamitates publicae, bellorum tumultus, annonae charitas, insalubris loci situs universalem saepe in integro populo fovent dispositionem.

956. Inter causas occasioales febris putridae sive, rectius loquendo, characteris putridi in febribus omnium primo referendae veniunt omnes illae potentiae nocivae, quae nisum in liquationem promovent. Harum nonnullae directe in vegetationis processum influunt, chemicas massae organicae relationes, miscelam et elementorum proportionem alterando; aliae eundem effectum indirecto praestant modo, virium vitalium energiam sufflaminando. Non minus tamen criminanda est justo vehementior, magisque protracta incitamentorum cuiusvis generis actio, quae virium reactiones tandem protinus exhaurit.

957. Quatenus morbosa conditio, quae febris putridae essentiam constituit, liquatio nimirum putredini proxima, vitae e diametro opponitur; eatenus etiam detractio incitamentorum vitalium, atque concursus potentiarum, processui vitali inimicarum, principales largiuntur septici status fontes. Eminentem causarum plerarumque agendi modum chemicum esse, jam sola conditionis pathologicae consideratio abunde indicat, quae chemismum, ut ajunt, animalem a normali tramite deflectentem evincit.

958. Aër atmosphaericus, commune illud omnium entium organicorum pabulum, multimode vitale robur pessundare ac haematopoëcos munus

offendere valet, ubi vel consuetis saluti amicis elementis inops, vel plane deleteriis contaminatus fuerit. — Atrium morbi hocce in casu suppeditant pulmones et tota superficies cutis, quae duo systemata organica, cum rerum ambientium injuriis continuo collectantia, sanguini nimia phlogisticorum copia spoliando destinata esse, physiologia docet.

959. Per eminentiam insimulari meretur aër calidus, humidus, debita oxygenis quantitate pricus, nullis, vel austrinis flatibus agitatus, impurus, effluviis animalium, vel vegetabilium putrescentium, ac in acervos congestorum contaminatus. Omnes igitur mephitum species, quas cloacae, sentinae, cemeteria, speluncae et cryptae subterraneae, simeta, lanienae, atque habitacula plurium hominum coagmentatorum eructant. Ex hisce fontibus explicatur febris putridae uberior exortus ad oras maritimas, in locis depresso, sub zona torrida, in nosocomiis male gubernatis, in coecis carceribus, urbibus obsensis, navium intabulatis, hybernaculis militum angustis, et pauperum tuguriis, ubi veterascens aër recenti spiritu recreari nequit, in angiportibus urbium vastarum et populosarum, inque illis regionibus, in quarum vicinia plurimae in praelio diro peremptorum victimae sepultae jacent, praesertim dum ver frequentibus imbribus ac ventis ab Austro spirantibus sordescit, vel aestatis fervor insolitus urget. Inde originem duxerunt nomina febris noso-

comialis, castrensis, carcerariae, navalis, helopyrae (a ἥλος, palus), quae quidem crebro putrido stipantur charactere, quandoque tamen ad alias febrium species, intermitentes, etc. typhosas referri debent.

Dreyer, de noxiis corporum putridorum effluviis. Rost. 1802.

960. Recentiores chemici eudiometricis quidem evicerunt periculis, elementa palmaria, quae ejusmodi mephites varias componunt, e phlogisticorum familia esse tam simplicia, quam composita et diversa proportione inter se copulata, maxime vero hydrogenes et azotum, hydrogenes sulfuratum, et phosphoratum, ceu constantiora fermentationis putridac producta; nihilo tamen minus innumerae illae mephitum species, invicem adeo distinctae, ut vel solo odoratu discerni possint, ad solas elementares inflammabilium formas reduci nequeunt, sed specifica quoque, ac nondum arte chemica detecta principia, horumque connubia supponere jubent.

961. Singularem efficaciam in morbis naturae septicae, et mali moris procreandis ostendunt effuvia regionum uliginosarum, udarum, depressarum, atque paludum, nomine mephitis paludosae insignita, quorum noxas classico calambo adumbravit Lancisius (1). Helopyras, quales in locis humidis et paludosis Italiae occurrunt, egregie delineavit Thouvenel (2).

(1) Lancisi, de noxiis paludum effluviis. Colon. 1718.

(2) Thouvenel, Traité sur le climat d'Italie. 4 Volumes, Veron. 1797.

962. Quod naturam exhalationum paludosarum adtinet, desideratis hactenus caremus rationibus. Indubitatum quidem est, praecipuas partes constitutivas nullas alias esse, quam principia inflammabilia diversi generis, uti gas acidum carbonicum, azotum, hydrogenium, sulfur, phosphorum, et particulas quasdam organicas, in vaporosam formam redacta (1); id enim probant processus putrefactionis, in paludosis plagis continuo vigens, inutilitas aëris pro respiratione et alimonia flammae, praevalens tensio electricitatis negativa, nec non spontaneae inflammations, ac, inde originem ducentes, ignes fatui, stellarumque trajectiones.

(1) Ueber die Sumpflluft. In Gehlen's physical. Wörterb. II. B. S. 361. — Gilbert's Annalen. 16. B. S. 359—370.

963. Habent tamen spiramenta paludum adhuc aliquid sibi proprium, quo ab aliis generibus mephitum putridarum discrepant, ut jam ipse odor singularis et specificus, cum nullo alio comparandus, abunde indicat. Maxima cum probabilitate conjicere licet, specifica illa effluvia determinatorum tantum corporum organicorum, et quidem in sua principia constitutiva non penitus resolutorum producta esse; ad elementares enim fluidorum elasticorum formas reduci nequeunt.

964. Profecto omnium versatur ob oculos, paludes et stagna esse congeriem innumerorum ani-

malium et vegetabilium, quae sub nullis aliis circumstantiis generantur, solarumque paludum, putidum viventium seminarium conflantium, soboles et accolae dici possunt. Inter plantas aliae desidibus lymphis supernatant, aut fluitant, quemadmodum lemnae, confervae, ulvae, nymphaeae; aliae fundum tenent, atque oras obsident, veluti potamogetones, myriophylla, spargania, carices, typhae, arundineam ac junceam sepem constituentes. Animalium ovula, sive ingenita, sive illuc transvecta, cum ad palustrem locum pertingunt, humido leniuntur; atque in multigenos vermes, insecta, angues, ranas et bufones, desidum aquarum hospites facile manifestantur. Quamvis haec omnia viventia plurimos fomites in alimentum absumant, quae aquas ceteroquin contemerant; nihilominus tamen utilitatem, quam stativis aquis, sumpto pabulo, adferunt, multiplici nocturno rependunt; spoliis enim, faecibus, exuviiis, animalium cadaveribus, fracescentium vegetabilium inquinamentis, quibus et extraneae accedunt substantiae, putridam congeriem, ac tetterimum illud foetidumque coenum conficiunt, e quo desides lymphae, calore solis verberatae, labem, noxamque concipiunt, et circumfusum aërem pestifera replent mephite, unde epidemicarum, vel endemicarum febrium origo saepe repetenda. Hujus generis sunt: v. g. funestae febres intermittentes in paludibus Pontinis et agro Mantovano, nec non morbus hungaricus

Hagy maz, ab A. 1566 inde in udis Hungariae regionibus quotannis observatus (1).

(1) Schuller, de morbo hungarico. In Halleri Diss. pract. Tom. V. p. 361.

965. *Talis est principiorum in palustri coeno genitorum potentia et acredo, ut carnes animalium inde pabulum trahentium, piscium praecipue et volatilium, peculiarem contrahant odorem et saporem ingratum, inque putredinem multo citius vergant, quam illorum, quae limpidas lymphas et aprica loca incolunt.*

966. *Ast nec omni tempore, nec omnibus sub circumstantiis paludes feralem illam spirant auram. Quousque palustre solum copiosis, fluentibus, purisque aquis inundatum est, uti post imbres diuturnos et proluvies accidit, nociva elementa proprio veluti sinu recondit, accolisque nulla damna parat. Ubi vero ventis australibus, aut fervidiori coelo evaporant tutantes lymphae, mortifera terrae lutulentae et quasi fermentatae spiramenta emancipantur, ac summam atmosphaerae insalubritatem adducunt, quae ab ineunte aestate usque ad serum autumnum durare solet, nisi propitiae intercurrant conditiones. Paucitati igitur aquarum, quae paludes inundant, earum quieti ac incipienti exsiccationi praecipua noxa est tribuenda. — Elevatoria, quae palustrem uliginem circumdant, loca ipsa planicie vix non infestiora observantur. — Sylvarum atque lucorum ubertas soli paludososi noxias minuit, arborum enim*

cacuminibus effluvia mephitica absorberi, observationes docuerunt (1).

(1) Ferguson, de natura et historia miasmati paludos. — In Medico-chirurgical Transactions etc. Vol. XI. P. 2.

967. Prouti vel effluvia vegetabilium fracescentium, vel contra substantiarum et corporum animalium putredine dissolutorum spiramenta mephitica excellunt, insignis exsurgit aëris paludosi diversitas, quae procul dubio ad differentium aegritudinum genesin plurimum contribuit. Prior febribus intermittentibus et cachexiis adfinibus, altera febribus putridis et malignis patrocinari videtur.

968. Aquas, in quibus linum et cannabis contabescunt, non solum potu nocere, sed etiam pestilentes auras emittere, atque febribus perniciosis et putridis generandis summe idoneas esse, antiquissimis jam innotuit temporibus, uti Lancisius perdocte explanavit; unde apud Anglos sub gravi poena cautum est, ne cannabis aut linum in fonte, stagno, aliove receptaculo aquarum publico, ubi pecudum greges et armenda solent aquari, macerentur.

969. Alterum, praeter maleficas aëris qualitates, characteris septici fontem largiuntur contenta ventriculi et intestinorum, dum ad putredinem vergunt. Hinc victus animalis solus, abusus carnis facile putrescentis, suillae, ferinae, piscium, ostrearum, farinae corruptae, aquae putidae, bilis, aut pituita diu retenta sub insigni virium digerentium debilitate.

970. Peculiariter demum modo septicam dyscrasiam generant: substantiae alcalinae et salinae; praeparata mercurialia; remedia narcotica; venena animalia, praesertim illa serpentum; faeces et urinae diu retentae, maxime si in alienas effunduntur cavitates; producta morbosa qualisque colliquationis, aut putrescentiae localis, uti sanies foetida ulcerum malignorum et canceraticorum, tabum gangraenosum, sphacelus partium tam internarum, quam externarum, fetus intra uterum corruptus, secundinarum fragmenta post partum non educta etc., quae non solum in eodem individuo aegrotante generalem suscitant diathesin putridam, sed etiam aliis per contactum communicata hominibus eundem producere valent effectum, unde contagiosa similium fomitum sub certis circumstantiis evincitur indoles (semicontagia septica). Eminentem hoc intuitu virulentiam ostendunt quidam morbi septici brutorum, uti anthrax, gangraena splenica, coryza virulenta equorum, quorum fomites hominibus fortuito insiti non minus exitiales inferunt clades, quam esus carnis animalium iis malis enectorum. — Quaevis tandem contagia nisui in liquationem septicam auscultare, ideoque febres contagiosas et loimicas libenter in putridum characterem abire, jam alibi monuimus.

971. Indirecto modo putridam dyscrasiam provocare valent omnes illae prophases, quae materiem altilem subtrahunt, viresque vitales pro-

sternunt, uti: inedia, venaesectionum abusus, profluvia immodica vel diurna, animi passiones deprimentes, excessiva et protracta musculorum intentio, ebriositas, debilitas indirecta a viribus nimis exorbitantibus, vel diutius suppressis. Quo plures potentiarum nocivarum concurrunt, eo facilior erit febrium putridarum origo, coque major harum saevities, quemadmodum id inter egenos, nec non tempore calamitatum publicarum observare licet.

NOSOGENIA ET THEORIA.

972. Jam ex ipsa causarum occasionalium consideratione liquet, contemporalem febris, et characteris putridi genesin in aperta contradictione esse; — prior enim non nisi e stimulis positivis, incitationem vitalem sufflammantibus, posterior e potentiis processum vitalem exhaustientibus ortum dicit. Inde idea febris putridae primitiae sponte corruit, quamvis negari nequeat, germen diatheseos putridae jam praexistere, vel eo momento poni posse, quo febribles ex alia causa excitantur turbae. — Aliter tamen sentiendum est de febribus putridis topica quadam affectione comitatis; nil enim obstat, quominus incitatio vitalis summatim aucta cum partis alicujus sphacelo, vel vice versa debilitas universalis cum topica inflammatione eodem oriatur tempore, in causam inaequalis stimulorum distributionis.

973. **Duplex**, habito originis respectu, inter febriles motus et putridum statum viget relatio: 1) Vel sub decursu febris qualiscumque, irritativa, inflammatoriae, gastricae, tales concurrunt circumstantiae, quae septicam generant diathesin; 2) vel praecurrenti cuidam morbo putrido afebrili, v.g. scorbuto, aut gangraenae locali, febris suboritur, quae vel ab ipsa qualitate prava massae organicae, positivum ac abnormem stimulum constitueret, vel vero ab accidentalibus irritamentis dependet.

974. Licet conditiones febris ortui obsecundantes, eas, quae septico statui favent, excludant, nihil tamen obstat, quominus uterque status pathologicus pari tempore in eodem vigere possit organismo. Positus semel febrilis processus (de critica loquimur febre) nulla quidem ratione truncatur, nisi praefinitum absolverit cyclum; formam vero et naturam mutare omnino potest. Evolutio characteris putridi supponit energiam virium vitalium reapse infractam (quatenus putredo vitae e diametro opponitur), qua posita earum reactiones intensitate minuantur, augetur vero motuum organicorum celeritas, quae non minus vividius indicat molimen pristinam efficientiae dynamicae harmoniam restituendi. — Tali pacto etiam ortus febris in subjecto scorbutico et debili rationalis pathogeniae praceptis nullatenus adversatur; quoisque enim scintilla vitae viget, vires vitales utut languidae, a stimulorum intercessu

incitari poterunt, quo posito jam febris idea habetur.

975. Omnes prophases, diathesi putridae producendae pares, ejus indolis sunt, ut processum vitalem, et speciatim efficientiam plasticam, sive facultatem crystallisationis animalis directa, vel indirecta ratione subruere, atque prototypo organico contrarias mutationes inducere moliantur, praedominium quippe virium expansivarum et elementorum phlogisticorum, quae praefixum intimae unionis et coaguli organici gradum adtingere nequeuntia legibus magni processus dynamico-chemici naturae externae potius, quam speciali nutui efficientiae vitalis obediunt ac respondent. Primi igitur effectus sepedogeneseos in illis sphæris organicis accidunt, oportet, quarum concentu normalis processus plastici conditio efficitur et conservatur; ideo quoque sanguis, ceu cornucopiae omnis productionis organicae, ante omnia similis metamorphoseos particeps fiat, ejusque indicia per eminentiam praebeat, necesse est. Inde sua intelligitur sponte, in generando statu putrido palmaria incitamentorum vitalium atria, praesertim vero pulmones et cutis superficiem, quae sanguini dephlogisticando (sit venia barbaræ yoci) speciatim dicantur, principalem gerere culpam. — Quemadmodum haematopoësis normalis ab illibato pulmonum et cutis munere dependet; ita haematopoëseos vitia eorundem organorum functionibus laesis adscribi debent, cuius

quidem ratio proxima vel in abnormi phlogistico-rum intra organismum genesi, vel in conditione vitiata aëris atmosphaerici, requisitis qualitatibus destituti, ac ideo pro defaecando sanguine inepti, est quaerenda.

976. Negarunt plures auctores sanguinis septicam dyscrasiam, iis quidem innixi argumentis: quod vita et putredo, veluti duo processus chemico-dynamici sibi e diametro oppositi, coëxistere nequeant; — prior enim materies organicas format, principia naturae phlogistica adsimilando et figendo, altera substantiam organicam destruit, eadem elementa inflammabilia variis sub formis extricando; — quod vita, quo vegetior fuerit, eo potentius putredini resistat; — quod demum omnes conditiones putredini faventes vitam evertere moliantur, et viceversa. — Concedimus quidem, veram sanguinis putredinem locum habere nequire, quoisque in systemate vasorum vita viget, vivo enim corpore progigni putrorem, negatum est a natura; nihil tamen adversatur, quominus sanguis normalem suam ammittat crasin, majori imbuatur principiorum phlogisticorum copia, quae infractae energiae contractivae causa ad optatum perfectionis, evolutionis, et cohaesionis organicae culmen evehi recusent, et laxius inter se unita, favente efficientiae expansivae dominio, facilissimo negotio in elementares secedant formas. Hocce jam rudimentum liquationis in sanguine dyscrasiam putridam, sive aptius συπτρό-

$\rho\epsilon\varphi\lambda\gamma$ (inclinationem ad putredinem) nuncupamus, quae a putredine vera solo gradu differt (1), in que istam transit, quamprimum vitalis extinguitur processus, quod in singulis partibus, vita totali adhuc persistente, contingere potest, in universo autem organismo non nisi cum morte succedit.

(1) Hartmann, Theorie der Krankheit. Wien 1823. §. 179.

977. Cunctis liquationis productis, uti jam alibi monitum fuit (§. 189 et 209), proprietas competit, in materia organica vivente eundem processum morbosum, cuius progeniem sistunt, concitandi, talique pacto semet multiplicandi, quod quidem tanto facilius obtinet, quo altior fuerit ipsius liquationis gradus. Hac ex ratione processus septicus, ceu summum colliquationis culmen, non solum ad contiguas proserpit partes (nisi earum renitatur vitalitas), massamque organicam sanam in analogum conjicit statum, verum etiam producta ejus morbosaa, tabum utpote gangraenosum, vel effluvia putida, in aëream formam reducta, in ipsis sanis individuis morbosas suscitant metamorphoses, quarum vi similis emicet liquationis processus. Quandoque tamen labes putrida ad definitas tantum circumscribitur organisimi sphaeras, telam v. g. cellulosam, reliquas partes, licet adtiguas, uti vasa et musculos, immunes relinquens.

978. In ipsis corporibus inanimis plane eadem phaenomena observare licet; saepe enim in pomariis, pomo marcente, vicina videmus paulatim

extabescere, donec, effuso latius contagio septico, etiam remota computrescant. Itidem in lanieris corruptae carnis adflatu recentes brevi contemerantur. Specificum vero in hisce singulis casibus obtainere corruptionis genus, vel inde liquet, quod alias naturae obsonia, etiamsi vicina fuerint, interim intacta manent.

979. E praemissis itaque intelligitur, inquinamenta putrida in verum degenerare posse contagium, quod tamen non omnes perfectorum contagiorum dotes agnoscit, ac ideo semicontagiis adnumeratur, uti suo loco addictavimus (§. 188—191). — Contagium septicum, cuius foetorem nonnulli cum vapore e tumulis recenter reseratis adsurgente, alii cum putore straminis fracescentis comparant, in typhosum abire posse, Cel. Hartmann opinatur (1).

(1) Theorie des ansteckenden Typhus, S. 69.

980. Si maximam sanguinis inflammatorii coagulabilitatem, substantiae fibrosae et partis rubrae abundantiam, nec non causas occasionales ejus genesi patrocinantes cum sanguine, in liquationem septicam nitente, comparamus, ingens inter utrumque, ac fere e diametro, opposita differentia adparet. — Rem tamen penitus inquiendo, nullum in elementis, utrumque sanguinem componentibus, discrimin existere eruitur; prævalens enim in sanguine febrium inflammatoria rum fibrina maximam partem ex azoto constat, estque ipsum hocce elementum volatile, quod

etiam in sanguine, ad putrorem vergente, excellit. Distinguitur itaque sanguinis inflammatoria dyscrasia a septica, quarum prima arterioso, et altera venoso, ut ajunt, characteri respondet, quod elementa phlogistica in primo crux statu per incitatem vitae energiam perfectiorem animalisationis gradum, ac sub vividiori influxu factoris contractivi majorem nisum in coagulum acquirunt, ubi contra in secundo minus perfecte evoluta, ac laxioribus vinculis (ob vis contractivae robur infractum) juncta facilius dissidium patiuntur.

981. Ex hacce penitiori indagine comparativa inter praelatas sanguinis dyscrasias, quae non natura, sed polis tantum praevalentibus differunt, intelligi possunt sequentia: 1) Haud rarus unius dyscrasiae in alteram transitus, qui polis inversis quandoque incredibili celeritate succedit. 2) Damna, quae in utroque casu parant substantiae principiis phlogisticis onustae, uti victus animalis, narcotica, spirituosa. 3) Benefica ex adverso actione substantiarum oxygenio redundantium, vegetabilium, acidorum, refrigerantium, dummodo via circuli introducantur, perque gradarias mutationes adsimilentur. 4) Insignis, dato dyscrasiae inflammatoriae casu, omnium illorum influxum noxa, qui forinsecus super organismum agendo, oxyseos processum in pulmonibus et cute intendunt, uti aër nimis purus et asper, oxygenio dives, frigidus, positive electricus, siccus, ventosus, et s.p.; contrarium vero, ubi de septica agitur dyscrasia.

882. Ubicunque jam aliis generis liquatio in organismo obtinet, quemadmodum in febribus biliosis, et contagiosis, in suppurationibus et ulceribus vastis, etiam status septicus multo facilius oboritur. Inde concipi poterit promptior certarum febrium in characterem putridum transitus.

983. Quod realem adtinet virium vitalium languorem, iste mox dyscrasiae septicae causam, mox vero effectum sistit. Stante debilitate vera, praesertim indirecta, ac derepente suborta, sanguinis aliorumque humorum crasis normalis necessario pati debet; quapropter febribus nervoso-asthenicis malignis characterem putridum succedere nemo mirabitur. Pari demum ratione, si sub decursu circumstantiarum, quae vegetationis processum in qualitate ita pervertunt, ut sub potentiori expansivae efficientiae influxu, ac uberiori phlogisticorum extricatione nisum in liquationem suscitent, septicus status inducitur, etiam necessariae sufferuntur conditions, quae necessarias virium reactiones, ac normalem incitationis vigorem sustinere valent. Inde debilitatis secundariae origo, sub cuius incremento, plus minusve praeципiti, non solum vires organicæ, vitae automatiæ, sed etiam altioris ordinis functiones nervosæ, muscularum utpote voluntariorum, atque sensorii communis labefactantur. Irritabilitas systematis arteriosi unica dici potest, quae in gratiam stimuli abnormis (qualem vitiata sanguinis crasis suppeditat) continuo lacessita justo vividiores, atque

celeriores, utut naturalibus minus fortes, reactio-
nes ponit.

984. Quales jam ejusmodi status liquationis
et septorrhepsiae in organismo vivo producere
debeat effectus, facile quisque intelligit. San-
guis in secessum particularem vergens niagis
adtenuatur, panditur, ipsaque vasa ita exten-
dit, ut in capillaria etiam urgeatur, inque ip-
sum parenchyma organorum effundatur. Inde ru-
bores, petecchia, ecchymoses, inflammations,
haemorrhagiae. Ob eandem pansi sanguinis indo-
lem, atque uberiorem principiorum phlogisticorum
evolutionem calor elicitur mordax, atque sistema
nervosum ad abnormes exstimulatur motus, donec
occyus seriusve omnis penitus prosternatur effi-
cientia vitalis. — Secretiones turbantur eum in
modum, ut ipsi humores secreti praevalentibus
elementis, negativa (expansiva) polaritate insigni-
bus, imbuantur, atque citissime corrumpantur, si
extra sphaeram vitalem collocati fuerint. Solidae
tandem partes cohaesionem amittunt, flaccescunt
ac, languentis circuli gratia, in veram putredinem
(sphacelum) facillime abeunt.

TERMINATIONES.

985. Nisi vires medicatrices organismi aegro-
tantis congruis artis auxiliis, vel horum vices
agentibus circumstantiis secundis suffulciantur,
restituendae saluti vix unquam pares sunt, cu-
jus ratio in ipsa febris putridae natura delitescit. —

In casu felicis resolutionis circa septimum, nonum, decimum quartum, vel et vicesimum diem febri-les pacantur turbae, pulsuum frequentia minuitur, increscit viceversa vigor; diluuntur maculae peti-culares; mens fallacibus illusa phantasmibus, vel alto obruta sopore serenatur, unde aegri pro-prias angustias clarius perspiciunt, ac insignem queruntur delassationem; redit adpetentia cibo-rum, somnusque reficiens; conticescunt profluvia morbos, horumque loco levantes subintran eva-cuationes, quas inter sudores critici, atque urinae turbulenta e, sedimentum copiosum, leve, rubellum aut flavo-fuscum deponentes, op-timi augurii esse consuescunt. Arenulae, crystal-llos salinas continent, in lotii superficie pelli-culae forma concretae, vel ad latera matulae de-positae, durante quadam epidemia Pragensi sem-per bonum dederunt indicium (1).

(1) J. W. Tichy, de arenulis in lotio adparentibus ut in-fallibili salutaris morborum eventus signo prognostico. Prag. 1774.

986. Per vomitum aut diarrhoeam illae-tantum judicantur febres putridae, quae cum gastricis copulatae impuritatibus decurrebant. — Tumores parotidum atque glandula-rum inguinalium; testantibus Monroo, Stollio, et Vogelio haud raro levamen tule-runt; in aliis casibus eruptio furuncularis et ptya-lismus, ceu criseos faustae comites observati leguntur. — Plerumque tamen convalescentes lon-

giori egent tempore, donec pristinam virium et habitus externi integritatem recuperent.

987. Communissimam mortis causam largitur summa virium vitalium prostratio, atque septicus massae organicae status, quibus, rapido saepe passu crescentibus, principes vitae motores extinguentur. Ad hancce mortem ex debilitate modo simplici, modo vere maligna et perniciosa plurimum conferunt extenuantia profluvia diversi generis. — Quandoque haemorrhagiis internis sub lethali syncope perimuntur aegri. — Febres putridae, locali quadam phlogosi aut sepsi organi nobilioris comitatae, mortem simul parant in gratiam sublatae functionis palmariae ad vitam absolute necessariae, vel fatalium successionum, gangraenae, effusionis, colliquationis ichorosae.

988. Posthumis febris septicae, imperfecte resolutae, adnumerantur: 1) Inflammationes et indurations glandularum salivarium, subaxillarium, inguinalium; carbunculi; inflammationes viscerum ominosae; quae omnia consectaria plerumque effectus metastasium esse solent. 2) Debilitas chronicá universalis, vel partiales languores organorum digerentium, aut functionum nervosarum, unde dyspepsia, cardialgia, amaurosis, surditas, amnesia, paralyses variac. 3) Vitia diurna reproductionis organicae, uti scorbutus, hydrops, tabes, et febris lenta. — Quod si febris putrida in inflammatoriam excandescat, id nonnisi accidentalibus circumstantiis tribuendum est.

PROGNOSIS.

989. Ambiguam semper esse salutis spem cum febre putrida, jam ex supra adlatis elucet. — In praesagienda vita et morte virium conditio prae caeteris debet considerari; quo major enim fuerit debilitatis gradus, et quo magis praeceps ejus incrementum, eo majus discrimen aegri. Ideo febris homini masculo et robusto superveniens spe meliori consolatur, quam si corporis vires jam ante morbum fractae et exhaustae fuerint. Non desunt tamen funestarum epidemiarum exempla, quae vix non majorem in juvenes floridos et succiplos exercuerunt saevitiam.

990. Symptomatibus summe ominosis accenseri prae caeteris merentur omnia illa, quae maximum colliquationis et debilitatis paralyticae gradum indicant: profluvia colliquativa, uti sudores et diarrhoea; haemorrhagiae effraenes; petecchia amplae, lividae, atrae, atque ecchymoses; physiognomia tristis; inopinatus virium ab ineunte morbo lapsus; delirium sine induciis; sopor apoplecticus; carphologia et crocidismus; foetor cadaverosus ab aegro emanans; linguae tremulae ariditas; vox stridula; singultus; meteorismus pertinax; urinae continuo crudae et limpidae, vel lutosae et graveolentes; pulsus parvi, inanes, vermiculares, intermittentes; animi deliquia. Fatale quoque est, si partes cantharidibus irritatae, aliave ratione sauciatae in gangraenam festinant, aut si febricitans decumbendo partes conterit, et exco-

riat. Majori adhuc metu terrent gangraenae viscerum nobilium, e suis signis dignoscendae. Extiosum pariter, si causae organismo inimicae, viresque continuo devorantes fugari nequeunt, et ulterius saeviunt; quare popularis constitutionis ingenium salutis spem mox auget, mox minuit. — Neque ex toto tutus est aeger, etiamsi convalescat, ob clandestinas metastases, viscerumque labes, quae haud raro sub optima salutis recuperandae spe accidunt, mortemque non semper avertendam machinantur. Dum parotides, aliave superficie externae loca, morbo maturo, inflammantur, et in pus convertuntur, fausti exitus notam promittunt, si vero ejusmodi tumores sine puris genesi evanescunt, perniciem minitantur.

THERAPIA.

991. In cura febrium putridarum rite instituenda plurimum interest, ut causae efficientes eruantur, atque cognitae, per quantum fieri potest, amoveantur, vel saltem enerventur; tali enim pacto haud raro succedit nascentis morbi germen destruere, ejusve impetum cicurare, ac instans periculum avertere. Conveniet itaque pro casuum diversitate: deleterias aëris qualitates dissipare vel corrigere, putrescentes saburras eliminare, victus rationem emendare, animum desponsum exhilarare, effraenes humorum profusiones coërcere, sphacelo corruptas solidorum particulas removere, saniem alicubi effusam evacuare, et s. p. — Ast proh

dolor! nonnisi rarissime ejusmodi therapia e
directae conceditur locus, partim quod causas
amoliri non licet, partim quod, iis etiam rite
cognitis, amovendis, imo amotis, praefinitus febris
putridae cyclus nullatenus truncari potest.

992. Indirecta medendi ratio virium
vitalium conditioni, ac prevalentis characteri scite
adcommmodanda ex ipsa febris putridae nosogenia
et essentia facile eruitur. In morbi exordio, prae-
sertim si e febre inflammatoria pullulaverit, semper
aliqua viget virium arteriosarum exorbitantia, quam
remediis leniter antiphlogisticis et refrigerantibus
moderari oportebit. Venaesectionis necessitas ra-
rissimis tantum in casibus urget, ubi nimius san-
guinis orgasmus, vel superstes quaedam phlogosis
gravior cum primis septici characteris initiis con-
gruit. — Ea autem proportione, qua vere asthe-
nicus subintrad status, ad stimulantia modo lenio-
ra, modo potentiora transeundum erit, ut mode-
rata illa obtineatur virium incitatio, sine qua be-
neficae crises cogitari nequeunt. Totus igitur me-
dicaminum adparatus, quem febres nervosae asthe-
nicae sibi depositum, non omissis praecepsis, mo-
deramen virium regentibus, ac in pyretologia ge-
nerali fuse explanatis, in usum erit trahendus.—
Singularem quandam in febribus putridis laudem
sibi vindicarunt: camphora, moschus, castoreum,
valeriana, chamomilla, angelica, imperatoria, ser-
pentaria, oleum animale Dippelii, naphthae, et
vinum generosum.

993. Vehementer tamen falluntur medici, qui solam debilitatem graviorem septorrhepsiae causam esse censem, talique principio seducti medicamenta excitantia sola putredini arcendae sufficere, ac in febribus septicis omnem curationis paginam absolvere, sibi credunt; etenim non perpendunt, pharmaca stimulantia, vasorum systemate potentius irritato, sanguinis impetum augere, majoren aestum incendere, expansionem alioquin jam excessivam promovere, haemorrhagias invitare, atque dissolutionis processum praecipitare, sicque toties aperte nocere.

994. Reproductio organica in febribus putridis ea ratione alterata, ut abnormis vigeat in liquationem propensio, maximum medentis postulat respectum. Remediorum igitur hoc intuitu seligendorum actio talis sit oportet, ut in processu vitali vegetationem exaltent, principia phlogistica uberioris extricata et in dissidium prona figant, abnormalmem expansionem infrigant, majoremque materiae organicae vim plasticam et nisum in cohaesionem concilient. — Id praestare valent: 1) Nutrientia; 2) Acida; 3) Roborantia; et 4) Frigus; — quibus omnibus, habita ratione potestatis putridam dissolutionem arcendi, antisepticorum remediorum nomen adprime competit.

995. Quatenus nutrientia vegetationis processum intendunt, talique ratione conditiones putredini adversas inducunt, in cunctis morbis e statu liquationis oriundis maximam defendunt

utilitatem. Praecellunt vero nutrientia vegetabilia, quatenus majori abundant oxygenis copia, dummodo simul eupepta sint.

996. Acidorum virtus in febribus putridis, quae nil nisi scorbutum acutum et febrilem sistunt, nulli practicorum est ignota; unde omni jure inter praestantissima antiseptica numerantur. Praeplacent nobis acida vegetabilia, uti acetum, succus citri, acidum tartaricum, quae naturae animali magis homogenea et amica sunt; atque ob laxiorem elementorum componentium unionem facilius resolvi et assimilari videntur. — Altior tamen septicae diatheseos gradus ipsorum mineralium acidorum opes implorare jubet, in quibus major exstat copia oxygenii, eo facilius extricandi, quo majorem inveniat in organismo principiorum phlogisticorum liberorum antithesin. A perfectioribus eortundem acidorum dosibus, audacius propinatis, effectus benefici plurimum dependent, Reichio docente. Praestat pro usu interno acidum sulfuricum dilutum ad duas drachmas, vel unciam dimidiā ex aqua saccharo condita, vel decocto quodam mucilaginoso porrectum. Multi elixirium acidum Halleri, vel elixirium vitrioli aromaticum Mynsichti praediligunt. Alii denuo acido muriatico multo majorem tribuunt efficaciam (1), praesertim si putridus fomes in primis viis redundet. — Goeden (2) acidum phosphoricum in typho putrido adprime respondisse testatur.

(1) **F**ortis, in den Abhandlungen für practische Aerzte.
B. XIV. S. 457.

(2) **G**oeden, von der Arzneykraft der Phosphorsäure gegen den ansteckenden Typhus. Berlin 1815.

997. Nuperrime novum innotuit antisepticum,
Kali utpote muriaticum oxygenatum,
quod oxygenio resoluto uberrime scatet, et ob
hanc proprietatem vix cum quodam alio aequiparari
potest remedio (1). Exhibitetur ad granorum
duorum, vel quatuor dosim, forma pulveris, omni
hora sumendam. Sub ipsa vero pulveris confectio-
ne maxima providentia observanda, ne explodat.
— Salem culinarem acidis vegetabilibus co-
pulatum Cel. Wright (2) ut efficacissimum col-
laudat remedium antisepticum; aliis alum en
crudum magis opportunum videtur.

(1) Richteri Therap. special. Tom. I. p. 255.

(2) Transactions of the American philosophical Society.
Vol. II.

998. Roboranti virtute omnia quidem gau-
dent amara, amaro-aromatica, martialia, et ad-
stringentia; quae materia scytodephica scatent,
qua propter etiam in morbis septicis suppetias fe-
runt; praecipuas tamen laudes sibi promeruit
cortex peruvianus. Praestat forma decocti
saturati, extracti, vel tincturae; pulvis chiae
ventriculum mole gravat, et a debilibus ejus vi-
ribus difficulter subigitur. Additione aromatis, vel
alius stimuli diffusibilis, imprimis acidorum mi-
neralium dulcificatorum efficacia corticis peruvia-
ni mirum in modum acuitur. Ubicunque vero clan-

destina viget in visceribus phlogosis, ubi pulsuum plenorum et subdurorum conditio superstitem adhuc (a praegresso charactere inflammatorio) in systemate vasorum irritationem indicant, vel plane manifesta hospitantis saburrae signa adsunt, damnosus evadit chiae usus.

999. **F r i g u s**, putredini inimicissimum, in febris septicis tantas exerit vires, ut Lettsom solo frigoris et chiae usu plurimos sanaverit aegros. Summa psychrolusiae, a Currieo in febribus miasmaticis et contagiosis (ad putredinem pronis) propositae, efficacia jam alibi explosa fuit. — Clarissimus Cullen inguina et verendas partes frigidis fovere, aquam corpori inspergere, vel siphonis ope per anum injicere suadet. — Sponte intelligitur, in maximo debilitatis gradu, qui cum insigni thermopoëseos imminutione incedit, tepida potius, et praecipue aromatica convenire balnea, juxta mentem Gilchristii, Lentini, et Bilguéri usurpanda (1).

(1) S. G. Vogel, Handbuch der pract. Arzneywissenschaft.
1. Th. §. 185.

1000. Potiora symptomata perniciosa, quae sub decursu febrium putridarum particularem respectum merentur, sunt: haemorrhagiae, profluvia ventris, meteorismus, atque decubitus. — Quatenus ex universali profiscuntur liquationis processu, viriumque asthenia, ipsa cura palliativa, seu symptomatica

cum indicatione vitali in eundem scopum collimare debet.

1001. **Hæmorrhagiae**, praeter usum internum remediorum antisepticorum et roborantium, externis quoque egent adminiculis, queis funestae exinanitionis sequelae avertantur. Profluvia sanguinis e naribus, utero, et intestino recto sistuntur fomentis frigidis; injectionib^{es} ex decocto chiae, solutione aluminis, vel acido vitriolico aqua diluto; pessis et turundis, quae ex linteo carpto conficiuntur, mox dictis liquidis adstringentibus imbuuntur, atque ostiis cruentem eructantibus admoventur. In casu haemoptyseos, haematemeseos, vel haematuriae, fomenta frigida pectori, epigastrio, vel regioni renali superimponuntur; intus vero bellaria glacie condita, et adstringentia fortiora, uti alumen, vel extractum fructuum Arecae Catechu propinuantur.

1002. **Alvi fluxus**, a corruptis in fistula cibaria materiebus fotus, quem in finem vel eccoprotica acidula, vel tinctura rhei seligenda erunt. — Aliter autem sentiendum est de iis fluxibus, qui ex universali ortum ducunt debilitate, humorumque pansorum conditione. Ejusmodi in casu unica salus in remediis aromaticis, amaris, et adstringentibus habebitur, quibus tamen libenter mucilaginosas addimus substantias, defectum lubrificantis muci intestinalis quodammodo resarcientes. Prae aliis visceralibus ac tonicis arrident mentha piperita, radix columbo, cortex simaru-

bae, alumem, et radix arnicac, a Stollio impri-
mis commendata. Eadem remedia etiam clysterum.
forma immissa praestant. Pertinaciore in casu ad
opium, refractis radicis ipecacuanhae dosibus nup-
tum, confugere licebit.

1005. Meteorismo, ex aëris putris comple-
xu, quo intestinorum tractus obruitur, oriundo,
medemur frictionibus siccis, vel litibus aromati-
cis super abdomen, clysteribus camphoratis, vel
cum aceto confectis; et si haec incassum tentata
fuerint, in modis desperatis ad aquam gelidam
cum aceto, aut glaciem abdomini inflato super-
habendam confugimus. Qui ex aëre mephitico, in-
tra ventris caveam extricato originem trahit me-
teorismus, omnem excludit medelam.

1004. Decubitus (*ἐκτρίμματα Hippocratis*, quod excoriationes, seu intertrigines signifi-
cat) molestissimum aegris non solum, sed etiam
summe periculosum sistit febrium putridarum co-
mitem; quem pro viribus antevertere oportet so-
lerti munditiei cultu; linteorum permutatione cre-
bra; pulvinari e pilis caudae equinae confecto;
paenulis; linteo, vel serico cera obducto; lecto
aequabiliter strato, ac saepius perlando; posi-
tione aegri frequenter variata. Nonnulli dolio, aqua
frigida repleto, et febricitantis lecto subgesto, de-
cubitum arceri posse perhibent. Loca prominen-
tiora corporis, quae decumbendo facilius conte-
runtur et inflammantur, ut regio sacralis, coxae
et scapulæ, aqua aut lacte crebrius lavanda, vel

etiam, aliorum consilio, unguento, e camphora et butyro recenti conflato, illinienda erunt. Quamprimum citatae partes levem ruborem et dolorem manifestant, emplastro diachyli simplici, aut linimento, ex albumine ovi et spiritu vini composito, (suadente H a e n i o) obtegantur, oportet; pariter convenit eas aliquoties in die aqua vulneraria, aut vegeto-minerali abluere. Oborta vero jam ulcera, vel sphacelus ipse unguento camphorato cum myrrha, atque fomentis antisepticis ex decocto corticis chiae, quercus, salicis, vel infuso ruta cum aceto aromatico et similibus eget. In casu gangraenae humidae cum copiosa ichoris secretione pulverem corticis peruviani, florumque chamomillae carboni mixtum, bis de die inspergendum, egregie convenire experti sumus.

Kerstens, Program. de gangraena a decubitu optimaque eam praecavendi et depellendi methodo. Kil. 1776.

1005. Regiminis diaethetici maximam esse utilitatem ad salutem in febribus putridis tanto securius restituendam, jam inde intelligitur, quod pravae qualitates, vel penuria incitamentorum vitalium, quae apud veteres inepto sex rerum non naturalium nomine insigniri solebant, principes morbi causas suppeditant. — Aëris puritas, diligens perflatio, suffimigia oxymuriatica ad mentem Cel. Guyton-Morveaux instituta, temperies moderata ad frigidiusculam potius accedens; victus parcus, digestu facilis, nutriendis, vegetabilis; potus acidus aut vinosus; animi plerum-

que desperabundi exhilaratio ; sunt momenta praecipua , quae medici adtentionem merentur.

1006. Quodsi aeger e febris putridae ambiguus casu feliciter convaluerit, longiori plurimum indiget tempore, donec pristinam recuperet functionum integratatem ; non raro vespertina per multis dies exercetur febricula, solo corticis peruviani, aliorumque roborantium remediorum usu protracto , fuganda.

1007. Ubi septorrhepyra e generali quodam fonte malefico , epidemico aut endemico scaturit, talemque malignitatis et frequentiae gradum adtigit, ut evoluti fomitis contagiosi gratia diffusonis metum incutiat, cuncta illa imploranda erunt praesidia prophylactica, quibus universim morbos contagiosos in origine suffocare, jam jam evolutos profligare, ac ulteriorem disseminationem coercere solemus.

Kieser, Vorbauungs- und Verhaltungsregeln bey ansteckenden Faulfeuer-Epidemien. Jena 1813.

B. FEBRES PUTRIDAE COMITATAE.

INFLAMMATIONES SEPTICAE ET SEPSES LOCALES.

1008. Febres putridas comitatas eas dicimus, quae, praeter generales septicac diatheses notas, topica organi cujusdam inflammatione, aut putredine stipantur, talique pacto á febribus complicatis, quibus alienus adhaeret character febrilis, gastricus, bilius, inflammatiorius, nervosus, essentialiter discrepant.

1009. **T**opicæ phlogoses, quæ cum febri putrida in consortio decurrunt, in gratiam prevalentis septorrhæpsiae proprium sibi vindicant characterem, ac ideo septicarum nomine veniunt. Quandoque febrilibus destituuntur turbis, et mox vitium mere topicum, mox comitem cachexiae scorbuticae sistunt. Jam generalia, quæ cuivis inflammationi competit, symptomata notabiles offerunt differentias; rubor enim puniceus, vel atro-purpureus in lividum vergit colorem; tumor non est insignis, ac plerumque mollior; calor mordax; dolor exiguus aut nullus. Essentiale vero discriminem ponit eminens nisus in exulcerationem saniosam et gangraenam, quae haud raro primis jam diebus suboriuntur, celerique passu ad contiguas serpunt partes.

1010. **L**icet genesis sphaceli et sepseos localis plerumque praecedenti cuidam processui phlogistico, quandoque tamen adeo præcipitanter et dolose ingredienti, ut medici attentionem effugiat, adscribi debeat; nihil tamen obstat, quominus etiam primitiva ejus admittatur origo, sive proxima causa in viribus nervosis derepente pessundatis, sive in passiva humorum circulantium stagnatione, aliisve circumstantiis ad vitam necessariis ante tempus sublatis (v. g. cessante vasorum flexilitate et elasticitate, cuius loco ossea subintrat parietum exallaxis) delitescat.

1011. **O**riginem phlogoseos septicae triplici illustramus ratione: 1) Vel enim sub decursu in-

flammationis qualiscunque tales concurrunt injuriae, quae processum plasticum in toto organismo, aut in parte adfecta ita alterant, ut putredini proximus emergat status; 2) vel in aegris scorbuto, aut febre putrida afflictatis mediante accesu alicujus potentiae irritantis, inflammatio localis generatur, quae latentis dyscrasiae causa septicum contrahit characterem; 3) vel denique phlogosis topica e talibus proficiscitur causis, quae eodem tempore, quo reactiones vitales ad altiorem intendunt gradum, jam germen et propensionem ad processum liquationis ponunt, ut miasmata contagiosa, venena diversa, mercurialia etc.

1012. Quaevis phlogosis, dum in gangraenam vergit, ideam de processu inflammatorio - septico conciliat, cuius igitur tot in praxi habentur formae, quot existunt inflammationum localium species. Inter potiores recenseri merentur: peripneumonia putrida, enteritis septica, metritis septica, sive febris puerperalis cum uteri putrescentia, et erysipelas malignum, quarum fusiori expositioni tamen libenter supersedemus, quatenus necessariam mentionem diversis locis subjungere non omisimus, ubi febrium inflammatoriarum comitarum exitus et anomalias adtingere occasio fuit. Quapropter nostram attentionem in praesenti capite ad illas tantum limitamus phlogoseos septicae, et localis sepseos species, quae proprias summeque malignas morborum hujus generis praec-

bent formas, recentiori tamen aevo clarius descriptas, et scrupulosius distinctas. Huc refertur:
 1) Stomacace. 2) Angina maligna. 3) Anthrax. 4) Gangraena nosocomialis.
 5) Necrosis sicca.

1. STOMACACE.

Ammann, Diss. de stomachace, seu scorbuto oris. Lipsiae 1681.

Eyselius, Diss. de nomis. Erf. 1701.

Plouquet, Diss. de cheilocace. Tub. 1794.

Michaelis, über die Mundfäule bey Kindern. In **Hufeland's** und **Himly's Journal**. 1809. Janu. 107.

Mende, über die Mundfäule in den Jahren 1806—1809. In **Hufeland's** und **Himly's Journ.** 1809. October 24.

Siebert, über den Wasserkrebs der Lippen. In **Hufeland's Journal**. 1818. December 74.

Henke, Handbuch zur Erkenntniss der Kinderkrankheiten. 2. B. S. 258.

1013. **Stomacacie** (Mundfäule) duas statuimus varietates, quarum prima, Ulitis septica in phlogosi gingivarum, ad liquationem nitente, consistit, quae diversa celeritate in aphthas sordidas, vel ichorosas exulcerationes degenerat, insignis ardoris sensu, halitu graveolente, facilis sanguinis atri secessu, saliva profluvio, ac levitumore glandularum vicinarum stipatas, comite persaepe febri, ultra gingivas tamen non extenditur, et vix unquam in scorbutum generalem transit; — altera vero ulcus constituit gangrenosum, quod gingivas, labia, et genas, teneriorum praesertim infantum, depascitur, ac ideo medicis **Noma** seu **Cheilocace** audit. Qui-

busdam antiquioribus Labro sulcium compellatur, ob labiorum tumorem durum, sulcis saniie madentibus intersectum. Cel. van Svieten eundem morbum nomine *gangraenae oris interni* exacte descriptis (1). — In Belgio, ubi Cheilocace scorbuticum frequentem esse morbum referunt, Waterkanker vocari solet, quod idem ac *Cancer aquaticus* (Germ. *Wasserkrebs*) significat, quia cancri instar exedit omnia, atque jugi stipatur tenuis saliva fluore.

(1) Comment. in Aphorism. Boerhaavii. §.451.

1014. Praeviis per octo, vel quatuordecim dies morositate, agrypnia, pigritia ad motum, anorexia, siti, diarrhoea, inquietudine summa, vagitu, vel et transitorio extremitatum oedemate, nascitur in buccarum interiori parte, gingivis, labiis, lingua, levis rubedo parum dolens, est insignis per totam oris caveam calor. Paulo post in quodam dictarum partium loco, praesertim in medio buccae alterutrius, vel ad internam labiorum paginam album adparet stigma, ruberrimus, ac dolentibus marginibus cinctum. Profundius demum exeditur ille locus, atque totum illud album, quod nil est, nisi eschara gangraenosa, cadit; relicta plaga celeri passu latescit non solum, sed etiam ad subjecta strata partium mollium serpendo, eaque depascendo, exteriora versus penetrat. Gena lateris affecti in urentem, splendidum, rubrum, ac dolentem elevatur tumorem, qui glandulis salivalibus et lymphaticis in-

consortium tractis infra mandibulas extenditur; lingua et labia pari intumescunt ratione. In eadem regione, cui intus cacoëthes respondet ulcus, macula emicat nigra, aut vesicula livida, sanioso scatens liquore, celeriter in sphacelosam crustam dilatata, qua decidua perfossum protinus adparet buccae septum. Simul tunc putridissimus halitus ex ore emanat, adeo quidem teter, ut ferri nequeat, ac, pertinaciter anfractibus organi olfactus adhaerens, per plures horas impressus maneat, nauseamque moveat; saliva tenuis, acris, et oolidissimae insignis copia e foedo ore, nec non e fenestra buccae perforatae profluit; vaccilant dentes; gingivae sub minimo adtritu sanguinem plorant.

1015. Unacum illis molestiis localibus febris ardens cum pulsibus frequentissimis et parvis misellos dire exercet; praecipitanter labescunt vires, colliquativa suboriuntur profluvia, epistaxis, sudores, diarrhoea. In casu mali neglecti, aut perverse tractati utrumque labrum sphacelo consumitur, cadunt dentes, qui jam prodierunt, vel et futurorum rudimenta in alveolis latentia, imo ipsa mandibula ossea eroditur, donec mors tantis malis finem imponat, horridumque monstrum, vivo putrescens corpore, e medio tollat sub consuetis summae colliquationis phaenomenis.

1016. Causis nomatis scorbutici accensentur: habitacula humida, subterranea, in quibus plurimum hominum cohabitantium, atque neglecti

perslatus gratia diversae mephitum species generantur; victus inopia et qualitas prava, miseria, aerumnae domesticae, unde pauperum morbus esse consuevit; vicinia aquarum stagnantium et paludum; scarlatina maligna, typhus putridus, et aphthae adversis avibus decurrentes; fomites virulenti et miasmata contagiosa epizooticis percedum morbis extricata, ac incauto commercio homini communicata. Infantes universim huic malo magis, quam adulti, obnoxii esse solent, ac difficilius evadunt.

1017. Si levior morbus fuerit, et incipiens tantum, sal ammoniacus, aut nitrum multa aquae copia dilutum, addito pauculo aceti, vel succi citri, innuente S v i e t e n i o , efficacissima praebent remedia, si os iis crebrius colluatur. Evoluto jam jam sphacelo, acidum salis cum rosarum melle commixtum, ac penicilli ope partibus putrescentibus illinitum, p r a e aliis prodest. Incassum tamen tentabunt topica cujusvis generis auxilia, qui internis medicamentis septicam simul corrigerere diathesin negligunt; quapropter ad valentissimas substantias antisepticas et cardiacas confugere necesse est, quae inter cortex peruvianus, acidum sulfuricum et camphora semper suam defendunt praestantiam. — Cel. H e i m emeticorum, et M e n d e catharticorum refrigerantium usum proponunt, quorum tamen efficacia in illis tantum vindicari posset casibus, ubi manifesta sordium gastricarum colluvies septicam diathesin fore vere juvat.

2. ANGINA MALIGNA.

Johnston, Treatise of the malignant angine, or putrid and ulcerous sore— throat etc. Worcester 1779.

Rowley, Abhandl. über die bösartige Halsentzündung, oder fäulende Bräune. Breslau 1789.

Dangers, Diss. in malignae anginae aetiologyam, eique convenientem medendi methodum inquirens. Goett. 1792.

1018. Ordiente seculo decimo septimo inauditus primum morbus, angina utpote maligna, sive gangraenosa (Germ. Brandige Bräune, Engl. Ulcerous sore-throat), medicorum adattentionem merito concitavit — Quamvis Marcus Antonius Alaymus Panormitanus (1), ac seniori aevo Meadius et Svietenius ulcera syriaca vel aegyptiaca, quorum Aretaeus (2) et Aëtius (3) meminit, huc trahere voluerint; eximius tamen Sprengelius (4), desiderans in veterum monumentis peculiaria hujus morbi symptomata, ulceraque syriaca Aretaei potius aphthas declarans, prima vestigia anginae gangraenosae Annis 1610 — 1620 Neapoli tunc et Compluti epidemice grassantis, ad a Francisco Nola (5) omnium primo descriptae invenit. Inter praecipuos auctores, qui ab illo inde tempore anginam hancce summe perniciosam in Hispania, Anglia, Italia et Gallia populariter dominantem observarunt, atque egregias ejus monographias publici juris fecerunt, notari merentur, Sgambati (1620) (6), Marc. Aur. Severinus (1724) (7), Fothergill (1747 — 1751) (8), Huxham (1752) (9), et Cullen (10).

- (1) Discorso intorno alla preservazione del morbo contagioso e mortale che regna in Palermo. Palermo 1625.
- (2) Causs. acutor. Lib. I. Cap. 9. p. 40.
- (3) Tetrabibl. II. Serm. 4. Cap. 46. Col. 397.
- (4) Pragmat. Geschichte der Arzneykunde. V. B. S. 427.
- (5) De epidemica phlegmone anginosa, grassante Neapoli. Venet. 1610.
- (6) De pestilenti faucium affectu, Neapoli saeviente, opusculum. Neap. 1620.
- (7) De recondita abscessuum natura. Lugd. Bat. 1724. p. 515.
- (8) An account of the sore—throat, attended with ulceres. Lond. 1751.
- (9) Opera physico-medica. Lips. 1764. Tom. III. p. 92.
- (10) Anfangsgründe der pract. Arzneywissenschaft. Leipz. 1800. 1. B. S. 351.

1019. Incipit semper cum insigni debilitate, moestitia, capitis gravedine et dolore, anxietate, pectoris oppressione, ac horrore, quibus illico consueta symptomata febrilia, molestiaeque anginosae succedunt. Interdum statim ab initio aliqua tussis arida, raucedo, vomitus et alvi dejectiones, praesertim in infantibus observantur, pulsibus iaterim celeribus, parvis et tremulis.—Aegri subito de faucium dolore, et difficii deglutitione conqueruntur. Rubor per totam oris caveam, per tonsillas, uvulam, palatum, ipsamque faciem buccarum internam undique diffusus, colore saturatius fusco insignis adparet, omni fere tumoris vestigio expers, ac ideo erysipelatis aemulus. Oculi quasi cruenti sunt et lacrymosi, lingua humida, ad radicem sordida; sitis non multa, neque sub ingravescente ad vesperas aestu augetur.

1020. Altero aut tertio die in tonsillis et uvula

maculae albidae, discolores et cinerascentes comparent, margine rubro aut livido cinctae, quae saepe citissime dilatantur, inter se confluunt, ac unam vel utrasque tonsillas obtegunt. Secedentibus serius ocyusve escharis gangraenosis ulcerosa in conspectum venit plaga, quae saniem putridam, foetidissimam plorat. Funesta liquatio vicinas avide exedit, ac cito diruit partes, unde fit, ut aegri membranarum emortuarum ampla expuant fragmenta. Interim tonsillae volumine crescunt; inflantur parotides et glandulae maxillares, inquietudo et anxietas non minus, quam deglutiendi difficultas ingravescunt; halitus teterimus cadaverosum redolet putorem; respiratio redditur difficilis, cui stertor et peculiare sibili genus accedit, ita, ut peritiores medici ex hujusmodi sonitu miro jam morbum dignoscere posse adfirment; sopor cum taciturno libenter alternat delirio. Dum ad se redit aeger, vel expergiscitur, immanes eum torquent angores, et strangulatio colli, ac si laqueo cinctum foret, omni momento suffocationem minitans; quod palmarium symptoma procul dubio nomini Garrotillo, quo hispani Franc. Perez Cascales (1) et J. Alfoncus Fontecha (2), atque monstrangulatorii, quo Aetius Cletus Signini (3), Romanus, morbum insigniverunt, occasionem praebuit.

(1) De morbo Garrotillo appellato. Madr. 1611.

(2) De angina et Garrotillo puerorum. Complut. 1611.

(3) De morbo strangulatorio. Romae 1636.

1021. Circa quintam diem jam omnis partium adfectarum superficies in saniem tetram solvitur, quae, dum choanas narium arrodit, sternutationem et ozaenam foetidam, dum ad laryngem depluit, tussim suffocativam; dum deglutitur, vomitum, excoriationem intestinorum, vehementia tormina, meteorismum et dysenteriam producere solet. Sanguis e vena detractus sero abundat flavidus, cruentus habet gelatinosum et viscidum; quandoque tamen in mali principio crustam phlogisticam efformat. Cutis est sicca, calida, et aspera; urina pallida, tenuis, cruda, pulsus exiliissimi, myuri, aut vermiculares, nunc celeres, nunc etiam tardi; habitus corporis leucophlegmaticus. Ulceribus, phagedaenicorum voracitate, ulterius diffusis, viribusque in dies magis deficienibus, aegri tandem sub soporis et resolutionis universalis periculis immoriuntur, vel miserrime suffocantur, antequam adhuc primum cyclum morbi septenarium compleant. Si vero in casu feliciori ulcerata fines servant, et ab exedendo desistunt, saniei loco pus melius reddunt, crustas atras lividasque separant, laetam ad fundum adipiscuntur rubedinem, sensimque diminuuntur, donec omnino consanescant.

1022. Plerumque fere anginam gangraenosam malignam **e x a n t h e m a**, scarlatinae simillimum, comitatur, vel plane etiam praegreditur. Efflorescent, testante Huxhamo, mox maculae ampleae, coloris profunde ignei, vel rubri inprimis

in pectore et brachiis, mox pustulae parvae et pruriētes, quae melius tactu, quam visu percipi possunt, et in cute mirum efficiunt scabritie genus. Post morbum inclinatum summa cutis pellicula per amplas saepe plagas desquamari, et in furfures abire solet, quod phaenomenon etiam in quibusdam casibus, ubi nullum adparuit exanthematis vestigium, observatum fuit. Hanc observationem multi artis medicae professores anginam gangraenosam semper scarlatinam anomalam, et occultam declarare non haesitarunt, quam quidem sententiam ad omnes extendere causus non auderemus. Novimus quidem scarlatinae exanthema saepe saepius adeo obsoletum esse, vel dolose sub cute latitare, ut comes angina principem ludat scenam, atque pro morbi vehementia et malignitatis vario gradu nunc anginae benignioris, nunc perfidioris fucum induat. Obvenit tamen in Galliae et Angliae locis humidis cynanche maligna idiopathica, quae absque ulla exanthematis suspicione decurrit, et cujus exempla nos pariter in Austria non minus, quam in Polonia observanda habuimus, propriam hodieque lugentes hacce terribili clade in tenerrima aetate extinctam sororculam.

1023. De causis nihil subjungendum restat, quum angina gangraenosa eosdem cum febre putrida, aliisque malis scorbuticis fontes agnoscat, maxime aërem paludosum et pluvium. In Archipelagi insulis endemicum esse morbum Tou-

nec fortius testatur. Non displicuit Cel. Gran-
tio (1) originem ejus ex miasmate proprio expli-
care, quae quidem opinio rationalibus sepedo-
geneseos paeceptis nullatenus adversatur.

(1) Grant, von Fiebern. S. 518—886.

1024. *Praesagium* eventus futuri semper summe ambiguum evadit, maxime in teneris infantibus, qui ex more gravius decumbunt, ac citius enecantur. Rarissima salus erit exspectanda, si primis diebus, maculis gangraenosis tonsillarum nondum exulceratis, urina copiosa mittitur cum sedimento farinoso, si gangraenae expansio praecipiti progrederitur passu, et si graviores spirandi difficultates absque induciis urgent.

1025. *Ratio medendi* ab illa febris putridae eo tantum differt, quod localis simul requiratur tractatio. In mali principio quandoque venaesectio, vel applicatio hirudinum ad collum debitum cautelis directa, atque usus refrigerantium acidulorum prodesse omnino poterit; cicurata enim phlogoseos vehementia etiam gangraenosi processus saepe minuitur impetus. Quam pri-
num vero vel minima irruentis debilitatis et septorrhepsiae indicia adparent, illico ad apparatus antisepticum confugiendum. *Fothergillii* et *Huxhami* consilio acidum sulfuricum, cortex peruvianus, camphora, et myrrhae extractum usui interno optime inserviant.— *Mercurius dulcis*, quem *Baylie* et *Michaelis* ad ptyalis-
mum usque continuatum commendarunt (1), ra-

tionalis therapiæ principiis nullatenus respondet, ac ideo ambiguum in cunctis morbis putridis remedium sistere nobis videtur.

(1) Richter's chirurg. Bibliothek. Th. V. S. 757.

1026. Usui externo inserviant colutoria et gargarismata ex iisdem substantiis medicatis conflata, quae contra noma septicum proposuimus, et quibus pariter fauces siphonis ope elui, vel penicillo exceptis illiniri possent. Praeprimis autem acidum muriaticum oxygenatum aquae portione æquali dilutum commendationem meretur; ab aliis decoctum pectorale cum infuso contrajervae, aceto, tinctura myrrhae et melle depurato proponitur. Usus lapidis infernalis, ab audacioribus medicis eum in finem tentati, ut ultiores depascentis ulceris gressus coercentur, maxima eget circumspectione. Margines ulcerum acido muriatico caute illiniendo eundem scopum securius adtingimus.

3. ANTHRAX SEPTICUS SIVE PUSTULA MALIGNA.

Tosi, Tractatus de anthrace seu carbunculo. Ven. 1618.

Tomasin, Diss. sur le charbon malin de Bourgogne, ou la pustule maligne. Dijon 1780.

Eneaux et Chaussier, Méthode de traiter les morsures des animaux enragés et de la vipère, suivie d'un précis sur la pustule maligne. Dijon 1785.

Gerardin, Diss. sur la pustule maligne. Paris 1806.

1027. Anthrax, Carbo, Carbunculus, Pustula maligna (Germ. Carbunkel, Car-funkel, Brandbeule, schwarze Blat-

ter) dicitur tumor inflammatorius, circumscriptus, mediotenus plerumque in apicem elevatus, phlyctaenis decoloribus insignitus, acerbo dolore et ardente calore comitatus, ac si pruna parti inesset, qui sedem in cute externa et subjecta tela cellulari figit, ac celerrimo passu in gangraenosam atro-lividam convertitur escharam. Dum palpebras infestat, nonnullis speciali nomine Anthracosis insignitur, cuius aequa ac priorum significatio vel ab unctionis sensu, vel, ut alii credunt, a tumoris colore nigricante desumitur.

1028. Tres praecipuas in praxi distinguere licet anthracis species. 1) Anthracem benignum (1), non contagiosum, sporadicum, idiopathicum, qui vel e simplici phlegmone, vel e congerie plurium furunculorum confluentium in sphacelum abeunte nascitur; favente in primis particulari subjecti dispositione, obesitate, immundicie, et protracto thermarum sulfurearum usu (Tom. III. §. 24). — 2) Anthracem pestilentiale, typhi orientalis fidelem comitem. — 3) Anthracem septicum, seu malignum nat' $\epsilon\xi\sigma\chi\eta\nu$ ita dictum, e fomite quodam deleterio animali, veneno aut viro putrido animalium homini communicato oriundum, qui solus hic loci nostrae disquisitionis objectum praebet.

(1) Buecking, der gutartige Karbunkel und dessen med. chirurg. Behandlung. Stendal 1786.

1029. Anthrax septicus incipit a stigmate atro, in quadam superficie corporis parte improviso

ac repente comparente, duriusculo, quod leviter prurit, inflammatorio halone cingitur, ac primo adspectu facile spina aut insecti aculeus infixus haberi potest. Dolosa illudens benignitate primitivum stigma rapido passu dilatatur, atque circa circum inflammatorius exsurgit tumor, erysipelati haud absimilis, rubore tamen magis livido notatus, in eujus superficie phlyctenae, aut bullae efflorescunt liquore acri, ichoroso, aut cruento farctae, quorum gratia morbus etiam pustula maligna vocatur. Rarioribus tantum in casibus, a Cel. Davy la Chevrie descriptis, plaga gangraenosa collapsa potius, quam tumida adparet; quare eximus Pinel duas statuit pustulae malignae varietates, depressam videlicet et prominentem.

1030. Secedente juxta margines eschara, malignae subintrat suppurationis processus, qui non solum partem primitus affectam depascit, sed etiam ad vicina loca serpendo propagatur. Dum faciem occupat, horridam quandoque producere visus est devastationem, cuius specimen tetur, totius quippe vultus in foedam escharam gangraenosam conversi, a Schillingio⁽¹⁾ relatum et effectum illi prorsus simile est, quod ipsimet nuper Ticini observandum habuimus. Glandulae lymphaticae quam proximae, nunc axillares, nunc inguinales persaepe intumescunt, et valdopere dolent. Febris comes, quae jam primis evolvitur diebus, omnes notas typhi putridi praesefert, ac

plerumque intra hebdomadis spatium sub maximo angore, delirio, vomitu, doloribus ventris acutis, sudoribus colliquativis, leipothymiis ac intolabili foetore cadaveroso aegros interimit. Interdum vero malum tantam contrahit malignitatem, ut intra biduum jam inevitabilis sequatur mors.

- (1) Merkwürdige Krankheitsgeschichte einer, wahrscheinlich durch Uebertragung eines thierischen Giftes erzeugten, Brandrose. In Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde. XI. B. 1821. S. 480.

1031. Haecce summe periculosa phlogoseos septicae forma in homine vix unquam primaria esse consuescit, sed plurimum a fomite virulento, qualis in epizootiis septicis, et speciatim in febris anthracicis pecudum generatur, homini incaute communicato ac veluti casu insito originem dicit (1). *Gangraena splenica* (Milzbrand), vulgo ita dicta, et *Glossanthrax* (Zungenkrebs) pecudum cornigerorum; *Stomacace* (Rankkorn) et *Angina carbuncularis* (Bräune) scrofarum; *Ozaena* demum maligna equorum ($\mu\alpha\lambda\iota\varsigma$, *Absyrti*, Rotz) praecipuas sistunt morborum contagioso-septicorum species, quae adeo acre et funestum generant virus, ut non solum immediata contrectatio animalium et suppellectilium infectorum, praesertim si locus pollutus epidermide privus fuerit, verum etiam ipse esus carnis victimarum, simili labe extinctarum (2), nisi diurna prius coctione insons reddatur (3), in homine anthraces summe

malignos producat. Ejusmodi infectioni p^raet aliis obnoxii sunt veterinarii, lanii, coriarii, pastores, vel qui pecorum morticinorum pelles detrahunt. Etiam per insecta, et maxime per muscas, quae peculiari instinctu in foetidas et putrescentes ferruntur materies, pessimum illud virus anthracicum transplantari et inoculari posse, quemadmodum jam Chopart (4) et Mathy (5) suspiciati sunt, non pridem compertum habuimus. — Inest demum adhuc quibusdam venenis animalibus, maxime illis serpentum, similes anthraces producendi virtus. (§. 893).

- (1) Asclepiion, oder allgemeines Wochenblatt für alle Theile der Heilkunde etc. Berlin 1811. Januar. Nr. 2. — Ueber Milzbrandkarbunkel beym Menschen. In Kopp's Jahrbüchern der Staatsärzneyk. B. VI.
- (2) Enaux et Chaussier, Oper cit. p. 176.
- (3) Gilbert, Recherches sur la cause des maladies charboneuses, p. 28.
- (4) Médecine éclarée par les sciences physiques.
- (5) Mathy, Briefe über Gegenstände der Therapie. Berlin 1801. S. 176.

1032. Principales indicationes therapeuticae eo nituntur, ut processus septicus localis destruatur, ejus progressio ad partes viinas arceatur, atque generalis dyscrasiae evolutio impediatur, quibus sequentia respondent adminicula: 1) scarificationes; corrosio partis per caustica, butyrum antimonii, acidum salis concentratum; adustio ope ferri candardis; quae tamen nonnisi in morbi primis initiis aliquid pollicentur. — 2) Externa adplicatio remediorum an-

tisepticorum, uti essent fomentationes e decocto chiae et spiritu camphorato; ex acido salis diluto, solutione aluminis spirituosa; unguentum digestivum cum myrrha; illinitio marginum ope spiritus terebinthinae. — 4) Internus usus acidorum vegetabilium vel mineralium, corticis peruviani, aetheris vitriolici, camphorae, opii, et vini generosi.— In casu complicationis gastricae emeticum exhibeat, dummodo nimius virium languor non repugnet.

4. GANGRAENA NOSOCOMIALIS.

Dussaussoy, Dissertations et observations sur la gangrène des hôpitaux etc. Lyon 1781.

Aubry, Diss. sur la complications des plaies et ulcères connue sous le nom de pourriture d'hôpital. Paris 1814.

Brugmann's et Delpech, über den Hospitalbrand. Aus dem Holländ. durch Kieser. Jena 1816.

Bernard, über den Hospitalbrand. Mainz 1815.

Werneck, Beyträge zur Kenntniss der Natur, Entstehung, Verhütung und Heilung des Hospitalbrandes. Salzb. 1820.

1033. Characteres essentiales gangraenae nosocomialis (Gall. Pourriture d'Hôpital, Germ. Hospitalbrand), quibus ab aliis speciebus sepseos localis distinguitur, sunt sequentes: 1) Oritur e proprio miasmate contagioso, quod in nosocomiis extricatur, atque unice per contactum immediatum cum parte quadam sauciata, vel exulcerata eundem morbum, cuius sobolem sistit, concitare valet. 2) Incipit semper a processu inflammatorio, quem ociter sphacelus sequitur. 3) Offert morbum potius localem; toties

enim sola externa sufficient remedia, atque interdum in eodem individuo unum tantum vulnus gangraenam concipit, dum alia consuetum suum absolvunt cursum.

1034. Apud antiquos exactae notiones gangraenae nosocomialis prorsus desiderantur. Ambrosius Pareus Anno 1562 occasione obsidionis Rotomagensis hancce cladem inter milites exercitus Caroli IX. grassantem observavit; vulnera enim sclopetaria gangraenae causa tantam sanationis difficultatem obtulisse retulit, ut obsessi glandes plumbeas veneno inquinatas fuisse crediderint. — Anno 1597 insignes morbus jam edit strages in nosocomio magno Parisiensi (Hôtel-Dieu), quod ad hodiernam usque diem, praesertim in aulis supra Sequanam sitis, ortui gangraenae valdopere obsecundare, e relationibus Cel. Desault innotuit. — Seriori aevo Pouteau et Dussaussoy, interque recentiores Brugmanns et Delpech argumento huicce illustrando plurimam navarunt operam.

1035. Decursus gangraenae nosocomiorum commode in duo dispesci potest stadia, in inflammatorium utopte et septicum, abscindendo ab accidentalibus quibusdam ejusdem morbi varietatibus, quarum potiores nomine gangraenae ulcerosae et pulposae insinuantur.

1036. Periodus phlogoseos. Dysphoria generalis, dedolatio membrorum, sapor oris depravatus, linguac sordes flavidæ, anorexia et

adipsia consuetiores esse solent prodromi, quibus mox febriles succedunt turbae, vespertinis exacerbatae horis, cum fugaci genarum rubore, pulsibusque parvis, citatis, inaequalibus. — Vulnus aut ulcus, quo aeger detinetur, valdopere dolere incipit; imminuitur secretio puris, quod sine causa patente consistentiam viscosam coloremque subluteum contrahit, veluti coctus ovorum vitellus, ac specificum spargere incipit odorem; quandoque prorsus arescit plaga; intumescunt margines, rubicundis conspersi prominentiis; in ambitu vibices comparent striarum concentricarum sub forma.

1037. Periodus sepseos. Dissipantur phaenomena conspicua inflammationis; pallescit tota vulneris; aut ulceris superficies; collahuntur margines una cum granulis prominentibus, quibus inscripti erant; dirissimus evolvitur dolor, illi prorsus similis, quem carcinoma apertum producit; sensilitas plague tali modo intenditur, ut sola ejus contrectatio convulsiones cieat; loco puris densi liquor separatur tenuis, saniosus, specificie olens, albumine privus, qui gas hydrogenes sulfuratum et gas acidum carbonicum dimitit. Dilatantur striae rubro-lividae in vulneris ambitu; succrescunt carnes fungosae, quae cito collabuntur et emoriuntur; decidunt integrae portiones integumentorum sphacelo consumptorum, totaque plaga celeri gressu in latum et profundum extenditur, ita ut intra paucos dies enormem adtingat amplitudinem. — Quo altior fuerit putredinis gra-

dus, eo citius febris irritativa comes (vulneraria) characterem putridum, vel illum febris suppuratoriae malignae contrahit, quae tandem, profluviis colliquativis et soporosis symptomatibus obortis, miseros extinguit aegros.

1038. Gangraena nosocomialis id sibi privum habet, quod p^rae aliis textum cellulosum corrodit, nervos, musculos et vasa intacta ac nuda, veluti cultro anatomico p^reparata forent, relinquendo, unde praeter superficialem corrosionem fistulae et sinus formantur, muscularum interstitia perfodientes, cum iⁿsigni artus affecti intumescentia oedematosa, pastacea, plus minusve dolenti. Maximus tamen sphaceli gradus quandoque p^raeicitatos egreditur cancellos, atque omnium primo musculos et tendines, serius vasa sanguifera, ultimo tandem nervos et ossa consumit.

1039. Prima morbi initia (localia) plerumque 20, aut 30 horis ab infectione comparere, e Brugmanni observationibus innotuit. Periodus inflammationis topicae ad paucos limitatur dies, symptomata vero generalia diversis incidunt epochis, inter quintam et decimam sextam, et quidem citius in robustis et vegetis, tardius in debilibus. Stadium septicum juxta variam partis adfæctae dignitatem, mali extensionem et vehementiam diverso durat tempore.

1040. Causam efficientem gangraenae nosocomialis largitur contagium septicum sui generis, quod sub consuetis, originariae

contagiorum genesi faventibus, circumstantiis mediante processu liuationis malignae in plagis apertis primitus extricatur, aliisque individuis communicatum eandem morbi formam producit. Potioribus momentis, quae primigenae hujus contagii evolutioni, ejusque faciliori diffusioni patrocinantur, et quorum nonnulla in ipsis individuis sauciatis, alia in atmosphaera ambiente delitescunt, adnumerari merentur: debilitas virium vitalium, praecipue febrilis; dyscrasiae variae; imprimis syphilitica et scorbutica; usus mercurialium; passiones deprimentes; nostalgia; aër inclusus et humidus; exhalationes ulcerum cancro-sorum, gangraenescientium, aegrorum dysenteria vel typho contagioso laborantium. Ideo in nosocomiis militaribus tempore bellorum, vel in illis nosocomiorum conclavebus, ubi plures syphilide affecti cumulatim tractantur, haud infrequens esse solet particularis hujus sepseos adparitio. Vulnera sclopetis illata magis proclivia esse, ab observatoribus defenditur.

1041. Fomes contagious gangraenae nosocomialis sequentes agnoscit proprietates: 1) Non nisi in vulneratis et exulceratis generatur partibus. 2) Est productum phlogoseos specificae. 3) Distinguitur odore peculiari, ab illo aliorum contagiorum diverso, qui gas hydrogeni carbonato et sulfurato proxime accedit. 4) Vehiculum materiale praebet latex purulentus, aut saniosus, quem infectum ulcus secernit, in principio adhuc albu-

mine dives, serius nulla ejus vestigia offerens, ac in utroque casu libera soda scatens. 5) Possunt tamen et effluvia gasiformia, quae ab exulcerata emanant superficie, contagioso imbui principio, atque atmosphaeram inquinare, quae tunc gas hydrogenes sulfuratum, majoremque gas acidi carbonici copiam manifestat. 6) Suppellectilibus adeo pertinaciter adhaeret, ut saepe nec perflatu, nec lotione destrui, atque, referente Pelletanio, per annos vim suam conservare possit, quapropter mediantibus fasciis, linteolis, spongiis et instrumentis chirurgicis facillime disseminatur. 7) Ichor contagiosus, si aqua commiscetur, ei specificum communicat odorem, atque putredinis processum provocat, etiamsi aëris arceatur influxus. 8) Individua, quae nullas habent plagas, huic infectioni impune resistunt. 9) Cum contagio typhoso illud gangraenae nosocomialis aliquam habet analogiam, nullatenus tamen ideticum dici potest, prouti Kerckhoffsius defendere voluit (1), localem enim tantum determinat morbum, præfinitum quemdam cyclum non excurrit, ac solis naturae viribus nunquam vincitur; neque unius morbi in alterum transitus fuit observatus, cui, posita identica causæ efficientis indole, nihil obstat. — Experimenta à Cel. Willaum et Richerand instituta (2), quibus contagiosa viri gangraenosi facultas in dubium vocari vellet, id tantum probate videntur, quod latex ille ichorosus non sub omnibus circumstantiis inficiendi vir-

tutem patefacit, ideoque tanto majori jure semi-contagiis venit adnumerandus.

- (1) Sander et Wachter, Magazyn, toegevvyd van den geheeten omvang van de Geneeskunde. Rotterd. 1816. 3. Th. 2. St.
- (2) Dictionnaire des sciences médicales. T. 45. Art. Pourriture d'Hôpital.

1042. *Aparatum therapeuticum* juxta morbi stadium, gravitatem et extensionem multifarie modificandum constituunt imprimis antiseptica, ipsi parte affectae diversis sub formis, lotionis, fomenti, unguenti etc., applicanda, speciatim : 1) Acida vegetabilia, praecipue aceticum (Hume et Rush); ab hispanis Martorell et Gonzalez succus uvarum immaturarum, a Schneidero succus gastricus ruminantium, a Ballyo acetum camphoratum laudatur. 2) Acida mineralia, quae inter acidum salis principatum tenet. 3) Carbo vegetabilis vulneri inspersus, vel cum pinguedine in unguen redactus. 4) Substantiae aromaticae et resinosae, uti myrra, terebinthina, camphora, sabina (Horn). 5) Remedia roborantia, scytodephico principio scatentia, maxime cortex chiae et quercus. 6) Inustio operi ferri carentis (Delpech), vel olei servidi. 7) Amputatio membra, si admodum vasta fuerit gangraenae extensio. 8) Quaeque demum vulneribus, sive puris, sive jam infectis, medicandis inserviunt, antequam usurpentur, vaporibus oxymuriaticis exponi (uti linteum carptum, splenia), vel solutioni dilutae Kali muriatici oxygenati

(Eau de Javelle) intingi debent (v. g. instrumenta chirurgica). — Cum ante plures annos in nosocomio Vindobonensi vix non omnes bubones exulcerati gangraenam contraxissent, nitratem argenti liquidum penicilli ope marginibus illinitum summe proficuum fuisse comperimus.

1043. Praeter haecce adminicula localia, secundum chirurgiae regulas subministranda, interna quoque requiritur cura, quam in principio remedia leniter antiphlogistica, refrigerantia, et acidula, in secundo autem stadio stimulantia, tonica et nutrientia absolvunt.

1044. Ast incassum tentabuntur omnia, nisi summa eo dirigatur sollicitudo, ut fontes contagii destruantur, ejus genesis et ulterior diffusio coercentur, quod iisdem obtinebitur praesidiis prophylacticis, quorum utilitatem et usurpandi modum jam alio loco (§. 388—418) fusius explanavimus. — Evitatio omnis contactus ichoris contagiosi, sedula atmosphaerae expurgatio, atque deletio linteorum, quae medicandis ulceribus inserviebant, principem merentur respectum.

5. NECROSIS SICCA.

Vogt, Progr. de amborum pedum gangraena. Viteb. 1803.

1045. Accidit interdum partes a circulationis centro magis remotas, uti essent nasus, auriculae, extremitatum phalanges, vel et integros artus, eum in modum emori, ut absque ullis praecedentis phlogoseos signis in speciem mumiae con-

vertantur, quem adfectum practici Necrosin (a νεκρόω, morte afficio) seu Gangraenam siccām compellant.

1046. Morbus initium capit a lassitudine universalis, stupore, vel etiam atroci dolore membris cuiusdam, sine febri, sine inflammatione; phalanges digitorum sensum et flexilitatem amittunt, frigescunt, lividum ac fere caeruleum contrahunt colorem; partes molles corrugantur, subjectis ossibus adprimuntur, et obdurescunt, quasi diu in aqua gelida stetissent. Interea pallent aegri, languent, et difficulter se movent. Lento plerumque passu sphacelus superiora versus proserpit, a digitis pedum ad metatarsum, malleolos et tibiam, a manibus ad ulnam et humerum, quae partes in principio liventes successive exsiccantur, et ita nigrascunt, ac si fumo fuissent induratae. Necrosis demum sistitur in tarso, tibia, genu etc., atque tunc linea quaedam cuditur, separans vivum a mortuo, qualis ope lapidis infernalis cudi solet. In hisce solis mali, ulterius serpere nolentis, confiniis ichor putridus et graveolens separatur, frusta partium morticinarum diversae magnitudinis, carbonis instar nigra, a vivo secedunt margine, qui nunc manifesta inflammationis praebet signa. Evolvitur sub tali rerum statu febris irritativa, quae brevi omnes refert characteris nervoso putridi notas. Quandoque malo non plus ultra progrediente, emortuae decidunt partes sine dolore, et sine ulla haemorrhagia, aegri quidem artu truncantur, sed

mutilati interdum per menses et annos vivunt; longe saepius vero terribilis cladis ferocitati succumbunt.

1047. Gelu, senectus (1), metastases febrium malignarum, praecipue typhi contagiosi (2), et metalla quaedam venenata (3) potiores sistunt prophanes, quae sub concursu circumstantiarum, nondum sufficienter cognitarum, siccum producere valent sphacelum; cui, habito originis respectu, diversa impertiuntur nomina, uti necrosis crymodes ($\chiρυμός$, gelu), senilis, metastatica, et metallica. Ubi nulla innotescit causa, necrosis spontanea dici consuevit; extispiciat defunctorum tamen docuerunt, in similibus casibus ossificationes arteriarum culpam originis grangraenae habuisse, quas non solum in senibus, sed etiam in juvenibus invenire licuit (4).

(1) Coschwitz, Diss. de sphacelo senuum. Hal. 1725.

(2) Val. v. Hildenbrand, über den ansteckenden Typhus. S. 163.

(3) Melzer, Diss. de gängraena metallica in Herimunduris. Lips. 1741.

(4) Knapp (praef. Kulmo), Diss. de tendine Achillis disrupto et arteriis in osseam substantiam degeneratis. In Halleri Disput. chirurg. T. V. p. 275.

1048. Peculiarem varietatem sistit ea, quam Sauyages necrosis ustilagineam, alii Ergotismum nuncupant, a venenata secalis cornuti (Ergot, Seigle ergoté Gallis dicti, Germ. Mutterkorn) virtute oriundam. Prima vestigia hujus morbi, eandem cum convulsione cereali (Kriebelkrankheit) scaturiginem agnoscen-

tis, quoad formam tamen, ut inter alios SAILANT (1) docuit, essentialiter differentis, Anno 1630 in Gallia observata fuere. Maxime autem ab Anno 1672, testibus PERRAULTIO, DODARTIO, NOËLIO, DUHAMELIO et MULCAILLIO (2), in agris paludosis Provinciae Soloniensis per vices epidemice grassabatur, si copiosae pluviae genesi secalis cornuti faverunt, atque annonae charitas miserrimum populum confecto inde pane uti coëgit. Plurimas demum, easque gravissimas observationes collegerunt SALERNE (1748) (3), READ (4), et THESSIER (5), e quibus innotuit, secale cornutum unicum fuisse gangraenae siccae epidemicae causam, quum etiam in animalibus artificiali produci potuerit modo.

(1) Edinb. Comment. Vol. IX. p. 161.

(2) Dictionnaire des sciences médic. Art. Ergotisme.

(3) Salerne, le seigle ergoté est-il dangereux ?

(4) Read, Traité du seigle ergoté. Strassb. 1771.

(5) Thessier, Mémoire sur les effets du seigle ergoté. — In Mémoires de la société royale de médecine. T. II. Par. 1780.

1049. **Cura gangraenae siccae secundum eadem praecepta erit suscipienda, quae medici operam in tractatione morborum septicorum generatim dirigere debent. Id solum notare oportet, corticem peruvianum juxta experientias Sharpii et Pottii in sicca necrosi multo minoris esse praestantiae, quam in aliis gangraenae speciebus; opii ex adverso et moschi usum internum, aromaticorum adplicatione locali suffultum, principem mereri laudem.**

(1) Percivall Pott's chirurg. Beobachtungen. Berl. 1776.
S. 157 et seq.

1050. In ergotismo Gallorum, sive necrosi ustilaginea, praesertim dum in principio versatur morbus, Mulcaille (1) et Tissot (2) vena-sectiones (?) proposuerunt, serius tantum ad roborantia et nervina transire suadentes. — Quod si de veneno adhuc in primis viis latitante suspicio foret, emetica et purgantia sine mora sunt adhibenda, morbi progressio nonnisi fomite nocivo eliminato infringi poterit.

(1) Mémoires de l'académie des sciences. Paris 1748. p. 528.
(2) Tissot, Oeuvres complets. Vol. VI. p. 171.

1051. Si naturam causarum producentium, symptomata nullum phlogoseos indicium praebentia, atque eminentem remediorum nervinorum efficaciam perpendimus, conjecturare licet, proximam gangraenae siccae causam in exhausta vita nervosa partis cuiusdam latere, mortemque localem e nervis potius, quam e vasis sanguiferis et nutrientibus proficiisci, unde quoad pathogeniam specialem notabilis vigore videtur inter sepses communes et necrosin siccam discrepantia.

GENUS III.

FEBRUM CONTINUARUM

FEBRÉS CHARACTERE NERVOSO.

Ploquet, Diss. de febribus nervicis. Tubing. 1788.

Petersen, Diss. de febris nervosae natura et origine. Jen. 1796.

Herz, Beobachtungen über die Nervenfieber. Heidelb. 1796.

Hufeland, Bejnerkungen über die Nervenfieber etc. Berlin 1807.

Val. ab Hildenbrand, Nonnulla de febribus nervosis. —

Vide ejusdem ratio medendi in schol. pract. Vindobonenſi.

Part. I. p. 33, et Part. II. p. 205. Viennae 1809—1815.

NOTIONES GENERALES.

1052. Quamvis febres, quas hodie passim nervosas nuncupant, nomine minus latine sonanti, et, ni fallimur, a Thom. Willilio (1661) omnium primo introducto, jam antiquissimis inde temporibus cognitae et observatae fuerint; adeo vaga tamen earum habebatur significatio, adeoque inconstans et arbitraria denominatio, ut maxima necessario enasci debuerit confusio, quam tamen moderno aevo, medicinam philosophicam, et physiologiae fundamentis superstructam docenti, dissipatum iri sperare licet.

1053. Febris continua continens, febris putrida et maligna, synochus, typhus, febris adynamica, asthenica, totidem sunt synonymac, vel potius heteronymae

voces, quibus diversi auctores eundem, quoad indolem, morbum designare voluerant, quarum vero nullam rei exacte exprimendae idoneam esse, e febris nervosae definitione patebit. — Ipsae febres pestilentiales saeculo decimo sexto grassantes, febris phlegmatica Arabum, febris purpurata et petechialis Coytari et Roboreti, febris catarrhalis maligna Fr. Hoffmanni, febris verminosa Boschii, febris maligna Stollii et Aeplii, quarum plurimae cum typho contagioso identicae sunt, aliquo intuitu ad febres nervosas spectant, harumque varietates efficiunt a constitutione populari, vel contagiosa indole modificatas. — Promiscuo autem hocce diversissimum nominum usu, ac neglectis, quae singulos significatus circumcidere debent, discriminibus non minus, quam nimia epitheto nervosae utendi facilitate pyretologiae illatum est chaos, ita ut nec Burserio, nec S. G. Vogelio, viris caeterum acutissimis, successerit Gordium solvere nodum. — Doctrina Brownii, ejusque commentatorum, licet non omnes expleverit lacunas, ad exactiorem cognitionem morborum dynamicorum proinde et febrium nervosarum haud mediocrem contulit symbolam.

1054. *Febris nervosa*, rectius *febris charactere nervoso*, sive *nevropathica* dicenda, ea nobis est, quae cum eminenti passione systematis nervosi, seu sensitivi, et specia-

tim ejus sphaerae altioris, animalem vitam gubernantis, incedit. — Qualiscunque alius conceptus cum febris nervosae nomine conjungeretur, mere arbitrarius foret, ideoque si non logices, saltem grammatices principiis contrarius. — In definitio ne febris nervosae, affectionem eminentem systematis nervosi sublimioris, sphaerae utpote cerebralis et medullaris complexi sumus; infima enim provincia, quam gangliarem vocant, in nullo febrium genere illibata est, imo quivis sine distinctione processus febrilis primum focum in sphaera gangliari, seu in sphaera sensitiva vitae organicae agnoscit, quod variae coenaesthesiae et motus organici automatici laesiones, ad essentiam febris spectantes, uti languor, dedolatio, sitis, nausea, inquietudo, dysphoria, sensus frigoris et caloris adparentis etc., abunde testantur.

1055. Scimus quidem in plerisque febribus passim nervosis dictis, reale virium nervosarum robur diversimode infractum esse; non desunt tamen casus febrium, in quibus efficientia nervosa e contrario praeter normam incitata, vel saltem in liberis actionibus impedita et suppressa adparet; dantur ergo febres nervosae (strictiori vocis sensu cum Sprengelio ita dicendae), quae non sunt asthenicae. Itidem variae occurunt pyrexiarum species cum manifesto virium languore, quin tamen sistema nerveum eminenter patiatur, uti v.g. hecticae; ergo febres asthenicae, quae non sunt nervosae. Quare neque debilitas virium realis es-

sentialem febrium nervosarum characterem constituit, neque febris nervosa et asthenica seu synonyma considerari possunt.

1056. Nemo inficias ibit, physiologicam functionum et systematum organicorum partitionem tutissimam ac summe rationalem praebere pro coordinandis aegritudinibus cardinem, cui innixa trinam jam alibi febrium ad organismum stabilivimus relationem, prouti nempe vel sistema irritabile, vel nervosum, vel reproductivum eminentiores patefacit turbas; intima enim organorum textura, viriumque organicarum informatio diversa metamorphoses morbosas specifica modificat ratione, ideoque essentialem determinat morbi characterem. Ast nondum sufficit novisse, quale sistema organicum eminenter patiatur; — medici practici plurimum interest, ut pateat modus, quo materies organica, vel vires vitales a norma aberrant; secus enim nec morbi theoria, nec medendi methodus rationalis construi potest.

1057. Quemadmodum febres cum primaria affectione systematis irritabilis, cuius principem motorēm sistit sanguis, variam hujus liquoris conditionem, nunc phlogisticam, nunc septicam (quarum differentiam varius oxydationis et plasticitatis gradus ponit), pro essentiali agnoscunt attributo; ita in febribus nervosis, in quibus vita sensitiva a normali deflectit calle, nemo mirabitur, incitationem p̄e vegetatione morbosas subire et patescere metamorphoses.

1058. **Habito respectu quantitatis incitatio vitalis**, sive processus organico - dynamicus bifariam a norma aberrare potest; vel enim ad justo majorēm roboris et celeritatis gradum increscit, vel vero justo debiliores exerit reactiones. Pari ratione etiam vires nervosae duplicem hancce in decursu febrium manifestare valebunt deflexionem, quam in primo casu **N evro stheniam** (Nerven-erregung), in secundo **N evrastheniam febrilem** (Nervenschwäche) compellamus.

1059. Quod si vero reciprocā perpendimus relationem inter principales duas vitae manifestationes, systematis nervosi ope constitutas, vide- licet inter sensibilitatem, seu facultatem percipiendi (Reitzempfänglichkeit), et irritabilitatem, seu facultatem reagendi (Wirkungsvermögen), quadruplex occurrere potest casus: 1) Vel utraque citra modum exaltatur (Nevrosthenia); 2) vel aucta irritabilitate languet sensilitas (Nevrasthenia spuria, seu cum stupore); 3) vel ex adverso sensibili- tate aequo magis exaltata irritabilitatis cernitur languor (Nevrasthenia cum erethismo); 4) vel de- dum utraque torpet nervei systematis facultas (Nevrasthenia cum paralysi). Quae quidem distinc- tio in medela scite dirigenda maximi est momenti.

1. NEVROSTHENIA.

1060. Nulla in praxi occurrit febris, quae vi- res nervosas altioris ordinis ultra normam incitatas offert, quin simul irritabilitas organica, ac per-

excellentiam illa cordis et vasorum una foret exaltata; quare hypersthenia nervosa in febribus constanter angostheniae nupta esse consuevit, atque febres nervosae hypersthenicae cum febribus inflammatoriis protinus congruunt.

1061. Statum nevrostheniae indicant: sensuum acies, pervigilium, phantasia vivida, delirium constans, plus minusve ferox, oculi micantes, adspectus minax, impetuosus voluntatis nisus, turgor vitalis auctus, muscularum robur insigne, dolores, convulsiones vel tetanicae contractiones, pro varia sede mali; pulsus veloces, pleni, fortes, liberi.

1062. Potiores febrium nevrosthenicarum species essent cunctae illae pyrexiae inflammatoriae, quas topica phlogosis, aut symphoresis alicujus organi nervosi vel admodum sensilis, comitatur, uti encephalitis, myelitis, nevritis, diaphragmitis, gastritis, typhus contagiosus in primo stadio, febres quaedam exanthematicae sub eruptionis opere, etc. de quibus tamen jam alibi prolixius disseruimus. Limitamur itaque hic loci ad eas tantum febris nervosae, vel rectius loquendo, ad eas characteris febrium nervosi, aut nevropathiae febrilis formas, quae cum debilitate incedunt, nunc spuria et fictitia, nunc vera.

2. NEVRASTHÈNIA CUM STUPORE.

1063. Quandoque actiones vitales in systemate sensitivo languere videntur, quin veram passae

sint imminutionem; libera utpote efficientiae nervosae evolutio obstaculi invincibilis, aut sublati factorum vitalium aequilibrii causa impeditur, et supprimitur, quem statum debilitatem nervosam spuriam ad parentem, sive fictitiam vocamus.

1064. Omnes illae potentiae nocentes, quae irritabilitatem ultra modum intendunt, quae expansionis praedominium ponunt, vel liberam conductionem, aequabilemque dispensationem principii vitalis in systemate nervoso impediunt,— omnes illae, inquam, noxae functiones vitae sensiferae supprimunt et pessundant, uti sanguinis orgasmus, calor excessivus, spirituosorum abusus, substantiae narcoticae, quaedam mephites, contagium typhicum, compressio et commotio cerebri aut medullae, exanthematum metachoreses eisque progenitae phlogoses occultae in meningibus et nervorum velamentis, ventriculi oppletio, pervicax cutis siccitas. Quodsi hujus generis injuriis status nervosus inducitur, ejus causa proxima perperam in reali virium languore quaeretur, quapropter etiam stimulantium usus necessario damnosus evaderet.

1065. Dignoscitur haecce nevrasthenia spuria: e labore suffiente; imo saepe exorbitante actionum vitalium, quae vitam organicam spectant, et in primis arteriosi systematis; ex indole causarum occasionalium (§. 1064), quae maxima ex parte stimulus positivos sistunt, systemati ner-

vosō specifice infensos; e virium muscularium languore et pigritia ad motum, sensuum stupore, dysaesthesia, somnolentia, sensorii communis in cogitando et volendo segnitie, stupiditate et animi indifferentia, e spasmodica fibrarum irritabilium contractione, unde meteorismus, retentio urinae, tetanus, etc. demum e praesidiorum debilitantium praestantia, stimulantium noxa.

1066. Status ebrietatis, toxicationis narcoticac, apoplexiae sanguineae, stadium secundum typhi contagiosi, potiora sistunt hujus nevrastheniae fictitiae specimina, quae cum somno sanorum, saltem remotam quandam analogiam habet, et ob prevalentem stuporem *typi* nomen omni jure sibi vindicat; quapropter etiam *febris nervosa* hujus generis sine cunctatione *typhosae* dici poterunt (§. 732).

3. NEVRASTHENIA CUM ERETHISMO.

1067. Debilitatis nervosae verae duplex in praxi occurrit casus, prouti nempe ex incitamentorum vitalium defectu, vel vero ex nimis violenta et protracta stimulorum actione, virium vigorem exhaustente, proficiscitur, quae quidem originis ratio diversa essentialiē simul formae differentiam ponit.

1068. Deficientibus incitamentis ad vitam necessariis imminuitur quidem robur virium et reagendi facultas, intenditur autem ex adverso sensititas, sive receptivitas organismi, relatio ut-

pote reciproca inter facultatem percipiendi, resque ambientes, unde ευμετα βλησία, seu morbida nervorum mobilitas cum singulari in stimulos aviditate emergit, quapropter minimus, ac sano homini indifferens stimulus, justo vividiores, promptiores, ac inordinatas, licet intensitate languidiores sollicitat reactiones, quas cito sequitur defatigatio. Hancce debilitatis speciem Brownii adseclae directam, alii irritabilem nuncuparunt; febres autem ea stipatae nervosae versatiles (Pet. Frank), vel febres nervosae cum erethismo (Hufeland) vocantur.

1069. Potiores causas nevrastheniae irritabilis largiuntur: detractio unius, pluriumve incitamentorum vitalium, aëris boni, lucis, caloris, electricitatis, alimentorum, potus restaurantis, vel etiam qualitas eorum, ita alterata, ut processu vitali debite exstimulando impar evadat; vigiliae protractae; pathemata, tristitia, dispendium humorum, praesertim sanguinis, spermatis, lactis etc.

1070. Sensibilitatem systematis nervosi in toto ambitu, ac praecipue in sphaera cerebrali praeter naturam exaltatam retegunt sequentia phaenomena: photophobia, marmaryge seu oculi splendore corruscantes, aut scintillae ob oculos versantes, pupulae contractio; oxycoia, et aurium tinnitus, capitis dolor acutus, phantasia excitata, unde desipientia, somnia vivida, terriculamenta protinus ut obdormiscit aeger,

atque delirium activum, mente per vices serena; inquietudo et instabilitas corporis ob dysphoriam verbis non exprimendam; voluntatis nitus major, et proclivitas in pathemata, praesertim in iracundiam et moerorem; contradictio et inconstantia symptomatum, fugax turgor vitalis, variabilis temperies, motuum continuo mutata agilitas et directio.

1071. Contemporalis imbecillitas virium in reagendo, quam motus organicia automatici non minus, quam voluntarii, ergo cuncta sphaeram irritabilem componentia organa offerunt, deponit: e muscularum languore et instabilitate, unde tremores et convulsiones, singultus, tendinum saltus; ex arteriarum micatu debili, parvo, ast celerrimo ita ut saepe 120^{cies} intra horae scripulum redeat. Haecce pulsuum frequentia alveorum irritabilium erethismum abunde evincit; adparet enim, justo minori jam sanguinis copia arteriae contractionem cieri, antequam suetum diaستoles culmen adtigerit; unde plures rato temporis intervallo ictus. Realem autem systematis arteriosi vigorem infractum vindicat pulsuum mollities, ac debilis, quem prementi digito offert, renisus.

4. NEVRASTHENIA CUM PARALYSI.

1072. Quandoque in febribus incitatio vitalis eum in modum languet, ut non solum virium nervosarum robur, ac reagendi facultas varium patiatur imminutionis gradum, sed etiam ipsa sensilitas una torpeat, unde quodlibet stimulorum

genus debiles tantum segnesque provocat reaktiones. Hancce debilitatis speciem Incitabilistae *indirectam compellarunt*, quatenus potissimum ex nimis vehementi, vel diu continuata stimulorum actione, et subsequa virium exinanitione ortum dicit.

1073. Dum maximum adtingit culmen in veram degenerat paralysin, quae extinctam protinus supponit vim sensiferam et irritabilitatem, sive facultatem versus externos stimulus reagendi, superstite tantum levissimo vitae organicae, seu vegetativa gradu, qui pariter in casu labis magis universalis persistere non potest, quin atoniae et eminentis liquationis effectus inducat. Quapropter ejusmodi astheniam e virium confectione, et, si dicere licet, inopia oriundam nonnulli colliquativam, Reil paralyticam, et Cel. Harles atonicotorpidam omnijure vocarunt. — Si etiam ultima illa vitae villa deleatur, mortis habetur imago.

1074. Genesin nevrastheniae paralyticae sequentes determinant circumstantiae: 1) Omnis privatio incitamentorum vitalium excedens, vel nimis diu continuata; unde fit, ut debilitas in principio versatilis sub decursu ocyus seriusve in paralyticam degeneret. 2) Stimuli efficacissimi, vel varietate alternantes, qui adeo vehementes concitant reaktiones, ut virium energiam exhaustant; praesertim autem potentiae, quae systema nervum immediate et electiva quadam affinitate adgreduntur,

ac principium nervosum, necessariam factorum vitalium differentiam tollendo, directe extinguunt, uti electricitas, mephites, venena quorundam serpentum, acidum hydrocyanicum, contagia exotica. 3) Enormitas vitalis, vel virium suppressio diurna, e qualicunque demum pendeat causa. 4) Praecepis materiae organicae liquatio; crasis utpote solidorum et fluidorum ob azoti et hydrogenis praedominium (*Clarus*) eum in modum alterata, ut processui vitali sustinendo impar evadat, exemplo morborum septicorum, vastarumque suppurationum.

1075. Praecipua symptomata, quae paralyticam debilitatem divinari sinunt, sunt: anodynia et anaesthesia generalis; hebetudo sensuum externorum, caligatio oculorum, surditas; mentis absentia cum murmure recondito, lethargus, sive sopor profundus cum oblivione sui ipsius; animi deliquia; muscularum voluntariorum resolutio, unde alalia, linguae et artuum tremor, paralyses partiales, dysphagia, corporis gravitas plumbea, incontinentia alvi et urinae; pulsus debiles, tardi, inaequales, intermittentes; frigus extremitatum, sudores viscidii; pallor aut livor cutis; denique indicia colliquationis cachecticae, aut putridae. Ex hisce phaenomenis rite perspectis facile liquet esse entia discrimen inter debilitatem veram indirectam, et debilitatem spuriam, a *Brownii* adseclis in aegrorum detrimentum prorsus neglectum.

1076. Haud raro phaenomena unius alteriusque debilitatis promiscue copulata observantur, praesertim sub unius in alteram transitu, ita ut nonnullae organismi provinciae jam veri torporis signa offerant, ubi in aliis adhuc manifestus vigeat erethismus. Sponte quidem jam intelligitur, astheniam paralyticam in febribus nunquam primariam esse posse, sed vel ex spuria, vel ex versatili originem trahere, quod tamen clarius adhuc nosogeniae illustratio docebit.

HYPOTYPOSIS FEBRIUM CHARACTERE NERVOSO.

1077. Capitis gravedo, temulentia, vertigo, proclivitas ad somnum, vel pervigilium insuetum, animi indifferentia et adiaphoria stupida, vel contra mobilitas extraordinaria, oculorum languor et suffusio, syrigmus, siccitas linguae et cutis, calor urens, virium muscularium prostratio, meteорismus atque pulsuum conditio languidior communissima esse solent characteris evolvendi initia, quae vel una cum generalibus phaenomenis febribus emicant, vel vero sub decursu febris oxyus tardiusve suboriuntur, cum symptomatibus characteris primitivi commixta.

1078. Increbescente malo non solum prodromi intensitate augentur, sed etiam plurima alia accedunt symptomata, sistema sensitivum, et speciatim sphacram ejus supremam eminenter affectam indicantia, quorum syndrome generali no-

mine status nervosi apud pathologos occurrit. Variam ejus in praxi esse debere formam, jam e praemissis debilitatis nervosae differentiis patet.

1070. Caput raro acute dolet, sed potius grave, temulentum, vertiginosum esse solet, corpore in primis erecto. — Sensus externi nunc obtusi, nunc summe irritabiles cernuntur, unde anaesthesia, obauditio, vel phthongodysphoria talis, ut vulgares sonitus molestias faciant; scotomia, caligo, et acies obtusa oculorum, cum lenta pupulae contractione, aut ex adverso mira lucis intolerantia; gustatus acumen; dolores artuum vagi, sensus dedolationis. — Principem alterationem subeunt facultates sensorii communis, quae modo erethismum majorem, modo torporem insignem, modo varias hallucinationum species perpetiuntur; mentis absentia temporaria vel constans; imaginatio exaltata, falsis delusa phantasmatibus; mens internis distracta impressionibus; impotentia recte judicandi, et voluntatem rationis ad nutum dirigendi, quae omnia sublatum commercium psychicum cum rebus aegrum ambientibus indicant. Inde ortum ducunt vaniloquia, desipientia mitis, vel delirium activum variae indolis, nocturnum, diurnum, jocosum, triste; mox enim aegri hilaritatem profusam et fictam affabilitatem offerunt, mox moesti et animi desponsi mortis futurae casum praesagiunt, et de illo trepidi fantur; alii inter stuporem mussitant, muscas venantur, floccos e lodicibus evellunt,

indecorum corpus denudant, fugam petere cupiunt, aliave ratione inconcinnas gesticulationes absque sui ipsorum conscientia exerunt, somnambulorum more (typhomania). Pervigilium molestum, vel profundus sopor, insomnia terrifica, pavores nocturni, adiaphoria stupida, immobilitas ecstatica, vel summa sensibilitas moralis in lacrymas prona, et insanis roboris expers non minus raras suppeditant gravis encephali passionis formas, quae mox seorsum, mox alternatim comparent.

1080. Vis motricis debilitas indies ingravescit, febricitans enim corpore supino porrectus positionem captam, trunci instar, immobilis servat; irritos solum motuum conatus exercens, quibus anxietatis et inquietudinis molestissimam sensationem sublevare nititur; cruribus divaricatis deorsum ad pedes delabitur; manus intremiscente motu ad res capessendas extendit, ipsamque lingua sine tremore porrigerne nequit. Interim tamen quidam tendines saliunt, vel et singuli faciei artuumve musculi convelluntur, unde variae spasmorum clonicorum species, risus sardous, spasmus cynicus, strabismus, truculenta oculorum rotatio. Vox rauca et debilis esse consuescit; loquela blaesa (balba) et obscura; sphincterum officium infractum urinam et faeces olidissimas dormientibus, vel etiam vigilantibus insciis elabi sinit.

1081. Nisi spuria subsit debilitas nervorum, qualis non solum in typho contagioso, sed etiam in aliis speciebus characteris nervosi, febribus for-

tuito suborti, et maxime in exordio observatur, vitae organicae, seu vegetativae incitatio, quae coenaesthesia et motus automaticos complectitur, diversum offert languoris gradum. Extinguuntur videlicet cupidines naturales, ita ut res alias gratae, nullo modo aegrum adficiant, urgente tantum siti flagrante, cum instinctuali potus vinosi desiderio. Sunt tamen aegri, qui nullum poscunt potum, licet linguam siccissimam et asperam habeant. Hygrophobia inter rariora spectat. — Respiratio accelerata, vel tarda, ullo plerumque incommodo stipata, anhelitus, stertor, singultus, suspiria infractam, aliave ratione laesam diaphragmatis energiam testantur. — In primis viis occurunt dyspepsia, ructus insipidi, vomititiones inanes, meteorismus spasmodicus, stypsis vel incontinentia alvi absque signis saburrae; in organis uropoieticis retentio lotii, vel enuresis. — Pulsus arteriarum molles et parvi rythrum haud servant, sed mox tardius, mox celerius, mox plenius, mox debilius resiliunt; in summo demum astheniae gradu inordinate et confuse micant, tremuli, myuri, vermiculares, vel et intermittentes. — Temperies animalis mox circa normam aucta, mox inaequaliter distributa, inconstans, cum horripilationibus alternans, mox plane imminuta cernitur, prouti vel erethismus, vel torpor praevaluerit; caloris augmentum vero potius a conducendi facultate superficie cutaneae fracta, quam a thermogenesi justo magis in-

citata derivandum esse, siccitas cutis pervicax jam quodammodo suspicari sinit. — Sensus tandem communis diversas offert alienationes, quae quidem cuivis febri propriae sunt, in febribus nervosis vero multo majorem adipiscuntur gradum; uti dysphoria peculiaris, et quasi sui ipsius intolerantia, artuum dedolatio, anxietas, nausea, gastrodynbia; quandoque tamen nihil queruntur aegri, sed bene se habere semper respondent.

1082. Quodsi sub graviori, aut diuturniori systematis nervosilabe simul et **plasticus processus**, sive chemismus, ut ajunt, animalis, ac pendens inde habitus corporis externus, statutus nutritionis et secretionum alteretur, id certe nemo mirabitur, qui arctissimum vires inter et materiem novit nexum. Vultus collapsus et pallidus, cum fugaci malarum rubore, oculi languidi, natantes, sueta vivacitate privi, nasus acuminitus, nares obturatae, quasi fumo aut fuligine nigrescentes, obtutus vagus, incertus, fixus, torvus, labium superius retractum, atque dentes sorde viscida, fusca, vel subnigra cooperti proprium physiognomiae aegrorum febre nervosa laborantium imprimet characterem, unde jam a procul morbum divinare possis; in casu gravissimo vere Hippocratica terret facies. Cutis et lingua plerumque pertinaciter aret, calore acri, digitos urente, praesertim in vola manus et planta pedum; alias vero profusi, viscidii, et frigidi ad caput vel et in tota superficie promanant sudores,

summe debilitantes, vapidum spirantes acetum. Urinae fluunt copiosae, crudae, limpidae, lutose, turbidae, sine sedimento; alvus in diarrhoeam prona. Interdum exanthemata parasytica, miliaria, petecchiaie sub morbi principio, vel incertis temporibus prorumpunt.

1083. Decursus febrium nervosarum variae esse consuevit extensionis; nunc acutissimus paucarum dierum, ne dicam horarum; nunc acutus per unam alteramve hebdomadam, nunc lentus ultra vicesimum diem protractus. Quo major viget erethismus, eo magis inconstans phaenomenorum series (§. 1079), quae non solum vesperascente die ordinario ingravescit, denuoque sublucanis remittit horis, sed etiam interdiu quam plurimas patitur vicissitudines, unde summe proteiformis, medicumque fluctuantem libenter deludens morbi incessus. Quo altior debilitatis torpori junctae gradus, eo minores interdiu cernuntur variationes; nox vero cunctis aegris inimica pessimas machinatur insidias.

DISCRIMINA FEBRIS NERVOSE.

1084. Primum, quod practici jure proponunt, febris nervosae discriminem, primariam inter et secundariam, originis respicit modum, et omnino insignem meretur medentis respectum.— Febris nervosa primaria, vel satius loquendo, character nervosus in febribus primarius dicitur ille, qui illico in exordio

una cum generalibus phaenomenis febrilibus evolvitur, et cuius origo in relatione proxima et immediata cum causa, febriles turbas movente, existit. Sua tamen sponte liquet, illum nonnisi statum nervosum primitivum esse posse, qui virium nervosarum exorbitantia, vel debilitate adparente stipatur; contemporalis enim ortus debilitatis verae et febris, seu quod idem est, efficientiae biodynamicae vividius irritatae, ex eadem causa cogitari nequit. — Hujus generis essent febres inflammatorio-nervosae cum topica phlogosi cerebri, medullae spinalis, ventriculi, nec non illae, quae ex miasmatibus contagiosis, aut venenis narcoticis proficiscuntur, ac ab omni jam initio turbis nervosis comitatae incedunt. — **C h a r a c t e r n e r v o s u s s e c u n d a r i u s** ex adverso nonnisi sub decursu febrium aliis generis extricatur, modo spuriae, modo verae debilitatis effectus, estque nunc **s y m p t o m a t i c u s** (*derivatus*), talis quippe, cuius ortus nexum plus minusve essentialem cum febris charactere primitivo et causa eum producente agnoscit, exemplo illius, qui diuturnam virium vitalium suppressionem, pertinacem cutis siccitatem, vel varias liuationis species sequitur; — nunc **a c c i d e n t a l i s**, qui fortuito tantum casu evolutus meram complicationem et anomaliam febris cuiusdam perficit.

1085. Alia non minus momentosa nevropyrae in **c o n t a g i o s a m** et **n o n c o n t a g i o s a m** distinctio pariter in originis diversa ratione funda-

tur. Prior substantivam, sive autonomam sistit febris speciem, typhum utpote contagiosum, cuius trinam formam a climatis constitutione pendente, exanthematicam, bubonicam, et icteroden jam alibi explanavimus. Altera vix non semper secundaria, e legibus vitae dynamicis subversis, sive ex alterata virium vitalium conditione nata, aliis febribus suboritur absque interventu somnis contagious, quamvis sub ejus decursu, debilitate ad summum gradum evecta, contagiosum principium extricari posse non dubitemus. Ut a priori, seu contagiosa distinguatur, etiam febris nervosa simplex vocari solet.

1086. Juxta praemissas debilitatis varietates, ac diversam, quae inter receptivitatem et vim reagendi viget relationem (§. 1059) tres distinguimus febrium nervosarum species: 1) Febris nervosa stupida, seu typosa in stricto vocis sensu (Nervenfieber mit Betäubung), cum debilitate nervosa spuria; mox contagiosa (primitiva), mox contagii expers (secundaria). — 2) Febris nervosa versatilis Petri Frankii, cum debilitate vera et erethismo (Nervenfieber mit erhöhter Reizbarkeit). — 3) Febris nervosa paralytica, cum debilitate vera et torpore, seu reali virium nervosarum exinanitione (Nervenfieber mit Erschöpfung).

1087. Character nervosus secundarius in suo primordio constanter de febris matricis ingenio plus minusve participat, unde pro istius diversi-

tate variae exsurgunt complicationum species; uti febres inflammatorio-nervosae, catarrhoso-nervosae, gastrico-nervosae, etc.— Exstincto demum charactere febris primario, ac superstito solum nervoso-asthenico, febris nervosa simplex, pura, sive meraca dicitur.— Varia nevrastheniae febrilis cum topicis organorum nobiliorum adfectionibus consortia, febres nervosas comitatas constituunt, quibus pro diversitate partis inflammatae, aut irritatae totidem specialia impertinent nomina, uti pneumonitis nervosa, enteritis nervosa, etc.

1088. Neque omni prorsus valore destitutum est discrimin febris nervosae in criticam et symptomaticam.— Febris nervosa primaaria, imo et secundaria e criticis pyrexiiis, inflammatoriis, catarrhalibus, biliosis, vel exanthematicis oriunda, determinatum tenet decursum, uno altero cyclo septenario circumscriptum, quo feliciter superato plus minusve solemnibus naturae conatibus judicatur, et sub suetis evacuationibus solvitur.— Ab illa longe differt febris nervosa symptomatica, sive febricula, quae nevroses et languores chronicos comitatur, jam apud veteres Graecos nomine βληχρὸς ξηρὸς πυρετὸς, quod febrem pussillam, siccam significat, nota; haec enim nulli adstricta est typo, nunc per menses protrahitur, nunc vero primis jam diebus, dummodo causa removeatur, defatiscit.

1089. Minoris momenti distinctio febrium nervosarum esset illa, quae a formac et symptomatum praevalentium diversitate desumitur, quatenus accidentaliter et variabili characteri innixa, neque divisioni et classificationi hujus pyrexiarum generis, neque congruae therapiae directioni inservire potest. Tales essent febres epialae, lipyriae, assodes, lyngodes veterum; febres comatosae, lethargicae quorundam recentiorum.

1090. Ultimam denique febrium nervosarum differentiam praebet morbi acuties et decurrenti ratio, quae tanto majorem medentis depositum respectum, quod plerumque a diversa causarum efficientium natura, ac diversa debilitatis inde oriundae forma dependet, quapropter non solum prognosin, sed etiam medendi methodum dirigere juvat. Distinguimus hoc intuitu febrem nervosam acutissimam, acutam et lentam.

a. FEBRIS NERVOSEA ACUTISSIMA.

Saalmann, Descriptio febrium malignarum in genere. Monaster. 1792.

1091. Febris nervosa acutissima, maligna practicorum, dicitur illa, quae in gratiam summac ac improvisac virium prostrationis, primis jam morbi diebus subortae, ingenti ac praeципiti stipatur discrimine, ita ut aegros haud raro intra nycthemeri spatium e medio tollat; — quis enim morbus, qui dolosa decipiens lenitate

occultam vitae labem minatur, atque prima jam aetate praecipi passu sine causa patente in perjus ruit, ac tantum struit periculum, quod dissipare nulla plerumque valeat ars, nomine maligni, perniciosi, aut cacoëtis medicis insigniri solet.

1092. Character nervosus malignus cognoscitur ex omnibus illis symptomatibus, quae sumum debilitatis ac systematis nervosi pessundati gradum indicant. Hujus generis sunt quaedam intermittentes larvatae et comitatae, ante omnia vero febres e contagioso aliove deleterio fomite natae, dum eis sub concursu circumstantiarum sinistrarum debilitas vere colliquativa suboritur, quibus tunc epitheton malignae additur; uti variola, scarlatina, typhus exanthematicus, imprimis febris pestilentialis Orientis, febris flava tropicorum, febris putrida et anthracoides.

1093. Specimen febris ephemerae malignae, erysipelas septicum comitantis, Hippocrates sequentibus verbis descriptis: »Critoni in Thaso
»pedis dolor incepit fortis a digito magno erecte
»deambulanti: decubuit eadem die horridus, an-
»xiosus, parum subcalefactus; nocte deliravit. Se-
»cunda tumor per totum pedem, et circa talum
»subrubet cum tensione: phlyctaenae parvae, ni-
»grae: febris acuta: furebat: ab alvo autem sin-
»cera, biliosa, submulta prodierunt. Obiit secun-
»da die a principio.«

Hippocrat. Epidemior. I. Aegr. IX.

1094. Huc pariter spectat febris sudatoria, seu ephemera britannica, quae seculo XV ad finem vergente Britanniam (1486), magnamque Europae partem peragravit, senioribus annis aliquoties regenerata. Invasit cum enormi virium prostratione, deliquiis, tremore artuum, horrore, siti clamosa, ardore intestino et anxietate summa, subsequis serius cephalaea dirissima, cardialgia, palpitatione cordis, delirio placido et sopore profundo, quae symptomata, nisi jam ad finem primi, vel secundi nycthemeri largus sudor subortus esset, omne dispellens periculum, inevitabilem induxerunt lethum.

Gruner, Scriptorum de sudore anglico superstitionis editio.

Jenae 1804.

Freind, Historia medicinae. Lugd. Bat. 1734. p. 395.

Sprengel, Pragmat. Geschichte der Medicin. 2. Th. p. 636.

1095. *Hemitritaeus Daciae*, sive acutissima et summe periculosa illa febris, quam Mindererus in Vallachia, Moldavia et Hungaria observavit (1), — licet in principio aequa ac in decursu gastricis et speciatim biliosis stiparetur phaenomenis, talique pacto cum febri flava tropicorum aliquam analogiam habuisse videretur, — propter improvsum saepe ac summe truculentum virium lapsum merito inter febres nevrasthenicas malignas suum sibi vindicat locum.

(1) Minderer, über den Hemitritaeus in den südlichen Provinzen des russischen Reiches. — In Hufeland's Journal der pract. Heilkunde. 1809. 2. St.

β. FEBRIS NERVOSA ACUTA.

Büttner, Diss. de febribus nervosis acutis. Goett. 1785.

Reil, Diss. sistens pathologiam febris nervosae acutae. Hælae 1792.

1096. Communiores febrium nervosarum species decursum quatuordecim dierum tenent, mox spuriā tantum debilitatem manifestant, mox vera asthenia irritabili aut torpida stipantur, prouti varia fuerit causarum efficientium indoles. Juxta huncce diversum virium vitalium statum etiam symptomatum nervosorum series plurimum variat, quam hic denuo repetere supervacaneum foret. Accedit insuper, quod ipse character febris primitus, qui nonnisi rarissime protinus deletur, variam febris nervosae imaginem reddit, de superstibus phaenomenis aegritudinis matricis, inflammatoriae, gastricae, catarrhosae plus minusve participantem.

γ. FEBRIS NERVOSA LENTA.

Demiani, Diss. de febre lenta nervosa. Lips. 1777.— In Baldingeri Opuscul. T. IV.

Carelson, Symptomatologia et aetiologya febris nervosae lentae. Goett. 1782.

Levi, Diss. de febre nervosa lenta. Fr. ad Viadr. 1790.

1097. Hujus speciei, quam primus apto eō nomine insignivit, et classico calamo depinxit eximius Huxham (1), admodum lenta et obscura esse solent initia, cum affectibus hypochondriacis, vel cum febre hectica facile commutanda. Ingreditur plerumque cum animi abjectione, pi-

gritia, lassitudine insigni et vagis horroribus, quos levis premit calor cum pulsu exili, debili, parum frequenti, imo interdum adeo tardo, ut vix quinquaginta ictus intra horae scripulum numerari possint. Emicant pari tempore temulentia et stupor, qualem ebrii experiri consuescunt, ac sensus peculiaris doloris obtusi et frigoris circumscripti ad occiput, qui nonnullis pathognomonicum esse dicitur signum; oculi continua nebula circumfusi videntur, vel maculae atrae ob oculus volitant; auditus redditur gravis; virium muscularium robur adeo infringitur, ut artus contremiscant, quoties aegri corpus movere conantur, haud tamen tantus observatur languor, quin saltem primis diebus obambulare possint. Sitis fere nulla est, etiamsi incalescat aeger; lingua non infreque tener tenaci muco obducta, ab initio humida, serius sicca; plerumque ciborum fastidium, interdum et vomitus pituitosus; urinae aquosae, crudae; facies languida, tristis et pallida.

(1) Huxhami, Opera physico-medica. T. II. p. 78.

1098. Postquam per sex, octove dies morata fuerit febris, paucas tantum offerens vicissitudines, nisi vespertinas excipiamus exacerbationes, pulsus magis accelerantur, ac sudores leves, frigidiusculi super aridam prius cutim promanant, subito disparentes, quin levamen ferant; aeger continua somnolentia oppressus, inquietus et anxius desipere incipit, sed leviter adeo, ut mussitet solum, balbutiat, floccos legat, fimbrias diducat, vel in

adjuncto pariete, si qua minuta eminent, carpat. Distributio temperici animalis valde inaequalis cernitur, quandoque enim genae rubent, dum nares, aures, et artus frigent; vel vero aeger ad sensum calens frigere sibi assiduo videtur. In dies, licet passu lento, increscunt debilitas et capitis gravedo cum molestissimo aurium susurru; praecordiorum pondus, anxietas et languor magis urgent, ita ut aegroti haud raro animo linquantur, inprimis quando se erigere tentant.

1099. Quo magis supra undecimum febris protenditur diem, eo magis minui solet erethismus, augescente contra torpore, ipsumque nutritionis munus manifeste labefactatur. Surdi ac stupidi decumbunt aegri, sibimet ipsis obmurmurant, inter verba desipiunt, sc bene habere respondent, nihil omnino queruntur, nisi languorem et lassitudinem artuum; collabente textu cellulari, et flaccescentibus carnibus extenuantur membra, et facies angulosa, rugisque plena evadit, quo quidem invincibilis ciborum aversatio, sudores copiosi, atque dejectiones alvinac tenuiores et vere colliquativae plurimum contribuunt. Accedunt tremores, nervorum distensiones, subsultus tendinum, oculorum distorsiones, dysphagia, sphincterum relaxatio, sopor, anhelitus, stertor, et mors plerumque placida, calamitatibus colophonem addit, postquam morbus per viginti, imo quadraginta aut quinquaginta dierum spatium excurrens, ergo extensione id resarciens, quod ei

vehementiae deficit, omnem consumit vitae flam-mam. Dum convalescunt aegri, diu solent cum lan-guore conflictari, artuum tremore, sensuum torpe-dine, corporis extenuatione, quibus facile oede-mata et capillorum desfluviu[m] superveniunt.

1100. Febris nervosa lenta, nisi prima exci-pias initia, semper debilitate vera stipatur, nunc irritabili, nunc atonico-torpida, ac ideo merito nevrasthenica dicenda. Hanc ob rationem nunquam febrem constituit primariam, sed alia-rum pyrexiarum effectum, aut epigenema. Sunt autem prae caeteris febres catarrhosae, gastrico-pituitosae, hecticae et intermittentes quotidianae, maxime duplicatae, quae in characterem nervosum lentum nituntur. Pariter hominibus laxis, phleg-maticis, venere confectis, puellis chloroticis, se-niculis, pueris verminosis, scrofulosa diathesi et pituitosa colluvie affectis communis esse solet fe-bris nevrasthenica diutina, quae, ut ex omnibus characteribus collectis elucet, non solum respectu decursus tardigradi, minorisque crisium efficacie, sed imprimis respectu processus plastici notabili-ter infracti, et contemporalis atoniae ac denu-tritionis a reliquis debilitatis febrilis speciebus essentialiter differt, talique pacto febribus hecti-cis proxime accedit. »Manifestum esse reor, in-»quit oculatissimus Huxham, hunc morbum a »solidorum statu nimis relaxato, a sanguine ma-»cro, tenui, et a lentore humorum lymphatico-»rum ortum trahere.«

AETIOLOGIA ET NOSOGENIA.

Gils, Tentamen aetiologyae febrium nervosarum acutarum
Hannov. 1797.

1101. Quidquid virium nervosarum robur infringit, aut abnormi patrocinatur mobilitati, ut momentum febrium nervosarum proëgumenon considerari potest. Proclivitatem ideo majorem in eas fovent subjecta valetudinaria, effaceminata, debilia, morbis diuturnis detrita, requisito pabulo destituta, paupertatis onere oppressa, animi passionibus agitata, aut chronicis nevrosibus obnoxia. Universalem sive popularem dispositionem in febres nervoso-asthenicas quandoque induci videamus ab aestatis feryore excessivo, aëris malacia, nec non a quibusdam evolutionibus cosmicis nondum sufficienter notis, constitutionem stationariam ita modificantibus, ut cunctae febres sporadicæ et epidemicae citra morem in characterem nervosum et asthenicum nitantur.

1102. Si perpendimus per aestivos calores non solum contractilitatis tenorem infringi, nisum contra expansivum et emanationis impetum (das Ausströmen) notabiliter intendi, sed etiam cutim molliorem redditam, et continuo ferme sudore madentem magis aptum conductorem fieri, quo posito electricitas animalis rapidius, quam par est, dissipatur, — sufficiens patet infracti nervorum roboris, ac eminentioris in debilitatem proclivitatis ratio. Experientia quotidiana adseratum omnino confirmat.

1103. **Causae occasioales**, quae characterem nervosum in febribus extricare valent, id mox directo praestant modo, immediate in incitationem vitalem, et speciatim in sistema nervosum agendo; mox indirecto, processum vegetativum ita vitiando, ut harmonicus virium concentus, ac normalis earum vigor persistere nequeat.

1104. **Potentiis nocivis**, quae systema sensiferum directe offendunt, dynamicam exercendo actionem, accensentur: 1) Imponderabilia, uti calor, electricitas, effluvia odorifera, contagia, et haec inter imprimis typhicum. — 2) Principia phlogistica, azotum, carbonium, hydrogenium, gas sulfurosum, et quae ex eorum connubiiis generantur mephites, sive circumfluas inquinent auras, sive in penctrabibus organismi per varias liquationis et corruptionis spontaneae species extricentur. — 3) Venena narcotica. — 4) Animi pathemata deprimentia, amor frustratus, tristitia, cordolum, nostalgia, spes irrita. — 5) Omne id, quod nimis vehementes, vel diu protractas virium intentiones suscitat, in consumptionis statum facile conjiciendas, uti stimulantium abusus, meditationes irrequietae, vigiliae, corporis exercitia immodica. — 6) Neglectus eorum auxiliorum, quae in casu exorbitantiae vitalis, aut virium diu suppressarum requirerentur, uti essent venaesectiones in febribus inflammatoriis, emetica et purgantia in gastricis, evacuatio puris in abscessibus vastis, et s. p.

1105. Alteram causarum procatarcticarum cohortem explent omnes illae, quae primario modo processum vegetativum in quantitate, vel qualitate alterant, systema vero nervosum via indirecta, et secundario adgrediuntur. Huc spectant: inedia; victus pravus; saburrae et dyscrasiae variæ; partium solidarum laxitas; jactura humorum per haemorrhagias, venaesectiones, diarrhoeas, seminis profusiones; retentio excernendorum; phlogoses occultae meningum et nevrilematis; exanthemata derepente suppressa, aut in evolutione praepedita, proinde remotiori intuitu etiam omnes prophases, quae ad ortum harum diversarum organismi alterationum contribuunt, maxime vero pravae qualitates aëris atmosphaerici, quae mox sporadicas, mox epidemicas generant febres nervosas, quales v. g. aestivis diebus in locis uidis et palustribus haud raro observare licet.

1106. Ast non omnes causas omnibus febrium nervosarum varietatibus indiscriminatim progignendis pares esse, non solum ex ipsa causarum efficientium natura et ad organismum relatione diversa, sed etiam e stabilitis debilitatis nervosae differentiis (§. 1059) facile intelligitur; nonnullae enim liberas tantum vis nervosae reactiones obruant, aliae contra requisitas oscillationum vitalium conditiones afferendo verum inducunt languorem.

1107. In concipiendo ortu febris nervosae, quac virium exorbitantia, aut suppresso statu

stipatur, et causis positive incitantibus inducitur, v. g. fomite quodam contagioso, calore nimio, phlogosi visceris admodum sensilis, substantia narcotico-acri etc., nulla sese obtrudit difficultas; eadem enim potentia morbifica, quae systematis sensitivi passionem provocavit, etiam turbis febrilibus suscitandis omnino idonea est. En casum characteris nervosi primarii, febris coeffectum.

1108. Manifesta vero, primo saltem adspectu, adparet contradictione illis in casibus, ubi status nervosus in gratiam verae debilitatis exsurgit; hanc enim febris conceptus protinus excludere videtur. Aliter quidem sentiunt illi auctores, qui, Incitabilistarum principiis delusi, febrium originem generatim ex excitabilitatis languore derivant; sed ab inconcussis pyretologiae rationalis principiis longe aberrant. Quare contemporalem febris et characteris nervoso-asthenici genesin, proinde febrem nervoso-asthenicam primariam audacter negamus. Coexistentiam autem febris et verac debilitatis nervosae dari posse, experientia evincit; eam nihil contradictorii offerre, penitior pathogeniae inquisitio docebit.

1109. Quadruplex in praxi distingui potest inter febrem primitivam (alius qualiscunque generis) et characterem nervosum secundarium respectus, prouti originis ratio 1) in subjecto febricitante, 2) in causa febrem producente, 3) in febri ipsa, vel denique 4) in epigenematibus febri su-

pervenientibus delituerit: 1) Vel enim status debilitatis, aut quaedam nevropathia, febrem praecedens, characteris nervosi, sub hujus decursu oboorientis, culpam gerit. 2) Vel causa febriles incendens motus talis est naturae, ut jam in exordio morbi futurae et inevitabilis astheniae rudimenta ponat. 3) Vel ratio characteris nervosi latet in ipsa illa conditione pathologica, quae febris primariae essentiam constituit, nempe in concentu harmonico virium et systematum organicorum diversimode laeso. 4) Vel demum character nervosus ab accidentalibus pendet injuriis, quae sub decursu febrium vires sufflaminant, vel exhauriunt, et sistema sensitivum vario titulo offendunt. Nunc de hisce geneseos modis singillatim potiora saltem momenta perstringemus.

1110. I. Si organismus humanus defectum, vel inopiam incitamentorum vitalium diutius perpetitur, non solum virium robur deperdit, sed talem simul contrahit sensibilitatis gradum, ut stimuli sueti et alias indifferentes, imo tales, qui ad vitam absolute requiruntur, jam morbosas reaktiones suscitare valeant, unde nil mirum, aegros saepe causam febrium gravissimarum nec a procul divinare. Quodsi jam in ejusmodi individuo debilitato ac ultra morem mobili febriles incendantur turbae, has neque consueta vehementia urgere, neque omni debilitatis nervosae nota immunes esse posse, quivis facile intelliget. In hocce casu debilitas, ante febrem existens, ceu momentum

proëgumenon characteris nervosi erit consideranda. Idem obtinet in hominibus, qui chronicas patiuntur nevroses.

1111. II. Quandoque ipsa causa febrim concitans jam germen characteris nervoso - asthenici sub decursu evolvendi ponit, cuius exempla referunt in primis miasmata contagiosa, fomites deleterii, mephites et quacdam constitutiones epidemicae; talis enim inter has noxas et naturam humanam est heteronymia et dissimilitudo, ut transitoriam ac vehementissimam, nunc manifestam, nunc occultam virium incitationem brevi praeceps ac inevitabilis exinanitio excipiat.

1112. III. Multo crebrius causa proxima astheniae nervosae in ipsa evolutione et metamorphosi morbosa, quam organismus febris gratia patitur, delitescit, et quidem: *A.* Vel in viribus vitalibus excessiva ratione intentis, aut nimis diu suppressionis. *B.* Vel in quadam liquationis specie. *C.* Vel tandem in cutis pervicaci siccitate. — Ex hisce fontibus oriundus character nervosus in praxi frequentissimus est, merito secundarius; aut symptomaticus dicendus.

1113. *A.* Legibus physicis constitutum est, omnes intentiones dynamicas immodicas, praesertim vero si ab invincibili quodam obstaculo coërcentur, ocyus seriusve delassari, vel protinus exhaustiri. Inde evenit, ut in febribus inflammatoriis, gastricis, biliosis, character nervoso-asthenicus tanto facilius oboriatur, quo major

fuerit orgasmi febrilis, vel congestionis topicae in nobiliōri quodam viscere gradus, et quo minus solerter medicus impenderit curam, stimulus morbosos et impedimenta amovendi, quae spontaneo virium naturae molimine removeri nequivant. Febres inflammatoriae comitatae cum topica affectione illorum organorum, quae partem integrantem systematis nervosi constituunt (cerebrum, medulla spinalis), nec non viscerum illorum, quae insignem sympathiam cum centro sensitatis habent (pulmones, cor), vel exquisita pollut sensitatem (ventriculus, intestina, cutis), caeteris paribus characterem nervosum facilius adsumunt.

1114. *B.* Processus liquationis qualiscunque per febrem, aut febre durante inductus sufficientem nevrastheniae ortui causam largitur; prava enim massae organicae crasis normalem virium vigorem sustinere vetat, atque abnormis evolutio elementorum phlogisticorum, systemati nervoso summe inimicorum, morbosas ibidem concitat turbas. Concipitur inde, cur febres biliosae graves, febres putridae et suppuratoriae (praesertim cum abscessu clauso) adeo eminentem in debilitatem nervosam ostendant nisum; febres contra inflammatoriae ortum verae debilitatis eousque excluant, quoisque sanguis abnormem plasticitatis gradum, ac proinde arctiorem principiorum inflammabilium (utut praevalentium) unionem conservat, horumque secessui obstat.

1115. *C.* Attamen inter omnes fertilissimam

characteris nervosi secundarii scaturiginem suppeditare nobis videtur cutis ariditas, quod quidem adserum e physiologico organi intuitu non minus, quam experientia evinci posse credimus. Inter tot tantaque munia, quae systemati dermatico incumbunt, eminet sane illud, quo requisitum commercium materiale et dynamicum inter naturam ambientem et humanum organismum sustinere juvat; quapropter nonnullis elementis e corpore eliminandis, aliis contra e circumfluo aëre suscipiendis, ac optato aequilibrio chemico-dynamicо conservando continuo insudet, oportet. Huncce tamen pro vita summe necessarium duplicem finem cutis adtingere nequiret, nisi amphibiam quandam haberet naturam, talem utpote, qua juxta diversam conditionem organismi, rerumque externarum munera sua nunc certa cum facilitate, nunc majori lentitudine exequatur; nunc secessui variorum principiorem obsecundet, nunc vero eorum diffusionem cohibeat, vel saltem retardet. Conditio cutis ergo talis esse debet, qualem physici semiconductoribus tribuunt.

1116. Quamprimum superficies cutanea negativam contrahit polaritatem, ita ut libero fluidorum elasticorum et imponderabilium secessui sese opponat, vel saltem aequo minus faveat, ergo in conductorem minus aptum convertatur; necessario illa principia expansiva, per processum vitalem adsiduo regenerata, intra organismum accumulari debent. Sunt autem calor, electricitas,

carbonium, et hydrogenium praecipua elementa, quae in statu salutis per cutim continuo manant, et quorum retentione sistema sensitivum tanto promptius offenditur, quum peculiaris vigeat hoc inter et illa adfinitas. Intenditur tali pacto nisus expansivus, qui, cum intra cancellos organismi coercentur, hujusque confinia egredi nequeat, non solum sanguinis volumen conspicua ratione auget, sed etiam in ipsis nervis conducentibus liberam oscillationem dynamicam impedit, atque cuncta phaenomena vis nervosae oppressae et obrutae producit. Quodsi hancce oppletionem (Ueberladung), supersaturationem, sive plethoram dynamicam,— (sit venia metaphorae) — illi prorsus analogam, quam lagena Kleistiana electricitate onusta refert, dissipare non liceat, vel omnis aboletur per funes sensitivos conductio (apoplexia), vel efficientia nervosa suppressa citius tardiusve exauritur, atque debilitatem in principio spuriam vera, et quidem indirecta sequitur asthenia.

1117. Id quod ratio, physiologiae sanae praceptis suffulta, suadet, experientia extra dubitacionis aleam ponit. Quotidiana enim observatio docet, omnes illas febres, quarum sub decursu cutis sicca esse consuescit, eminentem proclivitatem in characterem nervosum manifestare, uti febres catarrhosas, exanthematicas, erysipelaceas, pittuitosas aestivas, biliosas ardentes, febres puerperales etc. Illae e converso, in quibus cutis laute

transpirat, vel sudat, quemadmodum febres rheumaticae, arthritides acutae, febres inflammatoriae cum topica affectione phlegmonosa, febris vulneraria, saburralis, irritativa simplex rarissime nervosam contrahunt indolem. Tanta inter cutem sicciam et characterem nervosum est relatio, ut priori diutius persistente semper funestae metaptoseos metus terreat; et vice versa nulla febris nervosa cum perviae cutis statu incedat, nisi, debilitate ad summum gradum crescente, colliquativi suboriantur sudores. Quidquid cutem perviam facit, atque infractam ejus conducendi facultatem redonare juvat, superficiem corporis veluti symperielectricam reddendo, characteris nervosi evolutionem tutissime praepedit, imo jamjam evolutum prompte dissipat. Insignem hoc respectu efficaciam admiramus in emeticis, vesicantibus, dia-phoreticis, balneis et lotionibus tam tepidis, quam frigidis, nec non in spontaneis sudoribus, quibus medicatrix natura quandoque pristinam functionum integritatem et harmoniam restituere molitur.

1118. Symptomata potiora, quae in supra enumeratis febrium speciebus imminentem characterem nervosum produnt, sunt eadem, quae phlogisticorum et imponderabilium excessui et coacervationi adprime respondent, scilicet: calor cutis mordax, qui sub tangentis manu crescit, sensus ardoris interni, vel flammae comburentis molestissimus, sitis inexplebilis, anxietas, inquietudo summa, stragulorum intolerantia, obnubila-

tio sensuum et stupida capitis gravedo, desiderium potus acidi et aurae frigidae, pulsum plenitudo, tremor artuum, invicibilis ad motum pigritia. — Immoderatus spirituosorum, vel narcoticorum usus, fervor aestivus, imminens procella, malacia atmosphaerae, ac nimia corporis excalefactio eosdem fere producunt effectus, eousque non leniendos, donec per sudores sponte extri-
catos, per imminutam aëris ambientis temperaturam, per mutatam electricitatem atmosphaericam, per balneum, vel potum frigidum, copiose hau-
stum, principiorum phlogisticorum, caloris et elec-
tricitatis excessus frangatur, pristinumque aequi-
librium dynamicum cum medio, hominem ambien-
te, restituatur.

1119. IV. Ultimum denique fontem characteris nervosi asthenici suppeditant variae potentiae directe, vel indirecte debilitantes, si in febri-
tem egerint organismum; animi perturbationes tristes, venaesectionum, aliorumque deprimen-
tium et evacuantium non minus, quam stimulan-
tium incautus usus, diarrhoea tumultuaria, haemorrhagiae, effluvia mephitica, calor nimius, etc. Omnia haecce epigenemata, quae nullum nexum causalem cum febre primitiva supponunt, charac-
terem nervosum mere accidentalem progignunt. — Singulare autem est phaenomenon, quod caedem noxae debilitantes, si super individuum febris expers egerint, turbas nervosas vix unquam producere solent.

1120. Praemissa hacce disquisitione pathogenetica febrium nervosarum, unde reciproca relatio inter characterem primitivum et nervosum secundarium abunde elucescit, solvendum adhuc restat aenigma contemporalis existentiae processus febrilis, qui semper vitalitatem auctam supponit, atque debilitatis verae.

1121. Febris sistit evolutionem organicam morbosam, quae in homine imbecilli et confecto non minus, quam in vegeto et robusto oriri et ali potest, ea solum differentia, quod incitationis vitalis augmentum in primo casu semper relativum erit, cum praecurrente virium energia comparandum, ergo toties ipso robore sano inferius, utut majori oscillationum celeritate sese distinguat.

1122. Quodsi durante quadam febre critica debilitas evolvitur e momentis supra recensitis, virium vitalium exorbitantia, si non per omnem organismum, saltem in uno alterove systemate organico, et omnium facillime in systemate nervoso quidem deprimitur, nullatenus vero interrumpi poterit cyclicus ille processus, quem febris critica, semel posita, excurrere necessario debet. Possunt plures intercedere circumstantiae, quae febrilem evolutionem a normali tramite detorquent; nil autem praefinitum ejus cursum truncare valet, nisi crisis aut mors.

1123. Etiamsi igitur reactiones vitales de sueto suo labore plurimum amittant, imo ad insignem dejiciantur debilitatis gradum, nihilominus ta-

men non cessat concitatus ille nisus, cuius ope maleficam causam destruere, extinguere, expellere, morbosam metamorphosin invertere, ac pristinam salutem restituere non desinunt, quo usque scintilla vitae superest. Id vero, quod effettivo robori deficit, majori celeritate et festinatione resarcire moliuntur, uti id ex vibratione arteriarum vividissima adpareat. Idem, quod de febribus criticis valet, dictum quoque sit de illis febribus symptomaticis, quae a perenni et non removendo stimulo nervis inimico pendent, exemplo febris suppuratoriae, praesertim si liquationis ichorosae, aut concreticæ effectus fuerit.

1124. Si denique perpendimus, eminens substratum nevrastheniae sphaeras altiores systematis nervosi largiri, reactiones febriles vero generatim consideratas ad systemata vitae organicae, seu inferioris referri, et maxime per concitatum motum cordis et arteriarum in conspectum venire, sine negotio contemporalem inaequabilis virium dispensationis praesentiam tanto facilius concipere poterimus. — Quodsi febris nervosa asthenica status debilitatis in homine febriente, vel status febrilis in homine debili dicatur, ejus conceptus ad amussim illustratur. — Febribus nervosis (in genere consideratis) primariis, et febribus *cum* debilitate sive asthenicis nihil obstat; repugnant contra principiis pathogeniae rationalis febres *ex* debilitate, sive nervosae asthenicæ primariae.

1125. Quamvis in cunctis febribus nervosis, sive comes debilitas spuria fuerit, sive vera, vita sensifera per excellentiam patiatur, modum tamen, quo ista a normali deflectit calle, seu speciem passionis nervosae non in omnibus casibus eandem esse posse, jam ex praemissis luculenter patet. Quapropter etiam causa proxima febrium nervosarum necessario pro causarum diversitate diversa esse debebit, nunc enim efficientiae nervosae languorem, nunc impeditam oscillationem liberam, nunc inaequalem per singulas sphaeras dispensationem, in gratiam sublatae factorum vitalium harmoniae, criminanda esse, quivis perspiciet, qui exaratam nosogeniam paulo curatius perpenderit. Qualescumque igitur fuerint hypotheses, quibus varii auctores essentiam febris nervosae explicare studuerunt, etiamsi eas rationalis pathologiae principiis innixas esse concedamus, ad summum singulis tantum casibus febrium nervosarum adaptari possunt. — Intelligitur inde, quid de sententia Goedenii et aliorum opinandum sit, causam proximam febris nervosae in statu phlogoseos meningis arachnoideae reponentium; imo etiam illis in casibus, in quibus necroscopia reapse congestiones sanguineas meningum evincit, has neque semper morbi causam, neque veram inflammationem, sed modo morbi effectum, modo stases passivas declarari debere, rationi consentaneum videtur.

1126. Febres nervosas generatim considera-

tas contagiosa indole immunes esse, earum genesis e dynamicis legibus vitae sanae et morbosae derivanda abunde confirmat; nihilo tamen minus sub earum decursu, praesertim si certus liquationis gradus, pervicax cutis ariditas, atque notabilis virium prostratio concurrunt, fomites contagiosos tam septicos, quam methysticos evolvi posse, jam alibi demonstrare studuimus. Illam febris nervosac speciem, quae constanter e contagio scaturit, typhum utpote contagiosum, familiae febrium inflammatorio - exanthematicarum e causa specifica inserere, ac ibidem prolixius explanare praefinitus poposcit ordo.

TERMINATIONES.

1127. Febres, sub quarum decursu character nervosus, in gratiam systematis sensitivi potenter affecti, extricatur, plerumque aegrius pristinam salutem recuperare sinunt, partim quod substrati nobilitas majus periculum ponit, partim quod critica molimina, maxime in casu nevrastheniae torpidae, morbo superando saepe infructuosa esse solent, etiamsi debitiss artis adminiculis suffulta fuerint. — Pro diversa natura causae producentis, ac vario characteris primarii, quem nervosus excipit, ingenio, unde morbi duratio plurimum dependet, criticos conatus mox septima, mox decima quarta aut vicesima, mox etiam super tertium cyclum septenarium accendi videmus, plerumque tamen adeo impotentes, ut solemne

ac decisivum levamen vix unquam observeter, illis tantum casibus exceptis, in quibus vires nervosae suppressae, amoto aut superato obstaculo, pristinam adipiscuntur libertatem. Eapropter etiam decrementum potius gradarium, et convalescentia taediosa esse consuevit.

1128. Species evacuationum criticarum determinatur a charactere febris primitivo, inflammatorio, catarrhoso, gastrico, bilioso, etc., unde febres nervosas mox sudoribus profusis, mox blennorrhoeis, mox urinis hypostaticis, vel diarrhoea solvi, praxis docet. Quo simplicior fuerit febris nervosa, id est, quo magis character primarius per subortum nervosum deletur, eo minus manifestae comparent excretiones, ac pristina sanitas inconspicuo ferme modo per gradariam lysin obtinetur. Sicutis et lingua sub repetitis sudoribus mollescit et humescit, si copiosae cum levamine secedunt urinae, hypostasin deponentes albidad, vel roseam, si caput a molesta liberatur gravedine, si graviora conticescunt symptomata nervosa, viriumque muscularium lassitudo minuitur, ut aegri sua sponte lectum deserere cupiant, imminentem divinare licet resolutionem.

1129. Quandoque accidit, characterem nervosum, secundario subortum, sub faventium circumstantiarum concursu, vel sub rite directa cura dissipari, antequam febris primaria suum adtigerit terminum, quo facto ipsa febris pristinam suam,

ab inauspicato hospite obfuscata et obvelatam, formam denuo recuperat, eousque duratura, donec praefinitum absolverit cyclum. Hi casus tamen in illis tantum febribus succedere possunt, in quibus character nervosus secundarius, symptomaticus, vel epigenematicus fuit. Status nervosus primarius, qui febri essentialiter adhaeret (§. 1084), non desinit, nisi ipsa febre fracta.

1130. Apoplexia nervosa, et paralytica virium vitalium resolutio praecipuas praebent mortis rationes. Quaedam febres nervosae primis jam ab exordio diebus aegrotantes lethali obruunt ventero, omni jure malignae, seu perniciosaे vocandae; aliae sub consuetis liquationis universalis et characteris septici symptomatibus vitaeflammam sensim sensimque extinguent, conscientia tamen plerumque adeo obruta, ut funesti finis inscii aegri nunc placide obdormiant, nunquam evigilaturi, nunc tetris sub convulsionibus, ceu ultimis vitae cum morte collectantis moliminiibus, inexorabili succumbant fato. — Indirecto modo lethum pariunt febres nervosae cum alio charactere, inflammatorio, gastrico aut putrido complicatae, vel topicis affectionibus comitatae, et quidem ob metastases ad loca interanea, ob inflammationes viscerum nobilium, earumque postprincipia fatalia.

1131. Ex Orci faucibus feliciter erepti haud raro varii generis post huma experiuntur, quorum furiis nec semper resistere valentes in re-

cens conjici solent discriminem. Diversae nevroses cephalicae, amnesia, fatuitas, mania, amaurosis surditas, capitis dolores recurrentes, languores chronicci, gastrodynia, dyspepsia, parotides metastaticae, atque tabes lenta potiores sistunt successiones.

1132. In cadaveribus febre nervosa peremptorum nil invenitur, quod proximam causam quodammodo revelare posset; agitur enim de morbo dynamico, qui a materialibus, conspicuis et palpabilibus metamorphosibus alienus est. Quapropter sedulo cavendum, ne status abnormes interdum obvii, uti congestiones sanguineae in meningibus, effusiones seri aut lymphae in encephali cavitatibus indiscriminatim morbi causa habeantur, qui non raro effectus secundarios debilitatis et passionis nervosae, vel complicationes accidentales indicant.

P R A E S A G I U M .

1133. Quatenus febris nervosa semper nobilissimum vitae centrum obrutum et labefactatum supponit, eatenus caeteris etiam paribus semper insigne portendit periculum, quod eo magis increscat necesse est, quo altior fuerit debilitatis comitis gradus, beneficos naturae conatus eludens. Pessima igitur febris nevropathicae forma est, quae praecipiti virium lapsu, et colliquativa asthenia stipatur. Ob eandem rationem cunctae circumstantiae, quae ad illius ortum contribuunt, uti

prava subjecti ante morbum constitutio, deleteria causae efficientis indoles, epidemiae maleficæ dominium, complicatio cum charactere bilioso, vel putrido, therapia perversa, vel necessariae curae neglectus, tristem ominantur eventum. Partium nobiliorum, imprimis cerebri, pulmonum et viscerum abdominalium affectiones locales cum febre nervosa conjunctae, vel eam praecedentes, semper malam spem praedicant. Continua mentis absentia, delirium sine induciis, sopor profundus, crocidismus, singultus, convulsiones, meteorismus pertinax, sphincterum resolutio et symptomata, quae characterem septicum, vel gangraenam intestinam indicant, mala parant auguria. Helluones, venere exhausti, et syphilitico viro infecti raro evadunt.

1134. Caeterum in nullo ferme febrium genere phaenomena magis fallunt et decipiunt, ac in febre nervosa, praesertim in illa, quae cum asthenia directa et erethismo incedit, merito versatilis dicta. Nonnunquam enim signa prosperrima hominem improvise praecipitant et rapiunt, dum contra aegroti, qui pessimi ominis symptomata præ se ferunt, plenam salutem recuperant. Quare boni medici est, semper ambiguam sortem ostendere, atque adstantibus ingenue fateri: quantum omni momento immineat periculum; neque anodyniae et euphoriae dolosae aegrorum fidendum. — Etsi mortis avertatur casus, non semper in medentis po-

testate est, posthumas evitare labes, quas vasta morborum secundariorum sylva parturit. Symptoma contradictoria, uti languor summus cum pulsu bono, congestiones organorum activae cum prostratione virium maxima, febris ardens cum urinis limpidis plerumque dolum machinantur.

1135. Felicioris ominis signa praebent: linguae et cutis humiditas, sudores aequabiles et vaporosi; adspectus aegri hilaris ac naturali vicinior, oculorum nitor rediens, levis obauditio, somnus placidus, urinae copiosae cum sedimento, diarrhoea modica, et imprimis euphoria, sive proprius ille valetudinis sensus, qui tutissimum plurimum esse solet instantis sanationis vates. In febribus gastrico-nervosis, et nervosis lentis quandoque furunculi et exanthemata circa labia cum emolumento prorumpi visa sunt.

RATIO MEDENDI.

1136. Nosogenia e rationalibus et practicis principiis eruta, eique superstructa morbi theoria tutissimum in medcla rite instituenda praebet ducem. Quum autem adeo differens sit characteris nervosi in febribus origo, ac ipsa vitae sensiferae a norma aberrantis ratio in variis casibus adeo essentialiter discrepet, diversae therapiae necessitas sponte liquet. — Princeps tamen indicatio-
nis curativae cardo in eo consistit, ut vires vita-
les ad illud reducantur moderamen, quod pro cri-
sibus perficiendis requiritur. — Si causae occa-

sionem praebentes ultro persistunt, profligari vel saltem obtundi debent; si vero ignorantur, aut jam remotae permanentes effectus reliquerunt, ca jubeantur auxilia, quae statui virium dynamico, et mutationibus morbosis, in organismo inductis, directe occurrent.

a) CURA FEBRIS NERVOSE CUM STUPORE.

1137. In cunctis illis febrium nervosarum casibus, in quibus spuria viget debilitas, vires nervosas oppressas, obrutas et ad speciem tantum languentes emancipare, debitamque oscillationum vitalium libertatem, sine qua optatae crises perfici nequeunt, restituere, praecipuus erit medentis scopus. Plurimum autem interest, ut prius recta habeatur conditionis pathologicae notio; hac enim vacillante et morbo asthenia indirecta habito, facile medicus ad usum remediorum stimulantium seduceretur, quae, olei flammæ inspersi instar, omnia mala non possunt non augere. — Pro diversitate obstaculi organici, vel extranei, liberis virium reactionibus positi, diversa convenient medicamenta, quae inter venae-sectiones, emetica, vesicantia, lotiones frigidæ, et aura camphorata singularem quandam merentur laudem.

1138. In febribus inflammatoriis, praesertim si cum locali visceris cuiusdam nobilioris et sensibilioris affectione sociatae fuerint, si excessivus viguerit orgasmi universalis, vel topicae

plethorae status, si necessariae in principio neglectae fuerint sanguinis missiones, haud raro sub medio morbi cursu nervosa symptomata cum summa virium prostratione, utut mere adparenti, impro vive evolvi videmus, quorum tamen originem e virium reactionibus sufflaminatis et gravi impedimento obrutis potius, quam e vero virium lapsu pendere facile evincitur, si ad characterem febris praecedentem, ad absentiam causae deleteriae aut debilitantis, nec non ad habitum aegri, qui vitae excessum et sanguinis ubertatem undique spirat, necessaria convertatur adtentio. **Venae sectiones**, in hisce casibus semper largiori manu experiendae, tantam exerunt efficaciam, ut aegri sanguine adhuc e sauciata vena prosiliente, instantaneam refectionem percipient, atque ex adtonito stupore veluti expergefiant. In casu encephalitidis ipsa hirudinum retro aures applicatio non ommittenda.

Spies, Diss. de utilitate venaesectionis in morbis, prae cipue febre nervosa, ubi ordinarie locum non habet. Alt dorf 1795.

1139. Id quod phlebotomia in febribus angio sthenicis, emesis, suo tempore instituta, in gastricis praestat, ubi, experientia docente, nunc ob nimiam ventriculi opptionem, nunc ob praesentiam alicujus sordis, qualitate prava, ne dicatur venenosa, splanchnicos nervos pessundantis, prae cipue bilis degeneratae, aut veneni narcotici, vi rum robur mira ratione prosternitur, eodemque

tempore variae juxta sistema nervosum emicant turbae. Evacuatis sordibus, cuiusvis demum generis fuerint, character nervosus secundario evolutus subito disparet; quin imo vomitu spontaneo interdum dissipatur absque ullo artis praesidio. Quodsi colluvies in tubo intestinali coacervata nevrastheniae spuriae fuerit causa, catharticorum necessitas quidem cuivis patebit; levamen tamen nunquam adeo promptum, nec tanta evacuationis utilitas esse solet, ob eam procul dubio rationem, quod sordibus ad intestina promotis, plerumque aliquid de noxiis principiis resorbeatur, ac secundis viis illatum multo tenacius inhaereat, nec aliter quam per viam secretionum, naturae viribus concitatarum, evacuari possit.

1140. Damna, quae sistema nervosum experitum in gratiam elementorum phlogisticorum et imponderabilium, sive majori, quam par est, copia per processum morbosum extricentur (v.g. in febribus contagiosis), sive ob spasmum cutaneum, aut inversam dermatis polaritatem retineantur (uti in febribus catarrhosis), aliter reparari nequeunt, quam expansionis praedominium compescendo, spasticam contractionem solvendo, atque conducti facultatem (Leistungsfähigkeit) per corporis peripheriam facilitando. Internus usus acidorum, revellentia, et lotiones frigidae singulis indicatio- nis therapeuticae momentis egregie satisfaciunt, neque aliis suppleri possunt remediis. Acid a processum bio-chemicum emendant, expansivi

factoris excessum moderando. Revellentia periphericos nervorum fines lacescendo spasmos resolvunt, atque centra obruta secundum leges antitheseos organicae liberant. Lotiones frigidae, legum physicarum nutui obediendo, negativam sive idioelectricam cutis conditionem invertunt, atque secessui imponderabilium opitulantur. Quousque vires vitales realem jacturam non sunt perpessae, hisce solis adminiculis characterem nervosum vix orientem suffocare quandoque licet. Vesicantibus et sinapismis id sat tuto praestari, nulli practicorum ignotum erit. Lotionibus vero etiam frigidis in casu cutis pertinaciter siccae, quam prae caeteris febres catarrhosae, exanthematicae, et gastrico - pituitosae aestivae sibi privam habent, nullo alio remedio suffultis primordia characteris nervosi exemplo discuti posse, pluribus compertum habuimus experimentis. Circa modum lavacris utendi jam in capite de scarlatina et typho exanthematico necessariam fecimus mentionem.

1141. Quo diutius et quo gravius oppressae fuerint vires, eo facilius defatigantur, etiamsi opportuno adhuc tempore liberentur, quam ob rem praeter mox adlatas inedendi methodos, individualibus casibus rite adaptatas, nunc singulatim, nunc conjunctim adhibendas, sistema nervosum homogeneo quodam elemento afficere et refocillare oportet, eum tamen in modum, ne arteriosae vires extimulentur, humorumque recens

orgasmus incendatur. Remedia hujus generis sunt omnia illa, quae nervis per eminentiam amica, ac ideo nervina vocata, horum efficientiam dynamicam blandè sollicitare valent, quin per viam circuli suscipiantur; quorum principia activa igitur (effluvia utpote odorifera) per poros, ut quondam dixerunt, inorganicos agunt, vel rectius dicendo imponderabilium more per totam organis-
mi massam diffunduntur, nervorum directionem peculiariter praediligendo. Cunctis aliis palmam praeripiunt camphora, moschus, et ammonia, re-
fractis dosibus interne porrecta. Ipsa atmosphaera aegrum circumfluens, si fragrantibus effluviis im-
buta fuerit, ergo aura camphorea, moschata, am-
moniacalis, non minus beneficam, imo interni usus facile vices agentem actionem praestare valet.

β. CURA FEBRIS NERVOSAE CUM ERETHISMO.

1142. Maximam sane circumspectionem de-
poscit illa verae debilitatis species, cui eminens
ευμεταβλησία (versabilitas, mutabilitas) comes it;
hujus enim varius gradus non solum quantitatem stimulorum subministrandorum, sed etiam ipsum qualitatis selectum dirigere debet.

1143. Inter stimulantia diffusibilia,
quae scopo vires nervosas erigente adhiberi so-
lent, principatum tenent: camphora, flores cha-
momillae, herba melissae et menthae crispae, ra-
dix valerianae, asa foetida, castoreum, spiritus
cornu cervi, acida mineralia dulcificata, horum-

que remediorum varia connubia tam interne, quam externe forma epithematis, linimenti, aut clysterris propinata.

1144. **R**oborantia, quatenus lente agunt, per se sola in febribus nervosis, praecipitanter decurrentibus, quidem non sufficiunt, expansivis tamen stimulis nupta egregie prosunt; organicae enim compagi necessariam impertinent cohaerentiam et roboris tenorem, talique pacto non solum virium energiam intendunt, sed etiam mobilitatem excessivam componunt. Extracta amaro-aromatica gentianae, absynthii, cascarillae, cortex peruvianus in decocto vel infuso, tincturae martiales, elixirium acidum aromaticum, et flores zinci potiora sunt pharmaca, quae practicis arrident.

1145. **N**arcoticis, et speciatim opio, ab adsectis Brownii adeo decantato, in cura febrium nervoso-asthenicarum, Burserii ad exemplum lubenter supersedemus, nisi symptomata quaedam molesta, aut periculosa, aliis medicamentis non lenienda eorum deposcant usum, uti vomitus rebellis absque saburra, diarrhoea debilitans, tortura ventris, agrypnia, photophobia, convulsiones vehementiores. Opium refractis tunc dosibus exhibetur, oportet, ad quartam v. g. grani partem quater aut sexies in die porrigendum; insuper proficuum erit, alias generis combinare substantias, quae opii virtutem virulentam quodammodo temperare valent, uti essent aromata grata, vel radix ipecacuanhae.

Wall, über den Gebrauch des Mohnsaftes im Nervenfieber und Synochus. Aus dem Engl. von Diel. Altenb. 1789.

1146. *Vesicantia demum et sinapismi* in debilitate irritabili, ob stimulus derivandi virtutem, ad prime conveniunt; quapropter etiam remotoribus locis applicata, secundum antagonismi leges, offensa systematis nervosi centra a morbosis saepe feliciter liberant impressionibus. Melius erit, si cantharides partem solum irritent et rubefaciant, quam si vesicas moveant; in quem finem emplastrum vesicatorium post tres, quatuorve horas a corpore removeri poterit. Semina sinapeos contusa cum aceto vini, vel fermento panis nigri in pastam redacta, super linteum extensa, et pedum dorso imposita ocyus agunt, vesicas non tam facile trahunt, et ideo cantharidibus palmam præripiunt. Quamprimum ardor vehemens concitatur, sinapismi removendi sunt.

1147. Praeter canones therapeuticos in virium cum erethismo languentium moderamine observandos, atque jam in generali pyretologia explana-
tos (Tom. I. §. 655) medentis adtentio imprimis ad indolem et formam febris primitivam conver-
tenda, quae vix unquam protinus extingui solent, ita ut febris nervosa stricto in sensu simplex et meraca dici possit. Quamvis in casu febris inflam-
matoriae a venaesectionibus, et in illo febris ga-
stricae ab evacuationibus alvinis desisti debeat il-
lico, ac debilitatis prodromi sese insinuant; nun-
quam tamen in primo casu usus potionum refri-

gerantium, ac in secundo moderata alvi elutio
clysterum ope negligenda.

1148. Febres catarrhosae, in characterem nervosum mira ratione proclives, solertissimum suppressae transpirationis et infractae conductionis dynamicae respectum postulant; cui quidem scopo vesicantia et lotiones aqua frigida, vel egelida factae eximie respondent, etiamsi vera jam evoluta sit debilitas, dummodo contemporalis nervorum non negligatur usus.

1149. Ubi febris nervosa versatilis cum topicis affectionibus viscerum juncta fuerit, methodus revellens quidem magnalia praestat, suadet tamen ratio, ut usui stimulantium sorbitiones mucilaginosae interponantur, atque e priorum classe ea seligantur pharmaca, quae uni alterive organo magis amica sint, et electiva quasi polleant adfinitatem, uti v. g. polygala senega, gummi ammoniacum, spiritus salis ammoniaci anisatus in pneumonite nervosa; flores arnicae in casu contemporalis symphoreos encephali; aromata stomachica opiatis copulata in affectionibus tubi enterici, et s. p.

γ. CURA FEBRIS NERVOSE CUM DEBILITATE TORPIDA.

1150. Debilitas torpida, sive e simplici languore, excessivae sensilitati copulato, ac ad altiorum gradum evecto, sive ex nimis impetuosis erga stimulus potentiores reactionibus et subsequā vi-

rium consumptione originem ducat, praeter reagendi facultatem reapse imminutam, simul tantam in percipiendis impressionibus externis lentitudinem et torporem patefacit, ut nonnisi a valentioribus irritamentis quandam reactionem sequi videamus. Intelligitur inde, remedia stimulantia diffusibilia nihil praestare, nisi majoribus porrigantur dosibus; imo ad securiorem effectum obtinendum vix non semper acrum, sive stimulantium contractivorum opes implorari debent.

1151. Praeter nervina superius adlata (§.1142) ac perfectiori dosi exhibita, singulari virtute eminent: radices angelicae, imperatoria et serpentariae virginianae; cortex cinamommi et cascarillae, caryophylli; nux moschata; mentha piperita; aether vitrioli; spiritus dulcificati, tincturae spirituoso-aromaticae, vinum generosum, olea aetherea, moschus, castoreum, alcali volatile, et phosphorus.

1152. Vehementer falluntur illi, qui salutis scaturiginem unice in longinquis mundi oris quaerunt, atque exoticorum medicamentorum fuco capti, indigenorum virtutes nec experiri dignantur. Generosa natura ubique locorum infinitis redundat vitae et valetudinis subsidiis, ita ut non solum quotidianis necessitatibus prodiga prospiciat manu, sed etiam in proprio sinu arma cudat, innumeris, qui vitae insidiantur, hostibus debellandis idonea. Hinc radicis serpentariae et contrajervae, florum macis, caryophyllorum, aliorum-

que vices facile agunt plantae nostrates, uti angelica, imperatoria, calamus aromaticus, caryophyllata, mentha piperita, valeriana celtica etc., fragrantissimo oleo aethereo scatentes.

1153. Flores arnicae montanae, quae simul acre principium recondunt, a Max. Stollio tanta laude elati, in febribus nervosis cum stupore et torpore summe proficui evadunt, maxime si quaedam suspicio de passiva humorum congerie in encephalo fuerit; praesertim unio infusi saturati florum arnicae et radicis angelicae cum camphora et liquore anodyno minerali Hoffmanni semper efficax nobis praebuit pharmacon.

1154. Acida mineralia dulcificata, et naphthae omnes, quae inter aether sulfuricus et aceticus excellit, praestantissima dici possunt adminicula; etenim ventriculo amica digestionis munus conservare juvant, vires nervosas citissime refocillant, spasmos intestinalium reserant, atque ob gratum saporem et odorem etiam iis exhiberi possunt aegris, qui pharmaca in contemptu habent. Cum vero eorum effectus rapide praeterlabuntur, crebrius repeti debent. Spirituosorum virtutes aromaticibus et oleis aethereis acui solent, unde diversae, quae in pharmacopoliis exstant tincturae alcoholicae pro interno aequa ac externo usu omnino commendationem merentur.

1155. Analogas prioribus vires exerit vinum generosum, edentulum, quod, si dulce simul fucrit, praeter refectionem momentaneam etiam

nutrit. Absint vero omnia indicia incitatae reactionis vasorum, vel topicae congestionis sanguineae. Illum contra aestum, qui ab imbecillo cordis et arteriarum renixu pendet, e pulsibus exilissimis et mordaci cutis calore dignoscendum, venum refrigerantium quasi more mitigat et frangit. Superba hoc intuitu vina sunt: Rhenanum, Burundicum, Campanicum, Tokajanum, Malagense, Cyprium. Egenis spiritus vini cum aqua remistus pro potu inservire poterit. Cavendum tamen, ne aegri inebrientur, quod tanto facilius accidit in illis, qui ex consuetudine vino nunquam utuntur. Bibonibus audaciori etiam manu porrectum minus nocet.

1156. Alcali volatile, spiritus cornu cervi, liquor ammonii succinici, oleum animale Dippelii, et moschus valentissima pariter suppeditant remedia, praesertim illis in casibus, ubi asthenia paralytica symptomatibus nervosis altioris gradus, sopore apoplectico, vel vaniloquiis continuis, singultu, tremoribus, convulsionibus, crocidismo, sphincterum resolutione stipantur; ubi cutis pertinaciter sicca aliis pervia redi nequivit praesidiis, vel ubi repressum quoddam exanthema repentinae virium prostrationis culpam gerit; ob summam enim volatilitatem eorum vis, camphorae instar rapide penetrat, ac transpirationem movet.

1157. In casibus desperatis, quippe in summo debilitatis torpidae fastigio, mortiferae resolutioni

proximo, ad ipsum phosphorum recurrere suadent quidam neoterici. Ast nec unum, heroico hocce remedio tractatum imminentis fati saevitatem effugisse, vidimus, cuius ratio fors etiam in eo latet, quod ab usu comburentis phosphori abhorreamus, quoisque vel minima sanationis spes superest; in cadaveribus enim, etiamsi cautissima manu exhibitus fuerit, ventriculum vel inflammatum, vel gangraenosis maculis inscriptum comprehendimus. — Exhiberi solet ad octavam, sextam, vel quartam partem grani pro singula dosi, in die aliquoties repetenda, aethere sulfurico aut oleo amygdalarum solutus, abstinendo a contemporali usu potus aquosi, ne phosphorus e sua solutione praecipitetur, stomachumque adurat.

Josephi, Diss. de phosphori usu interno. Helmst. 1789.

1158. Pauca tantum sunt pharmaca ex ordine stimulantium contractivorum, sive acrium, quae pro interno quadrant usu, uti radix ipecacuanhae, refractis portionibus porrecta, piper nigrum, capsicum annum, et oxyda quaedam metallica, zinci, cupri, bismuthi. Tutius contra adplicantur cuti; nervorum finibus enim potenter stimulatis non solum beneficam a centris pessundatis revulsionem praestant, verum etiam irritationem per totum systema nerveum diradiant, talique ratione evanescensem vitae favillam denuo sufflammant.

1159. Seminibus sinapis, radici armoraciae rasaee, piperi indicis, aliisque epispasticis abjudicari quidem nequeunt beneficæ vires; longe ta-

men eminent cantharides, pluribus locis ea ratione adplicitae, ut plenas vesicas trahant. Si aliquid de principio acri cantharidem per vasa lymphatica resorbetur, et uropoëtica offendit organa, emulsionibus cum nitro et pauxillo camphorae commixtis erit occurendum. Tanto majorem autem libera lotii excretio meretur adtentionem, quoniam aegri, febrili sopore obruti, lubenter ischuriae subjacent casui.

Aepli, Prüfung der spanischen Fliegen in bösartigen Fiebern. Zürch 1777.

1160. Remedia tonica et amara, utut per se sola lentioris actionis causa parum praestent, in connubio cum diffusilibus egregie juvant, ac praesertim digestionis organis infirmis respondent; quare in febribus asthenicis, et maxime in nervosis lentis non erunt negligenda. Ubi morbo felicitate soluto de restituendo partium robore et cohaerentia agitur, amaricantia et tonica, uti lignum quassiae, extractum absynthii, vel gentianae, radix columbo, tinctura nervino-tonica Bestusscheffii, elixirium stomachicum, et in primis cortex peruvianus in connubio cum aromaticis principes indicationis paginas absolvunt.

1161. Ad generalem scopum refectionis tanto facilius adtingendum corpus universum, et speciatim vertebrarum columnam liquoribus spirituosis et fragrantibus colluere et permulcere conveniet, qua medendi methodo etiam cutis functionem haud raro restituere, artuumque torpidam

inertiam corrigere licet. Spiritus vini camphoratus, spir. saponis, spir. serpylli, spir. aromaticus compositus Dispens. Vindobonensis, quibus in casu typhi gravissimi tinctura cantharidum, et spiritus ammoniae causticus addi poterit, efficacissima pro usu externo spondent praesidia.

1162. Si medicamina per os sumi non possunt, vel si peculiaris urget intestinorum torpor, pervicaci meteorismo sociatus, ad **clysteres** irritantes confugere oportet, quales ex infuso florum chamomillae, vel radicis valerianae cum camphora, vel asa foetida, mucilagine subactis, parari solent. Libenter quoque interponuntur clysteres nutrientes ex vitulorum petiolis, ex juribus carnium coccumarum, e decocto radicis salep, vel cremore hordei, oryzae, cum vitello ovi.

1163. Summum medentis artificium consistit in quantitate stimulorum rite adcommodata. Quemadmodum languens favilla sufflatu nimis languido aeque ac nimis impetuoso et continuato extinguitur; ita etiam flamma vitae resuscitari nequit, nisi justa inveniatur incitamentorum mensura, sive recta, quae ad salutis metam dicit diagonalis. Hocce arduum opus, cuius fundamenta theoreticis superstruere velle principiis vanus foret labor, unice medici prudentiae et oculo experientia armato committi debet. — Juvabit duntaxat adnotasse, in debilitate irritabili semper a lenioribus inchoandum esse stimulis, ac pedentim ad valentiores adscendendum, donec ille

obtineatur virium exorbitantiae moderatae gradus, sine quo criticae operationes perfici nequeunt. In debilitate torpida vix non contrarium observare oportet; videlicet subito a potentioribus stimulis (nunquam tamen a potentissimis) cura erit ordienda, et si eorum ope optatum ciere licuerit reaktionis universalis gradum, — quem e turgore vitali aucto, pulsuum oscillatione vividiori, viriumque muscularium augmento peritus artis dignoscere non cunctabitur, — illico recedendum, et cum moderato excitantium adparatu sufflammata illa energia vitalis eousque conservanda, donec criseos instet momentum.

1164. Praecipuum tandem adhuc praeceptum practicum eo versatur, ne in uno eodemque remedio, quod scopo cardiaco et analeptico selectum fuit, justo diutius insistamus, sed potius plura experiamur. Organismus medicamentis relativa actione pollutibus facilime adsuescit; unde fit, ut interdum pharmacon minoris caeteroquin efficaciae, ac exigua dosi adhibitum ob solam qualitatis differentiam plus praestet, quam aliud melioris notae a longiori jam tempore usurpatum.

1165. Decursus febris nervosae acutus, aut latus, nullum essentiale in therapeusi ponit discrimen. Solum ne praetervideatur, oportet, criticas operationes in febribus nervosis acutis suo tempore debite moderari; in lenti contra languentem processum reproductionis roborantibus et nutrientibus sustentare, vel si pituitosa collu-

vies primas vias pertinaciter obruat, eam blandioribus catharticis per epicrasin eliminare, quem in finem rhabarbarina et calomel a practicis merito commendantur.

CURA SYMPTOMATICA.

1166. Symptomatum in febribus nervosis urgentium caterva quandoque specialem depositam curam, quae tamen semper causis producentibus, conditioni virium, atque characteri febris primitivo rite adaptari, proinde indicationi vitali ad amussim respondere debet.

1167. Delirium, agrypnia et cephalalgia, quantum plurimum ab immodico pendent erethismo, prudentem opii, camphorae, vel moscho conjuncti, usum admittunt. — Sopor ex adverso, nisi manifesta subsit sanguinis congestio hirudinibus minuenda, floribus arnicae, valeriana, ammoniae praeparatis, odoramentis, et vesicatorio nuchae imposito discutitur. — Nervorum distensionibus, tremoribus, carphologiae, trismo, singultui opium, moschus et flores zinci prospiciunt. — Vomitus effraenis, nisi a saburra pendeat, opio, haustu antiemetico, vel aromatibus stomacho gratis erit placandus. — Meteorismum pro diversitate causae nunc evacuantia, nunc antispastica minuere valent; ab impositione nivis, aut contusae glaciei, quam nonnulli proposuerunt, cavendum, si vera urget debilitas. — Diarrhoeam exhaustem decoctum corticis cum cinamommo, infusum ra-

dicis arnicæ, laudante Stollio, clysteres mucilaginosi, et in casu pervicaci succus catechu, alumnen, et diascordium ore vel ano ingesta moderant. — Retentum in vesica lotium, quamprimum hypogastrica tumet regio, fomentis aromaticis tepidis eliciendum, et his incassum tentatis sine mora cathetere educendum. — Parotides, metastaseos causa tumentes, cataplasmatibus emollientibus fovendae, quibus, si resolutio obtineri nequit, suppuratio promovetur. — Quid tandem funestus exigat decubitus, jam alibi (§. 1004) indicavimus.

REGIMEN DIAETETICUM.

1168. Princeps vitae pabulum, aër utpote atmosphaericus, etiam in febrium nervosarum cura haud mediocri indiget adtentione; hinc aëri puro prospiciendum, illeque frequentiori perflatione sedulo redintegrandus, vel si in angusto spatio plura cohabitare coguntur individua, evoluta mephitis suffitibus acidis destruenda.

1169. Cibus ex materia facili et eupepta conflatus esse debet, moderata porrectus copia; rigorosiori enim diaeta aegros torquere, — qualem vulgo in febribus cuiusvis naturæ proclaimant, — morbus praesertim si longius excurrat, non minus nocivum, quam eos sorbitonibus nutrientibus, vel plane carnibus aut ferculis arte confectis infarcire. Juscula carnium saturata, gelatina ex cornu cervi, aut vitulorum petiolis, medulla Cycac

circinnalis palmae, Sago passim dicta, vel tubera orchidum decocta, ova sorbilia, mala, pyra, vel pruna saccharo, cinamommo et vino condita, panis similagineus, optimam largiuntur alimoniam, atque corruentes vires eximie sustentant, quin stomachum gravent, si partitum et frequenter aegrotis offeruntur.

1170. Vetus illud praeceptum: Bibendum est vel moriendum in febribus, ad nullum hercle pyrexiarum genus melius adiplicari potest, quam ad nervosas, tantalea plurimum siti stipatas. Non est tamen indifferens potulentorum selectus, eximio Raimanno recte monente; superstite enim adhuc erethismo morboso decoctis mucilaginosis hordei, vel oryzae, infusis leviter aromaticis florum tiliae, seminum foeniculi, vino levi cum aqua et saccharo remisto utendum; quamprimum vero torporis emicant signa, mox enumeratis sorbitonibus vinum quoddam generosum vel meracum, vel cum cinamommo et saccharo, Gallorum medicorum more combinatum (*Vin cordial*) crebrius per cochlearia interponendum.

1171. Balnea tepida ob virtutes anodynias, antispasticas et diaphoreticas praestantissima sistunt pro nervorum turbis coercendis et mitigandis subsidia. Respondent igitur per excellentiam debilitati irritabili, maxime si pervigilium, capitis dolores acuti, insomnia terrifica, delirium leve sed continuum, tremor artuum, cutis et lingua arida urgent, et si exanthemata suppressa ad cutem re-

vocare oportet. Quamprimum vero ad sudores proclivis fuerit aeger, nunquam balneo immittendus, cum inde exituro vix possimus omnem arcere perfrigerationem, cuius minimus saepe gradus diaphoresi reprimenda sufficit. Temperatura, quae inter 24° et 28° thermoscopii Reaumuriani versatur, aegris plerisque grata et proficia. — In casu debilitatis torpidae a balneis libenter abstinemus, tum quod haud raro vires adhuc magis prosternunt, tum quod aegri in solio residere nequeunt.

1172. Reliqua diaetetics praecepta summam aegri munditiem servare, impressiones ingratas avertere, delectationibus amoenis et cohortationibus amicis mentem, per vices titubantem, revocare et animum exhilarare, omnesque cogitationes negotiosas protinus circumcidere jubent.

1173. Convalescentibus ejusmodi regimen vitae tanto magis necessarium sit, quia virium detritarum causa nonnisi lento passu ad pristinum valitudinis vigorem inclinare solent, atque non raro in viribus recuperandis septimanas, imo menses consumunt. Eximia quoque ad refectionem accelerandam praesidia sunt vina medicata e cortice peruviano, marte et cinamommo confecta et digesta.

GENUS IV.

FEBRIUM CONTINUARUM.

FEBRES CHARACTERE GASTRICO.

Frid. Hildebrandt's Geschichte der Unreinigkeiten im Magen und in den Gedärmen, 3 Bände. Braunschweig 1789 — 1790.

Wedeckind, de morborum primarum viarum vera notitia et curatione. Norimb. 1792.

Gramberg, de vera notione et cura morborum primarum viarum Comment. Erlang. 1793.

Dömling, Diss. morborum gastrorum acutorum pathologia. Wiceb. 1797.

Lentin, momenta quaedam generaliora circa febris gastricae distinctionem et medelam. Goett. 1798.

Hecker, Diss. de febre gastrica. Erf. 1800.

G. A. Richter, Darstellung des Wesens, der Erkenntniss, und Behandlung der gastrischen Fieber. Halle und Berlin 1812.

Pemberton, pract. Abhandlung über verschiedene Krankheiten des Unterleibes. A. d. Engl. von Busch. Bremen 1817.

1174. Quamlibet febrem, sive criticam, sive symptomaticam, intermittentem aut continuam; cui eminens passio systematis gastro-enterici, seu officinae digestionis, cum abnormi collectione sordium comes it, gastricam compellare licet Ballonio antesignano. Syndrome symptomatum et mutationum, quae impuritatibus primarum viarum, qualiscunque demum naturae

fuerint, producuntur et foventur, practicis character gastricus, sive gastrismus (*αγασπίζω*, ventriculum repleo) audit. — Plures febres, quae apud veteres Synochi imputris nomine occurrunt, huc referri debent. Compellationes febris intestinalis ab Heistero, febris mesentericae a Baglivio, et febris remittentis autumnalis a Pringleo usurpatae, rei exprimendae minus sunt idoneae.

1175. Prouti olim medicorum plurimi nimium impuritatum habuerunt respectum, infamiam, quam cloaca intestinalis alioquin jam a natura sortita est, citra modum exaggerarunt, atque vix ullum in praxi dari posse morbum opinabantur, qui sine saburra incederet (vivit hodieque medicus Mediolanensis, qui omnes morbos e veribus oriri proclamat!); — ita alii ab illo inde tempore, quo prima nevropathologiae fundamenta posita fuere, in contrariam abiverunt sententiam, Jac. Winslowii sequentes exemplum, qui flexis genibus Numina imploravit, quotiescumque purgans tentaret remedium, ne aegrum nimis debilitet. Qui medium inter duo extrema premunt semitam, errorum praecipitum tutissime vitabunt.

1176. Duplex universim inter febrem et gastrismum viget relatio: 1) Vel enim materiae peccantes, quae in ventriculo et intestinis nidulantur, causam febris si non unicum, praecipuam saltem praebent; febris gastrica ex sa-

burra, febris gastrica legitima, sive secundaria. — 2) Vel vero et motus febriles, et sordes ipsae coëffectum sistunt ejusdem causae occasionalis, atque metamorphoseos morbosae in organismo productae; *febres gastricae cum saburra, febres gastricae primariae, aliis illegitima.* — Character gastricus, qui nullum prorsus nexus cum febre, ejusque causa procatareтика agnoscit, meram efficit complicationem accidentalem.

1177. Symptomata generalia, e quibus gastrismi diagnosis eruitur, non solum in organis primitus affectis, sed etiam in partibus remotis, per consensum patientibus, exstant, quare commode in idiopathica et sympathica dispesci possunt. Prioribus v.g. nausea, vomitus, gastrodynia, tormina ventris, diarrhoea; posterioribus cephalaea, vertigo, linguae impuritas, ephidrosis, exanthemata adnumeranda essent.

1178. Ast multo magis essentialiem differentiam characteris gastrici phaenomena offerunt, prouti materies heterogeneae ventriculum et duodenum infestant, vel vero inferiores tractus intestinalis provincias inhabitant. Pro hacce diversitate sedis, quae principalem in medendo meretur respectum, medici sordes nunc sursum, nunc deorsum turgescere dicunt.

1179. Signa sordium sursum turgentium sunt: capitis dolor gravis, acutus vel obtusus, frontalis, orbitalis, vertigo, capiple-

nium, lingua sordido scatens tegmine; anorexia; sapor oris pravus; apositia; nausea continua; vomituritiones; ructus crebri et grave olen tes; vomitus spontaneus materiae in stomacho nindulantis; praecordiorum oppressio et inflatio; anxietas epigastrica; animus incomis et morosus; languor insignis et dysphoria sui generis.

1180. Deorsum turgentes sordes indicant: abdomen plenum, durum, tensum; dolores colici; oppilatio alvi, vel contra diarrhoea spontanea; borborigmi, meteorismus, flatuum foetentium cum quodam levamine secessus; urina turbida, jumentaria; artuum inferiorum defatigatio et torpor; sudores nidorosi; exanthes mata symptomatica, urticaria, hidroa, miliaria. Speciales symptomatum gastrorum modificatio nes determinantur a qualitate materiae peccantis, et contemporali diversorum organorum passione, quas infra, de potioribus febrium gastricarum formis locuturi, singillatim interpretabimur.

1181. Nulla existit impuritatum species, gastrismo producendo par, quae stimulum non praaberet positivum; quapropter etiam febres inde oriundae semper cum virium exorbitantia incedunt, nunc moderata, nunc enormi. Hujus cognitio facile desumitur e thermopoësi et humorum orgasmo incitato, nec non e pulsibus acceleratis, plenis, et efficacibus, quandoque plane suppressis. Omnis itaque febris gastrica, saltem in exordio, irritativa, seu febris vasorum dici

debet, inflammatoriae nomine tamen tunc solum digna, ubi simul diathesis phlogistica, vel topica cuiusdam organi phlogosis in connubio fuerit. —

1182. Insuper nullum concipi potest universae incitationis augmentum, quod ex organo quodam egrediatur, nisi ipsum illud organon irritamenti effectus expertum esset; hinc febres gastricae a topica fistulae cibariae irritatione, per quantum levis sit, quae mox effectum, mox causam colluvie saburralis sistit, alienae supponi nequeunt. Cavendum vero, ne hicce status irritationis, sive simplicis congestionis activae (Reitzung), cum vera confundatur phlogosi, quemquidem errorem multi neotericorum pathologiae reformatorum evitare nesciverunt.

1183. Quidquid a naturali indole et copia alienum in ventriculo et intestinis nidulatur et deponitur, eorum parietes quantitate vel qualitate peccante offendit, simulque processum digestonis, chylificationis et copropoieseos (*ὑοπόσ*, stercus et *ποίεω* conficio) perturbat ac laedit, ita ut harmonicus concentus inter continentia et contenta subvertatur, continentium vitalitas nempe et contentorum crasis alteretur, horumque adsimilatio, vel excretio praestabilita impediatur, — omne id impuritatis morbosae, sordis gastricae, sive saburrae nomine insigniri solet, atque gastrismo progignendo idoneum est. Inde jam liquet, principem sordium gastricarum actionem in organismum dynamico-chemicam esse.

Haase, Diss. de saburra. Lips. 1786.

1184. Fomites morbidi, qui tractum alimentarem infarciunt et contaminant, vel forinsecus introducuntur, infinitas qualitates offerre valentes, vel vero in penetralibus morbosae secretionis ope generantur, ad totidem species reducendi, quot in cavum ventriculi et intestinorum influunt secretionum fontes. In primo casu **saburra**, quoad originem **primaria**, proximam efficit febris causam, neque necessarium est, ut morbosa quaedam partium continentium metamorphosis antecedat, unde ejusmodi febris *nat' εξιχνια* **saburralis** appellatur. — In secundo contra casu semper pathologicus status parietum fistulae cibariae, vel organorum succenturiatorum, in primis jecinoris praecedit, quem febris haud raro ab omni initio comitatur, colluvies autem gastrica nonnisi tamquam effectus secundarius, utut inevitabilis sequitur, **saburra secundaria**, qua etiam amota, febris tamen non desinit. Juxta diversitatem humoris morbose secreti, bilis, pituitae, vel succi gastrico-enterici, tres potiores occurunt febrium gastricarum species, videlicet **febris biliosa**, **febris gastrica cum saburra pituitosa**, et **febris gastrica cum saburra serosobiliformi**, quibus nonnulli adhuc **febrem verminosam**, ceu pituitosae varietatem, adnumerant.

1185. Si quidam neoterici gastrismum adfecatum mere topicum declarant, id nonnisi de pri-

mario jure adserere poterunt; gastrismus enim secundarius saepissime ex universali proficiscitur diathesi, biliosa, aut catarrhali, praesertim si epidemicae originis fuerit, atque perperam locale vitium ob eam tantum rationem haberetur, quod status irritationis in hepate, aut intestinis essentiam morbi constituit.

1186. **D e c u r s u s** febrium gastricarum in genere diversus esse consuevit; nonnullae enim sordibus evacuatis extemplo cessant, (ephemerae) uti febris ex indigestione; aliae communiter inter septimum et decimum quartum diem solvuntur (acutae), uti biliosae; aliae denuo ultra vi cesimum haud raro diem porriguntur (lentae) v. g. pituitosae: Id tamen sibi privum habent, omnes quod inter manifestas exacerbationes et remissiones incedunt, sola fors febre inflammatorio - biliosa excepta, quae ad continentem inclinat decursum.

1187. **E x i t u s** a varia sordium indole, nec non a contemporali virium vitalium et organorum nobiliorum labe diriguntur. In febribus gastricis symptomaticis salus omni die restitui potest, causa amota. Multo tamen crebrius sana- tionis opus criticis eget moliminibus, quibus be- neficas evacuationes per vomitum, per alvum, vel per sudores cientur. — Quamvis febres gastricae mortem directe non machinentur, exitiales haud raro evadunt mediantibus illis statibus morbosis jecinoris, aut intestinorum, qui proximam sa-

burrae ipsiusque febris causam suppeditant, vel etiam ob funestum transitum in characterem nervosum, aut septicum. — Inter post huma communiora eminent chronici languores virium digerentium, gastrodyniae, diarrhoeae, et varia cachexiarum genera.

1188. Cardines therapeutici versantur in evacuatione saburrae per aptas vias ope emeticorum, purgantium, vel emeto-catharticorum; in correctione morbosae labis viscerum abdominalium, continuam saburrae genesin foventis, quod pro casuum diversitate sedantibus, solvendibus, tonicis aut visceralibus obtinetur; in justo moderamine virium vitalium, ut optatas adsequi valeant crises. Quae morbo superato remanet digestionis imbecillitas, roborantia et aptae diaetae selectum depositit, quo simul recidiva optime vitatur. Methodus expectativa in hocce febriuni genere longe minoris est praestantiae; imo nimia medici oscitantia saepe aegros praecipitat.

1. FEBRIS SABURRALIS.

Bartholinus, Diss. de cruditate ventriculi, seu fermentatione alimentorum laesa. Hafn. 1685.

Meibom, Diss. de cruditatibus ventriculi. Helmst. 1735.

Roussel, Diss. de indigestionibus. Arg. 1779.

Charleville, Diss. de febre gastrica symptomatica. Hal. 1785.

Aubenton, Abhandlung über die Unverdaulichkeiten. Wien 1807.

1189. Febris continua remittens, mox critica, mox symptomatica, quae praevalente passione

systematis gastro-enterici stipatur, et ex impuritatibus primarum viarum forinsecus illatis eum in modum procedit, ut istae causam unicam et proximam illius efficiant, febris gastrica legitima, febris ex indigestione, febris ex saburra, sive gastrico-saburrallis vocatur (Unreinigkeitsfieber, Fieber aus Magen-überladung), quod idem ac febrem ex abnormi officinae digerentis repletione significat; saburrae enim nomine venit illa arena crassior et vilior, qua naves et globi aërostatici onerari usque ad certam mensuram, quo stabiliores sint, consuescunt (Ballast).

1190. Conditio pathologica, quam parietes primarum viarum patiuntur, variat pro diversa saburrae qualitate, et aegrotantis constitutione; nunc enim in statu irritationis subinflammatoriae, nunc in affectione nervosa, spastica vel dolorosa, nunc in suppressione virium systematis splanchnici, ita ut contenta neque subigere, neque ulterius promovere et eliminare rato tempore possint. Ejusmodi indigestio, aut cruditas primarum viarum, praesertim si in principio versatur, vel levioris gradus est, haud raro absque omni febre incedit.

HYPOTYPOSIS.

1191. Incipit ab anorexia, nausea, ciborum aversatione, dolore capitis, sensu oppressionis, gravedinis, tensionis ad epigastrium, a ructibus,

qui indolem materiae stomachum gravantis redolent, nunc acidis, nunc rancidis cum pyrosi conjunctis, nunc putridis, ovorum fracescentium putori simillimis. Oris sapor pravus et teter secundum diversas saburras variat, mucidus, limosus, acris, amarus, austerus, subdulcis, putris; quem aegri praesertim sub eructando, vel dum quid ore sumunt, persentiunt. Lingua sordibus obducta ventriculum et intestina pari ratione polluta esse indicat; si parca fuerit colluvies, radix linguae tantum, apice mundo, mucosum offert tegmen, quod una cum papillis nerveis magis prominentibus stratum byssso haud absimile format (lingua villosa). Ocyus seriusve febries incenduntur turbae; praeviis utpote horripilationibus vagis aestus subinrat urens cum turgore universali, capitis gravedine vel dolore acuto, siti molestissima, sensu ardoris intestini, anxietate, spiritu brevi, pulsibusque acceleratis, plenis, fortibus et liberis, saepius tamen suppressis et fictitie debilibus, quandoque inordinatis.

1192. Licet symptomata febrilia, quae vespertinis horis insigniter exacerbantur, versus auroram notabile capiant decrementum, gastrica tamen incommoda nonnisi paucas relinquunt inducias, indies crescunt, ac numero augentur. Oppletiō nem praecordiorum tamquam ex pondere illato, vera gastrodynia, inflationem ventris colici dolores excipiunt, quo praeter saburrae acredinem et molem etiam aëris elastici reclusio plurimum con-

fert; inde meteorismus, borborygmi, et flatuum, hepar sulfuris redolentium, per anum secessus levans. Urgente continuo nausea spontaneus cietur vomitus, cuius ope ipsi fomites peccantes, vel indigesti et crudi, vel in speciem chymosae pul- tis jam reducti, ac secretoriis liquoribus primarum viarum, bile, succo gastrico, aut muco remisti rejiciuntur, quod quidem non sine levamine fieri solet. Vomitus, qui ab intestinis obrutis et irritatis per consensum excitatur, plurimum inanis, multoque molestior est. — Alvus modo oppilata, modo laxa eum in modum observatur, ut contenta intestinorum raptim per anum ruant, quin necessariam prius subiverint coctionem, quod symptoma practicis lienteria vocatur. Gravioribus in casibus ipsa cholera, vomitus nempe cum diarrhoea conjunctus, aegros praecipitat. Singulis hisce ecclisium formis, ut ab analogis distingui possint, epitheton *saburralis* additur.

1193. Inter symptomata sympathica sordium, in ventriculo nidulantium, maxime urget cephalalgia, quae in hoc morbo notam fecerit esse essentiale reddit, quatenus etiam in casibus febris gastricae levioris tantam adtingit vehementiam, ut dolores in fronte quasi rimentur, et aeger de sensu obtuso, tamquam ex lamina lignea fronti oblata, conqueratur, ac a quavis vel levissima oculorum aut mentis intentione male habeat. Quandoque plane delirium et coma sequi visa sunt. Artuum inferiorum dedolatio et dolor obtusus aegrum reddit

corporis motum. Urina mittitur parca, turbida et lutosa, qualem jumenta mejunt. Sudores nidorosi per vices cutem cum transitorio levamine irrorant, ast brevi dissipantur, nisi spontaneis naturae conatibus, vel artis auxilio morbus vincatur. Haud infrequens demum est erysipelatis vagi, aut exanthematis urticati eruptio.

1194. Quousque febris saburrallis merum symptoma morbidi fomitis, primas vias gravantis et extimulantis, fuerit, omni momento desinere potest, causa ablata; unde fit, ut interdum mere ephemera habeat existentiam, uti esset febris transitoria bibonum et mandonum. Si vero neglecta cruditatum eductione, quaedam principia nociva ad secundas devehantur vias, e morbo primitus locali nascitur universalis, alteratur vegetationis processus, atque febris initio symptomatica in criticam vertitur, quae truncari nequit, nisi praefinitum excurrat cyclum, septimo plerumque die per industria, vel per matulam solvenda. — Non credimus quandam de resorptione elementorum nocivorum ac de vitiata inde sanguinis crassi dubitatur esse, qui enim variam chyli indolem perpendit, prout animalia vel carneo, vel vegetabili vescantur cibo, simulque manifestissimas totius substantiae organicae immutationes considerat, quas v. g. scrofae, et anseres placentis lineis saginati, vel aves piscibus viventes offerunt, rem abunde illustratam habebit. Quo longior fuerit materiae peccantis in intestinis mora, quae haud

raro incredibili ratione ad plures extenditur septimanas, eo facilior erit resorptioni occasio.

AETIOLOGIA ET NOSOGENIA.

1195. Indigestionis ac febris saburrallis ortui favent: compages corporis laxa; mobilitas systematis nervosi major, virium digerentium imbecillitas, quam, nisi congenita fuerit, remotiori intuitu diversa adducunt momenta, uti luxuria in epulis, crapulae repetitae, protractus usus aquarum soteriarum, seri lactis, potionum mucilaginosarum, remediorum purgantium, resolventium, abusus dulcium; meditationes intensae, animi perturbationes deprimentes; vitia organica hepatis, et bilis iners; hypochondriasis; diathesis haemorrhoidalnis; vita deses; aër inclusus, humidus, nebulosus, palustris; febres intermittentes diurnae, calor aestivus; quae omnia eo conspirant, ut robur vis coetricis ventriculi prosternant.

1196. Causae occasionales ad sequentes reduci possunt: 1) Cibus et potus dyspeptus, pravus, iniqua copia ingestus. 2) Medicamenta ventriculi viribus non subigenda. 3) Venena. 4) Humores in tubo alimentari morbose secreti, vel aliunde depluentes. 5) Stercus. — Retenta, quae mechanico potius modo parietes primarum viarum offendunt, uti gas elasticum, calculi, nuclei cerasorum, aliaque heterogenea a polyphagis degluta, varias quidem producere valebunt molestias, characterem gastricum vero non excitant,

nisi prius adcumulationem abnormem succorum intestinalium, aut faecum determinaverint. Helmintiasis ipsa eo tantum intuitu gastricis morbis accenseri potest, quatenus constantur pituitosa stipatur colluvie.

1197. Ut cibi et potus naturale dici possint incitamentum, determinata quaedam eos inter et vires digerentes requiritur relatio dynamico - chemica, qua posita particulae altiles adsimilantur, superfluae excutiuntur. Quamprimum vero reciproca illa adfinitas tollitur, sive causa sublatae indifferentiae in languidiori adparatus digestorii reactione, sive in quantitate immodica, aut qualitate abnormi ingestorum lateat, — cruditates nascuntur, quae jam morbosum suppeditant stimulum. Intelligitur inde gastrismi originem neque ex sola tubi alimentaris labe, neque ex solo nutrimentorum vitio, sed pro circumstantiarum varietate modo in uno, modo in altero, creberrime autem in utroque fonte esse querendam, ea solum cum differentia, quod labes partium continentium momentum disponens, vitia contentorum vero momentum occasionale characteris gastrici suppeditent. — Omnia illa principia, quae subigi, concoqui et in chylum animalem converti nequeunt, sensiles ventriculi et intestinorum parietes citra normam extimulant, aequabilem vis nervosae dispensationem perturbant, insolitas reactiones carent, talique pacto cuncta illa procreant symptomata, quae characterem gastricum componunt.

1198. **C**orruptio ingestorum triplici ex ratione procedit: 1) E quantitate adeo excessiva, ut neque a robustissimo stomacho subigi possit. 2) E copia viribus digerentibus relative superiore; quae enim adultis, firmis et mandonibus adaequata es- set, pusionibus, valeſudinariis et sobriis facile noxas parit. 3) Ex inepta alimentorum copula, eorumque qualitate prava, vel saltem naturae hominis minus homogenea, unde fit, ut digestio- nis imperio sese subducant, abnormes combina- tiones ineant, atque in penetralibus fermentando spontaneam degenerationem patiantur, si quidem jam corrupta stomachum non subiverint.

1199. In determinandis nutrimentorum diver- sare qualitatis damnis plurimum influit consuetu- dinis ratio, quae mox individualis, mox popularis dici potest; in primo casu a sobrietate, intempe- rantia, miseria, luxuria, vivendi ratione, cibo- rum delectu; in secundo contra a climate, anni tempore, vel demum a legibus publicis religionis dominantis et constitutionis politicae modificatur. In Japonia, Aegypto et China victum animalem minus conducere plurium seculorum observatio evi- cit, quare certis, minusque salubribus carnium speciebus uti lege proscriptum est. Groenlandiae contra incolas rancido balenarum adipe impunes vesci, notum est. Regionibus hyperboreis usus carnis, zonae torridae poma et olera magis con- veniunt. Quod etiam in nostro climate magis mo- derato aestate vegetabilis, hyeme animalis melius

proficiat alimonia, quotidiana quemlibet docet experientia.

1200. Si alimenta viribus digestricibus subigi ac in homogeneam naturae individuae congruam massam (chymum et chylum) converti nequeunt, in fermentationem sibi propriam ruunt; elementa constitutiva dissiliunt, separantur, libera fiunt, vel recentes miscelas et formas ineunt, ipsique colluviei, justo diutius retentae, proprios impertinent characteres, quos quidem innumeros esse posse non inficiamus, commode tamen ad tria genera reducendos credimus, prouti vel ad oxygenatam, vel ad phlogisticam, polo chemico alterutro praevalente, vel vero ad neutram, polis ferme semet elidentibus, naturam inclinant.

1201. **Saburra acida** nascitur ex usu omnium illarum substantiarum, in quibus acidum quoddam jamjam evolutum exstat, vel quae ex sua natura in acidam nituntur fermentationem, si vires digerentes abnorme oxygenii dissidium prævertere nequeunt. Poma acerba et immatura, lac butyro inops, vel jam coagulatum, cerevisia et vinum multo scatens tartaro, potiores sistunt acidi primarum viarum causas. Potest ratio genescos saburrae acidæ etiam in excessiva oxydatione succi gastrici latere, cui remotiori intuitu variae organismi constitutiones morbosae opitulantur, unde eminens quorundam hominum hypochondriacorum, hystericarum, chloroticarum, et infantum eruitur in hoc saburrae genus proclivitas.

1202. Si sub iisdem conditionibus organismi, quae acido primarum viarum obsecundant, oleosa et pingua ingeruntur, haec decomponi et cum reliquis substantiis nutriciis uniri cunctantur, sed varium oxyseos gradum contrahunt, rancidam que saburram gignunt, haud infrequentem febrium gastricarum prophasin.

1203. Quemadmodum materiae vegetabiles in acidam, ita animales in putridam nituntur fermentationem, uberiori principiorum phlogisticorum, et speciatim azoti evolutione distinctam. Hasce impuritates putridas, acidis e diametro oppositas, praे aliis generant carnes corruptae, anserinae, suillae, ferinae, farcimina, ova cocta, pisces, ostreæ, mituli.

1204. Aliud sordium genus inducitur usu substantiarum tam vegetabilium, quam animalium, glutine, albumine, amylo, saccharo, aut mucilagine scatentium, uti essent panis male pistus, epulae farinaceae, leguminum semina, caseus, dulcia etc., quae primas vias saepe diu gravant, quin vel in acidam, vel in putridam fermentationem transeant. Haecce saburra, quam glutinosam vocamus, quum nullius elementi chemico-polaris praedominium offerat, neutram ferme agnoscit naturam, ac ideo vix unquam febres graves incendit; tanto crebrius vero processum vegetativum alterat, atque proprium cacotrophiae genus parit, pueris maxime commune, quod cachexiae pituitosac nomine notum est.

1205. Secundam, praeter cibos et potus, februm saburralium scaturiginem praebent diversae substantiae, medicaminum titulo porrectae, praesertim oleosa, mucilaginosa, linctus dulces, cortices adstringentes quercus, vel chinae, glandes quernea, limatura ferri, aut stanni, et similia. Ejusmodi saburra medicamentosa haud raro funestam aliorum morborum complicationem efficit, maxima medici adtentione dignam.

1206. Venena periculosissimas in primis viis suscitant turbas, quarum tamen syndrome toxicationis potius, quam gastrismi nomine insignienda. Non desunt tamen et casus toxicationis diaeteticae, si dicere fas est, ubi nempe symptomata beneficii cum illis saburrae copulantur. Panis, quem farina ingreditur secali cornuto, ustilagine, aut seminibus virosis lolii temulenti commixta, aliave ratione corrupta, morbum cerealem convulsivum producit, quem in exordio semper signa saburrae comitantur. Alia exempla praebent usus fungorum venenatorum, quorundam piscium, mitulorum, atque farcimum fumo impregnatorum, in quibus nuper venenum sui generis detectum fuit (1) (Wurstgift), medium fere, ut saltem ex effectibus videtur, inter venena narcotica, acidum hydrocyanicum, et acetum pyro-lignosum tenens locum. (An fors acidum sebacicum degeneratum?)

(1) Kerner, neue Beobachtungen über die in Würtemberg

so häufig vorfallenden tödtlichen Vergiftungen durch den Genuss geräucherter Würste. Tübing. 1820.

1207. *Varii humores animales secreti, si majori copia, vel acri qualitate ventriculi et intestinorum parictes extimulant, viriumque digerentium potestatem ita superant, ut neque concoqui, neque eliminari possint, omnis alius heterogeneae molis instar gastrismum primarium et febrem saburralem incendere valebunt, uti bilis per iram aut febrem vehementiorem mota, in primis cystica, sanguis, pus, ichor, mucus ex ore, vel faucibus ad stomachum delata. Pro diversa humoris secreti natura, ejusmodi saburra diutius stagnans mox ad putridam (uti bilis et ichor), mox ad glutinosam (mucus et saliva) inclinabit.*

1208. *Adcumulatas tandem in cloaca intestinali faeces sufficiens pro gastrismi et febris ortu irritamentum suppeditare posse, et ratio suadet, et experientia confirmat; quo diutius enim retinentur, eo altiorem fermentatio septica jam inchoata gradum adipiscitur.*

1209. *Jam e causarum conspectu patet, febres saburrales semper sporadic as esse, e domesticis utpote ac privatis injuriis oriundas, nisi absque jure epidemicas dicere vellemus eas, quae tempore bacchanali, occasione paganulum obcibriora per populum convivia, et crapulas, vel ordiente aestate, dum poma maturescere incipiunt, aequo frequentius observari solent. Pari ratione immerito endemicum diceres characterem gastri-*

cum, qui accolis maritimorum septentrionis orarum ideo familiaris est, quod penuriae ac rigidi climatis gratia solis piscibus et molluscis vesci coguntur, salubriori pabulo destituti.

TERMINATIONES.

1210. Febris saburrallis haud raro absque ullo medicamento primis jam momentis dissipatur, si nempe vires digerentes vigore plenae peccantem materiem subigere, vel spontaneo conatu per emesin, aut subter ex alvo evacuare valent. Sin vero quaedam principia noxia, in massam circuli resorpta, criticam incendissent febrem (§. 1193), sanationis opus quidem medicatrici naturae potissimum incumbit, quam rite adjuvare medici est, obtineri tamen nequibit, nisi praefinitum instet maturae aetatis momentum. Vomitus et diarrhoea, quibus residuae infesti hospitis particulae excutiuntur, ac laesa tubi alimentaris munia ad pristinum restituuntur, denique sudores largi, acidum spirantes, atque urinae hypostaticae potiores sistunt criseos salubris comites.

1211. Morbus gravis, pervicax, neglectus, aut perverse tractatus characterem et formam mutat, hujusque diadoches causa haud raro exitialis evadit. — Transit autem: 1) In characterem nervosum, si vires ventriculi et intestinorum nimis diu suppressae et non liberatae labi occipiunt, generalem brevi post se trahentes astheniam. — 2) In characterem septicum;

maxime si saburrae ingenium jam tale fuerit, quod liquationi putridae faveat. — 3) In characterem inflammatorium, et inflammaciones topicas ventriculi et intestinorum, si fo-
mes peccans vel ex sua natura jam acris, vel vero mora et degeneratione summe irritantem contra-
xerit qualitatem.

1212. Conditiones praecipuas, quae ad fune-
stas hasce febrium saburrallum metaptoes con-
tribuunt, sequentibus perstringimus: 1) Prava
subjecti aegrotantis ante morbum constitutio. 2)
Materiae peccantis indoles perfida, ac si aliquid
venenosi, vel virulenti ei inhaereret, uti v. g. in
mitulis, piscibus corruptis, farciminibus vetustis,
lardo fracescente observare licet. 3) Neglecta in
principio saburrae evacuatio. 4) Ineptus usus sti-
mulantium, vel adstringentium. — 5) Epigene-
mata infausta, uti tristis nuntius, infectio conta-
giosa, error diaeteticus etc.

1213. Quae perfectam resolutionem recusant,
febres e repletione stomachi oriundae, libenter
in chronicas culinae animalis labes convertuntur,
quas inter languor varie intensus virium digeren-
tium, dyspepsia, bradypepsia, apepsia et lien-
teria, gastrodynia perennis, vel spasmodica per
vices recurrens, flatulentia molesta, proclivitas
ad stypsin vel diarhoeam, atque hypochondria-
seos initia communiores esse consuescant. Quan-
doque tamen pravi effectus ultra tubum cibarium
extenduntur, atque vegetationis processum diver-

simode alterant, unde variae cachexiarum formae, blennosis, scrofula mesenterica, hydrops, scorbutus, tabes.

1214. Directam mortem raro parit saburra, nisi nimia quantitate ventriculum opplendo, et sanguinis ab encephalo refluxum praepediendo apoplexiam sanguineam, vel venenosæ qualitatis causa systema sensitivum pessundando apoplexiam nervosam inducat. Multo crebrius mutato febris charactere, vel posthumis diutinis letum machinatur.

PROGNOSIS.

1215. Febris gastrica, simplici ore ingestae cruditati ortum debens, spe ferme certa sationis consolatur, nisi prava quaedam subjecti constitutio, aut morbi in principio negligentia exoptatae renitatur resolutioni. Pessime a lahe saburrali habent puerperae, et febres acutas paulo ante perpessi. Milites e typho castrensi jucunde revalescentes, quos hodie adhuc nosocomium brevi derelicturos credidimus, ob nefastam stomachi repletionem vero jam crastino die cum morte collectari vidimus. In casibus minus infiustis repletiones incautae convalescentium post huma fatalia relinquunt, vel taediosam duntaxat reddunt virium refectionem. Difficilius pristinam salutem recuperant individua, quae organicis viscerum detinentur vitiis, vel quae rodente quodam opprimuntur pathemate.— Aegri, qui inguvie seducti semet ingurgitant, saburram sa-

burrac addendo, semper in periculo versantur. Si morbus perversa methodo, maxime stimulantibus, adstringentibus, aut narcoticis tractatus fuerit, pessimas anomalias inducere, ac in characterem nervosum aut septicum transire solet, quapropter funestum ominatur exitum. Ipsa demum saburrae qualitas varium determinat discriminis gradum; putrida et toxica inter omnes maximo terret metu.

THERAPIA.

1216. Indicationes therapeuticae in febribus saburralibus tuto persanandis sequentia respiciunt: 1) Heterogeneam molem eliminare. 2) Qualitatem iniquam contentorum corrigere. 3) Statum irritationis localis et universalis compescere. 4) Residuam, · mórbō superato, tubi alimentaris atoniam et debilitatem tollere.

1. DE SABURRIS EVACUANDIS.

1217. Saburrae eductio dupli obtineri potest via, per vomitum nempe, et per alvum. Priori emetica, alteri cathartica respondent, quorum tamen delectus nullatenus indifferens a diversa impuritatum sede, sive a sorribus, ut ajunt, mobilibus sursum aut deorsum turgescentibus determinatur. In omnibus tamen casibus, in quibus emesis requirebatur, hac effecta lubenter purgantium ope residua morbi persequimur, talique pacto per emeto-catharsis in sanationis scopum tanto securius adtingimus.

1218. Ad emesin ciendam radix ipecacuanhae tartaro emetico nupta praesentissimum offers remedium. Dosis aegrotantis aetati et sensitati erit adcommodanda; pro adultis pulvisculus e viginti granis ipecacuanhae et granulo tartari stibiati confectus praestat. Ubi alvum una laxare convenit, tria quatuorve stibii tartarisati grana in totidem aquae destillatae unciis soluta praeferuntur, per epicrasin porrigenda, donec stomachus convellatur. In subjectis ad vomitum minus proclivibus et torpidis perfecta et fortior jubeatur dosis; parciori enim haud raro emeses loco alvisfluxus cietur: — Promotis nauseis, ac imminente vomituritione (Recken) aquam tepidulam simplicem aut mellitam, aliudve infusum theatum adfatum sorbillandum suademus, quo non solum vomitus facilior redditur, minusque dolorosae redduntur successiones, sed etiam acrior saburrae qualitas temperatur et stomachi irritatio lenitur.

1219. Quatenus materies forinsecus exceptae omnium primo in ventriculum adpellunt, ibique haud raro per sat longum tempus retinentur; etenus emeticorum necessitas maxime in morbi et curae principio urget. Ea ratione, qua saburrae ad intestina descendunt, ab illis desistendum esse, ratio dictat. Quodsi aeger, longiori jam tempore alvo suffusus, emeticum postulat, ante omnia diarrhoeam emulsis gummosis, clysteribus ex decocto seminum lini, ex infuso florum chamomillae cum

mucilagine gummi arabici et paucis tincturæ thebaicae guttulis, vel, suadente Stollio, plena dosi theriacæ (drachma una, vel duabus) reprimere oportet. Hoc praemissso post unius, alteriusve horæ intercapedinem vomitus radicis ipecacuanhae ope cieri poterit. In casu comitis plethorae, aut congestionis sanguinæ versus encephalon, venaesectio praemittitur. Debilitatis consortium maxima indiget in vomitu excitando circumspectione.

1220. Alterum evacuationis modum perficiunt cathartica, quorum usum ad sequentes extendimus casus: 1) Si morbus adeo levis est, ut emesin periclitari supervacaneum foret. 2) Si per vomitum consulto citum non omnis abigitur symptomatum gastrorum series. 3) Si fomes sabburalis, utut in stomacho residens, ac sursum turgescens, ob consortium circumstantiarum emesin prohibentium, inflammationis, haemorrhagiae, graviditatis, puerperii, oppilationis alvi pertinacis, herniacæ, etc. proxima via exuti nequit. 4) Si materiae peccantes in intestinis nidulantur, quod e signis sordium deorsum turgentium innotescit, contrario enim in casu purgantia febrem exasperant, quam emeticum uno quasi ictu jugulat.

Voelkers, Diss. de intempestivo evacuantium usu in febribus gastricis. Goett. 1794.

1221. Exclusis remediis drasticis, quae in febribus gastricis ob incitationem vitalem auctam,

atque haud infrequentem irritationem topicam membranae mucosae tubi alimentaris vix unquam conducunt, (nisi torpida excipiamus individua), vastissima medenti patet medicamentorum purgantium caterva, quorum alia mitissimo modo alvum reserant (eccoproticā), alia lenitatum stimulo motum peristalticum promovendo, et secretiones humorū entericorum sollicitando, alvinas carent dejectiones (fortiora, sive laxantia). Nisi particularis vigeat intestinorum erethismus, vel phlogoseos adpareant indicia (gastritis vel enteritis saburralis), ab oleosis et dulcibus abstinemus; eis enim vires digestrices infirmantur, et non raro medicamentosa progignitur saburra.

1222. Quod specialem catharticorum selectum adtinet, hunc per eminentiam saburrae indoles determinare debet; tali enim ratione non solum eductio facilius et promptius obtinetur, verum etiam pravum fomitis nidulantis ingenium corrigitur, ac secundarii, qui inde saepe scaturiunt, effectus optime praecaventur. Cujuslibet generis purgantibus indiscriminatim uti velle, rudem redoleret empiriam. Ideo saburram acidam et rancidam magnesia, putrescentem cremore tartari, et fructibus tamarindorum, glutinosam salibus neutrīs, sulfate magnesiae, sodae aut potassae, infuso foliorum sennae, vel rhabarbarinis eliminare studemus.

1223. Circa doses et combinationes remediorum purgantium nulla stabiliri potest regula ge-

neralis, quum medendi ratio juxta variam subjecti constitutionem, intestinorum sensibilitatem, saburrae indolem et copiam, juxta diversam morbi formam, vehementiam et pertinaciam innumeris subjecta esse debeat modificationibus, medici prudentiae committendis. Id solum monuisse juabit, in cartharticorum usu summam requiri cautionem, organismum enim multo facilius ac emetica infirmant et exinaniant. Alviductionis scopum egregie promovent potiones diluentes, et clystères aperientes, vel leniter irritantes, quibus practici saburras mobiles reddi dicunt.

2. DE SABURRIS CORRICENDIS.

1224. Secundae indicationi curativae quodammodo jam respondent purgantia ipsa scite selecta; eam vero protinus explent illa remedia, quae suam ob indolem variis saburrae qualitatibus fere e diametro opponuntur, atque hoc intuitu non immerito corrigentia vocantur.

1225. Acidum primarum viarum optime emendant terrae absorbentes et alcalia, sive pura, sive acido carbonico copulata sint, hoc enim plerumque adeo laxam cum illis habet unionem, ut aliis generis acido accedente facillime avolet. Magnesia muriae, cancerorum lapides, ostracodermata, et sal tartari communiora essent absorbentia, quibus deficientibus etiam ovorum putamina contusa substitui poterunt. Infantibus, qui acido laborant, proficit pulvis e magnesia, radi-

cibus valerianae, iridis florentinae, liquiritiae et seminibus anisi, Hufelandii consilio conflatus. — Rancidae saburrae incommoda corrigit semina coffeeae arabicae tosta et ore masticata, saccharum, vel malum recens.

1226. Impuritatibus ad fermentationem putridam vergentibus occurrunt omnia acida, impribus vegetabilia gratiiora, qualia in pomis varii generis, eorumque succis expressis exstant, acidum citricum, et vinum acidulum, quibus cum aqua pura commixtis potiones parantur palato gratae, ac ad sitim fallendam perquam idoneae.

1227. Colluvies glutinosa et pituitosa temperatur salibus neutratis, substantiis saponaceis, amaricantibus et acribus, quem in finem vel sorbitiones ex decocto radicis graminis, aut taraxaci parari, vel ipsa cathartica salina cum extractis amaris, felle tauri, rheo, aut senna orientali combinari solent.

3. DE FEBRE MODERANDA.

1228. Motus febriles in casu morbi levioris, incipientis, ac simplicis jam ipsis illis pacantur remediis, quae causam efficientem removent, vel enervant. Quod si vero altior fuerit virium exorbitantiae gradus, vel plane diatheseos phlogisticae phaenomena succrescunt, largus requiritur potuum refrigerantium et adtenuantium usus. Aqua pura et frigidiuscula, vel cum pauxillo succi limoniorum et sacchari condita, quae pari tem-

pore materies peccantes diluendo, carum acredinem mulcet, cunctis potibus medicatis pal-
mam praeripit. Si tamen e penu pharmaceutica quid arrideat, decoctum graminis aut hordei,
parcae nitri et oxymellis copiae nuptum praestabit.
Venaesectionis necessitas vix unquam urget, nisi
contemporalis nobiliaris visceris inflammatio, aut
insignis plethora periculum minetur.

1229. Quousque febris omnino soluta non fuerit, a medendi methodo evacuante ac leniter antiphlogistica non erit desistendum; hac enim sola fomes morbidus excuti, vel saltem mobilis reddi, simulque ille moderatae virium exorbitantiae gradus conservari poterit, qui pro beneficis crisibus absolute requiritur. Neque in casu imminentis nevrastheniae, vel septorrhepsiae sordium circumspecta eductio negligenda, quae rhabarbarinis, grato aromate nuptis, optime praestatur.

4. DE PRIMIS VIIS FIRMANDIS.

1230. Quo pertinacior morbus, quo major continuatae alviductionis necessitas, et quo insignior jam ante febris saburralis ingressum debilitas primarum viarum fuerit, tanto facilius morbida in organis adfectis relinquitur atonia, et infirmitas, quam aptis auxiliis emendare oportet, ut desiderata quantocvus recuperari possit salus, simulque futurae recidivae metus, per quantum fieri licet, abigatur.

1231. Virium digerentium robur, intestino-

rumque tonum optime restituunt remedia amari-
cantia et aromatica, uti extractum trifolii fibrini,
absynthii, gentianae, infusum radicis calami aro-
matici, tinctura stomachica, elixirium viscerale,
cinamommum, liquor anodynus Hoffmanni, spi-
ritus nitri dulcis, et similia ad libitum medici
conflata, quibus refractae rhei doses cum emo-
lumento commisceri, vel interponi poterunt.
Decoctum granorum coffeae tostorum languido
stomacho non minus gratam, domesticam suppe-
ditat medicinam.

1232. Saepe saepius morbis saburralibus tanta
inducitur ventriculi sensilitas, ut non solum a
quavis vel minima ingestorum mole gravetur, sed
etiam maximam ad vomitum retineat proclivita-
tem. In hisce angustiis decoctum corticis peruviani,
praeparata martialia et opium saluberri-
mum exhibent effectum; ad refractas tamen re-
duci debent doses. Inter externa celebrantur fo-
menta ex herbis aromaticis et croco parata, praec-
cordiis superhabita; linimentum volatile inunc-
tum, vel electuarium theriaceae, forma scuti epi-
gastro admotum. Quibusdam et balnea tepida
suppetias ferunt.

D I A E T A.

1233. Victus rationem maximi momenti esse,
jam inde liquet, quod febres saburrales plerum-
que e victu pravo originem trahunt, ac in officina
digestoria focum passionis agnoscent. Quousque

sordes in stomacho resident, ab omni cibo abstinentum, quem aegri aliquin aversantur. Evacuato hospite infesto substantiae elegantur digestu facillimae, uti jura carnium levi aromate condita, meraca, vel cum pane trito commixta, poma vel pyra furnis tosta, olera teneriora, decocta mucilaginosa oryzae, vel hordei deglubati, ova sorbillia, gelatinæ vino subactæ, etc., quorum delectus denuo a saburrae ingenio vario dirigatur, oportet. Potulentorum summa necessitas, et ratio diversa jam ex supradictis elucescit.

1234. Febres saburrales, quae in tenellis ex acido primarum viarum oriuntur, principem lactis, ac proinde nutricis respectum postulant; ista vel erit mutanda, si nulla habetur lactis secretionem corrigendi spes, vel vero pusio prorsus ablactandus, ubi peculiaris adparet stomachi in lacte digerendo inertia.

1235. Morbo superato ad cardiacam et nutrimenti transire licet diaetam; aeger tamen effrauenem saepe vorandi cupidinem animo consulto suppressere et domare sciat; cibis multis simul ingestis semet nunquam impletat, sed per diem crebrius ad lubitum, nec per horas definitas ex illis quid degustet, quae a medico praescribuntur, et in quae haud raro salubri fertur instinctu. Vinum generosum ad pauca cochlearia porrectum princeps stomachicum dici meretur. — Reliqua ad regimen diaeteticum spectantia, uti aëris, motus, animi quies, meditationum fuga, somnus modera-

tus, licet minoris sint momenti, suam pariter ad promptiorem virium refectionem contribuunt symbolam.

1236. *Speciales curae modificationes, quas febris saburralis complicata, vel topicis affectiōibus comitata, ejusque symptomata molesta aut periculosa exigunt, ex universae pyretologiae tractatu, ac diversis hinc inde prolixius expositis regulis absque difficultate intelligi poterunt.*

2. FEBRIS BILIOSA SIVE GASTRO-HEPATICA.

Tissot, de febribus biliosis, seu historia epidemiae biliosae, Lausannensis Anni 1755. Laus. 1758.

Schröder, Diss. de amplitud. generis febrium biliosarum. Goett. 1766.

Schmid v. Bellikon, von Gallenfebern. Augsb. 1772.

Finke, de morbis biliosis anomalis. Monast. 1780.

Guideti, Diss. de febribus biliosis. Laus. 1788.

Goldwitz, neue Versuche über die Pathologie der Galle. Bamberg 1789.

Wieber's Diss. sistens discriminem inter febrem pituitosam et biliosam. Goett. 1790.

Meli, su le febbri biliose. Milano 1822.

Meli, su la condizione pathologica delle febbri biliose. Milano 1824.

1237. *Nomine febris biliosa (Gallenfeber, galliches Fieber), fors rectius gastro-hepaticae dicendae, intelligitur illa, quam eminens affectio systematis χολοποιῶν (felliferi), bilis exuberantis et qualitate alienatae major, quam par est, copia intestinis infusa, atque gastrismi inde oriundi phaenomena per totum decursum continentur. Febris asodes, lipyria, epiala et*

καυσος Veterum, Febris cholerica Frid. Hoffmanni, *synochus causonides* Gilberti, *Synocha ardens* Sauvagesii, *Cholepyra Swediauerii*, febris hepatica Richteri, totidem synonymas sistunt voces pro eadem febrium specie designanda creatas, quam, Stahlio, Tissoto, Selleo et Stollio praeeuntibus, vix non omnes nostrae aetatis medici lubentius biliosam vocitant.

1238. Prisci aevi observatorum attentionem effugere non potuit aegritudo, quae generi humano non solum coaetanea est, sed etiam epidemicum, definitis anni temporibus recurrens flagellum illarum mundi plagarum constituit, quae sub jugo caniculae, comburentes aestus vomentis, gemunt, et quas medicinae incunabula agnoscerre oportet. Hippocrates in libro Epidemicorum febres biliosas earumque varietates quadraginta duabus historiis ad unguem illustrat. — Galenus, Oribasius, Alexander Tralianus et Caelius Aurelianus amplis verbis summam bilis in febribus procreandis dignitatem proclamarunt. Quod seniori aeo, medecina fere tredecim saeculorum spatio sub servitute doctrinae Galeni oppressa, etiam pathologia febrium biliosarum pauca ceperit incrementa, nemo historiacae medicae fatorum gnarus mirabitur.

1239. Licet pyretologiae perfectio summis artis salutiferae restauratoribus, Frid. Hoffmanno, Stahlio et Boerhaavio plurimum in

acceptis referendum habeat; nihilo tamen minus inculta ferme mucuit febrium biliosarum sparta, donec splendidum ad Danubii ripas sidus tenebri- cosam dissipasset caliginem, incomparabilis ut pote Max. Stoll, medicis, Hippocraticam artem profitentibus, nondum mortuus, nec unquam moriturus, cujus aureae observationes (1) non pos- sunt perlegi, quin summi ingenii admirationem moveant. — Adtamen praetervidenda non sunt co- namina Cel. Pinelii (2), Prostii (3), Aliber- ti (4) et Tommasinii (5), quibus pathologia morborum biliosorum novum perfectionis gradum adepta est.

(1) Stoll, Ratio medendi Tom. I. et II. Ejusdem Aphoris- mi de cognoscendis et curandis febribus. §. 340—375.

(2) Pinel, Nosographie philosophique.

(3) Prost, Médecine éclairée par l'observation et l'ouver- ture des corps.

(4) Alibert, Nosologie naturelle etc. Tom. II. Gen. V.

(5) Tommasini, sulla febbre gialla americana, e sulle malattie di genio analogo.

1240. Jecinoris passio et redundantia bilis, quae essentiam febris biliosae efficiunt, jam abun- de indicant hujus focum in jecinore, et non in tubo enterico latere; eam tamen gastricis febribus vel ideo adnumerari debuisse, quod vitia bilis nec mo- mento persistere possint, quin tractus alimentaris in suis muneribus alteretur. Est autem febris bi- liosa mox symptomatica et secundaria, chrono- statui bilioso superveniens; mox sub- stantiva et primaria, ex iisdem, quae je-

cinoris adfectionem et polycholiam produxerunt, causis oriunda; prior ad lentum inclinat decursum; posterior semper acutum praebet adfectum.

1241. Nomine *polycholiae*, sive *diatheseos biliosa* intelligimus illam reproductio-
nis organicae labem, qua major, quam par est, fomitis biliosi copia generatur. Quamvis hepar unica sit bilis scaturigo, ac ideo in *polycholiae* casu semper alacrius secretionis muneri incumbat; nihilo secius tamen *polycholia* vitium jecinoris mere locale haberi nequit, hocce enim viscus educen-
dae et efformanda bili certe impar foret, nisi hujus liquoris elementa majori copia in sanguinis massa extiterint, veluti *praeparata*, ac fors jam primum unionis gradum adepta.

Reil, Diss. de *polycholia*. Halaę 1798.

HYPOTYPOSIS.

1242. Febris biliosa raro extemplo sine ullis praecursoribus invadit, quod quidem facile con-
cipitur, si perpendimus ad ejus genesin plerum-
que praexistentem diathesin biliosam, seu prin-
cipii biliosi abundantiam, ac proinde quandam, etsi levissimam hepatis labem requiri. — Phaeno-
mena igitur nunc leniora, qualia temperamento cholerico propria sunt, nunc graviora, quae al-
tiorem *polycholiae* gradum indicant, in connubio cum illis, quae febres generatim anteire solent, opportunitatis componunt stadium; uti flave-
do oculorum diluta, anorexia, gustus depravatus,

sensus plenitudinis ad praecordia, dysphoria universalis, insueta ad iracundiam et stomachum proclivitas, inquietudo nocturna, languor cum insuperabili ad motum inertia et lumborum dedolatione.

1243. Exordium sumit morbus ab horripilatibus vagis, cum calore alternantibus, quibus brevi aestus diu vigens et gravissimus succedit, comite cephalaea dira, siti inexplicibili, sudoribus in facie, vel toto capite extortis, pulsibusque acceleratis, plenis, non duris, nunc libere mictibus, nunc pae nimio orgasmo suppressis. Pari tempore evolvuntur symptomata, quae jecinoris non minus, ac systematis gastro-enterici munia diversimode alterata patefaciunt; vel si jam praeiverint ista, febris accessu mirum in modum excandescunt, atque febrilibus phaenomenis amalgamantur.

1244. Genae veluti minio tinctae rubescunt, ipse autem rubor flavedine dilutus, vel ambitu flavescente circumscriptus cernitur; tunica adnata oculi, omnes faciei partes, quae ex natura corrugantur, uti frons, oris anguli, palpebrae, narium pinnæ, nec non illa cutis loca, quae pellicula tenuissima instruuntur, colorem dilute ochraceum, aut pallide virescentem (graecorum $\chiλωρον$) contrahunt. Lingua, in principio munda, continuam amaritudinem sapit; paulo serius flavescentibus villis, byssi instar, vel crassa admodum sorde mucosa, flava obtegitur. Salivae albae, spumescentis, instar soluti et in spumas acti saponis, insipidae

aut amarescentis, nauseosae copia insignis ori et faucibus infunditur; unde continuae screationis necessitas. Ciborum plena inappetentia, nauseis continuo urgentibus, in veram convertitur apopositiā. Ructus amaros — urentes sequuntur vomititiones, vomitusque variae materiae, cum bile mox hepatica, mox cystica remixtae, vitellinae, porraceae, aeruginosae, atrae, amarissimae. Sitis molestat vere tantalea cum instinctuali desiderio aquae frigidae acidulatae, et aurae perflantis frigidae, unde cephalalgia immanis et calor urens temporarium capiunt lenimen. Regio epigastrica, hypochondriumque dextrum, intumescunt, opulentur, calent, nec sine dolore tactum perforunt; aegri de anxietate premente et constringente queruntur. Bilis in ventriculo et duodeno coacervata, mole non minus quam singulari sua acredine, maxime cystica, cardialgias, faucium ardorem, vel et diros dolores colicos excitat. Quandoque tanta esse solet bilis copia, quae vomitu spontaneo, vel emetici ope rejicitur, — et quidem, quod adhuc magis admirandum, sub levissimo symptomatum adparatu, — ut justam moveat suspicionem, eam in ventriculo non extitisse, sed sub ipsis vomendi conatibus, ac antiperistalticis intestini duodeni contractionibus ex hepate et cystide fellea, citra normam infarctis, veluti emulgeri.

1245. Dum bilis deorsum turget, alvus intense flava, quasi ab adsumpto rheo,olidissima et liquida modice inter borborygmos et flatus fluit;

ipsae vero dejectiones interdum adeo acres fiunt, ut anus inde corrosa et detrita sub molestissimo tenesmo atque continua desidendi cupidine sanguinem fundat (*dysenteria biliosa*.) Si per utramque viam biliosus ejicitur latex, truculenta exsurgit febris biliosae forma, *cholera biliosa*, calidioribus zonis familiaris. — *Urinae croceae*, spumosae, et ne serum quidem cruorem innatans a flavedine et amarore alienum esse solet.

1246. Quo gravior jecinoris affectio, quo major bilis motae, in qualitate alienatae ac effusae ubertas, et quo altior febris comitis gradus, tanto facilius etiam in organis et systematibus confiniibus varii generis turbae excitantur, inter quae delirium ferox, vertigo, scotomia, syrigmus, animi deliquia, nervorum distensiones, symptomata peripneumonica et pleuritica, exanthemata accidentalia, urticatum, miliare, sudamina, roseola, ipsumque erysipelas haud raro observari possunt; varias febris biliosae comitatae formas constituentes, de quibus in decursu pyretologiae notatu digna exponere non omisimus. Intelliguntur inde differentes febris biliosae modificationes ejusque plane proteiformis indoles.

1247. Duo juxta Max. Stollium percurrit stadia, primum cruditatis, alterum coctionis dictum, quae communibus febrium criticorum periodis, incremento videlicet et fastigio exacte respondent. Typum tenet continuum remittentem, manifestis exacerbationibus vespertinis,

et remissionibus matutinis notatum, quarum priores mox quotidie aequali intensitate redeunt (febris biliosa amphemerina), mox alternis diebus sibi respondent (febris biliosa hemitritaea). Morbi **mora** perquam varia esse potest; plerumque tamen nec ante septimum solvitur diem, nec decimum quartum excedit, exceptis rarioribus anomaliae casibus.

VARIETATES.

1248. Princeps, summeque essentialis febrium biliosarum distinctio in **simplices**, **compli-
catas** et **comitatas**, variis morbi primitivi copulis cum contemporali aliorum systematum organicorum labe, vel insueta singulorum organorum affectione innititur.

1249. **Febris biliosa simplex**, mera-
ca, **impermixta** vocatur illa, quae incitatio-
nis vitalis augmentum modicum et aequabiliter
distributum (excepta eminentiori hepatis irritatio-
ne), simulque symptomatum gastrico - biliosorum
eam ad se invicem relationem offert, ut nullum
prae alio excellat, absente omnis alias charac-
teris febrilis umbra.

1250. **Febris biliosae complicatae**,
ommittendo innumera illa connubia accidentalia,
quae cum diversis morbis apyreticis inire posset,
sequentes statuuntur species: 1) **Febris bilio-
so-inflammatoria**, *καυστος* Veterum proprie-
talis, cui plerumque gravis jecinoris inflammatio

comes it (Tom. II. §. 152). 2) *Febris bilioso-septica*, pessimum praebens synochi putris specimen. 3) *Febris bilioso-nervosa*, non minus funestum status biliosi et nevrastheniae, mox spuriae, mox verae, et quidem colliquativae consortium, quod summum et perniciosissimum fastigium in typho icterode tropicorum adtingit. 4) *Febris bilioso-hectica*, quae cum organicis viscerum vitiis, vel totius vegetations animalis labe conjungitur, uti esset febris gastrica venosa et atrabiliaria nonnullorum auctorum, ac febris suppuratoria, quae phthisin hepaticam comitatur.

1251. *Febres biliosas comitatas efficiunt* diversae affectiones locales, quae vel ante ingressum febris biliosae jam extiterunt, vel sub istius decursu per accidens enascuntur. Mox unum alterumve e symptomatibus communioribus ad eminentem extollitur vehementiam, ita ut quidam medici inde morbum denominare non haesitent; v.g. *vomitus biliosus*, *gastrodynia biliosa*, *diarrhoea biliosa* etc., — mox vero insolitae variorum organorum, citra territorium *gastro-hepaticum* insurgunt *passiones*, ex ipsa dyscrasia biliosa, ac febre comitante oriundae, vel fortuito ex aliis causis subortae, quas adposito epitheto *biliosas* non sine jure compellant; uti essent *phrenitis biliosa*, *peri-pneumonia biliosa*, *erysipelas biliosum*, et s. p.

1252. Habito originis et frequentiae respectu febres biliosae in sporadicas, epidemicas et endemicas dirimuntur. Sporadicae e causis privatis, errore diaetetico, ira vehementiori, gravibus capitis vulneribus, absque ullo anni temporis delectu exoriuntur, suntque in praxi rarissimae; — epidemicae in gratiam constitutionis popularis vel omni aestate redeunt (annuae), — vel etiam per plures annos perenne quasi dominium exercent (stationariae), quales Fink, Tissot, Cloture et Stoll observarunt; — endemicae tandem e maleficio climatis ingenio scaturiunt, in India occidentali et ad Gangis ripas frequentissimae.

DIFFERENTIAE A MORBIS CONSIMILIBUS.

1253. Hepatitis, febris flava tropicorum, et icterus febrilis praecipuas præbent morborum species, febri biliosae adfines, quarum distinctione contempta et neglecta varii in medendo et praesagiendo subrepere possent errores. — Hepatitidem distinguunt symptoma propria phlogoseos localis; atque signa dyscrasiae phlogisticae et angiosteniae universalis (Tom. III. §. 740 — 752), quae in febre biliosa simplici prorsus deficiunt. Levissimum tamen hepatitis gradum, simplici jecoris symphoresi stipatum, si simul indicia colluviei biliosae in primis viis adfuerint, a febri biliosa vix discrepare, nosogeniae ratio docebit. Illis auctoribus, qui

erroneo principio innixi causam febris biliosae proximam in hepatis inflammatione reponunt, superfluum omnino evadit inter hepatidem et febrem biliosam discrimen, quatenus identicae forent morbi formae. — *Febris flava benigna tropicorum* (§. 834) a febribus biliosis nostri climatis ne hilum differt, nisi majorem excipiamus vehementiae gradum, illa autem, quae sub concursu circumstantiarum maleficarum contagiosum extricat fomitem, eoque reproducitur, e propriis characteris *typhosi maligni* phaenomenis dignoscitur (§. 823). — *Icterus* demum chronicus, e variis hepatis vitiis oriundus, cui interdum sub decursu febricula symptomatica supervenit, nonnisi a superficiali medico cum febri biliosa confundi poterit.

C A U S A E.

1254. Omnes illae injuriae, quae morbidam systematis cholopoiетici irritabilitatem et sensitatem movent, vel quae processum productionis organicae ita alterant, ut elementorum, bilem componentium, genesi uberiori patrocinentur, ad febres biliosas praedispонunt. Dantur homines, qui in gratiam temperamenti proprii, cholericī passim dicti, admodum sensibile vel, ut Richteri expressione utar, quasi hystericum hepar habent, unde a minimo irritamento, etiam naturali et per se innocuo, secretio bilis alteratur. In aliis individuis vivendi genere, atmos-

phaerae et anni temporis constitutione, aut prorsus fortuitis noxis, purgantium usu inepto, animi pathematibus bilem, ut ajunt, moventibus, ira, stomacho et indignatione abnormis ille officinae bilificae erethismus provocatur, qui haud raro absque novae causae accessu in febrem biliosam exardescit. — Valet hic, quod jam alibi de febribus inflammatoriis subjunximus (T. II. §. 59); strictos utpote inter disponentia et excitantia momenta limites non haberi, quatenus, G a u b i o scite monente, caedem potentiae nocentes, quae seminia morbosa (dispositionem) creare solent, continua diu actione, vel majorem intensitatis gradum adepta, quidquid ad morbum constitendum requiritur, inducere valent.

1255. Potiores polycholiae fontes largiuntur: 1) Atmosphaera aestuosa, humida, nubila, pluvia, austrina, negative electrica, vel insignibus electricitatis vicissitudinibus obnoxia, multo phlogisto foeta, nullis ventis perflata. 2) Victus animalis, pinguis, oleosus, rancidus, multo aromate conditus, et ex facile putrescentibus conflatus, vini et spirituum usus improvidus; uno verbo, omnes substantiae, quae inflammabilibus abundant elementis. 3) Defectus aquac purae, et cibi vegetabilis. — Quo plures concurrunt potentiae nocentes, eo facilior febrium biliosarum ortus; ideo agricultae et messores meridiano sole perusti, atque milites, dum aestivis diebus exercitus moventur, imprimis si simul

aquaे penuria adsit, quandoque turmatim his febribus adfliguntur.

1256. Posito statu polycholiae, et erethismi in systemate cholopoio, febrem biliosam, praeter mox enarratas prophases intensitate et numero auctas, excitare solent: refrigerium repentinum corporis aestuantis, ingressu in balneum, potu frigido, vel incauta spirante vento denudatione illatum; labor nimius ardente sole; ira vehemens; ingurgitatio; ictus in regionem, cui hepar subest; vulnera capitis gravia et commotiones cerebri; serpentum morsus venenati (1).

(1) André e, Osservazioni sulle malattie chroniche del fegato, p. 88.

1257. E complexu causarum disponentium et excitantium facile concipitur febrium biliosarum ubertas et malignitas, qua per regiones torridas, in vallibus reclusis et propter litora incedere et saevire solent (endemicæ). Ex eadem ratione exponi potest, cur morbi biliosi furente canicula, et auctumni aestatem aestuosam excipientis tempore, quo dies calidi cum noctibus frigidis et humidis alternant, tam crebro popularēs fiant (febres biliosae epidemicæ); quae omnia adhuc clarius ex nosogenetica disquisitione patebunt. Causa proxima constitutionis biliosae stationariae, quae procul dubio in evolutionibus cosmicis altioris ordinis latet, hodieque dilucidari nequit.

THEORIA MORBI.

1258. Hactenus facta solum perstrinximus ab experientiis deprompta, e quibus innotuit quale sit febrium biliosarum schema sensibus obvium (*nosophraphia*), et quaenam ad earum genesin requirantur injuriae et conditiones tam internae, quam externae (*aetiologya*). Nunc jam ipse geneseos modus, sive nexus reciprocus inter causas morbiferas et effectus organismo illatos est perquirendus (*nogenia*), ut polycholiae et febris biliosae essentia, per quantum licet, erui, atque morbi *theoria*, a repurgatis physiologicis et pathologiae praceptis non aliena, stabiliri possit, cui unice rationalis innititur medendi methodus.

1259. Cunctae potentiae nocentes, quas diathesi biliosae favere quotidiana docet observatio, (§. 1254) eo conspirant, ut in organismo vivo nimis in expansionem augeant, ac uberiorem principiorum inflammabilium evolutionem determinent. Inde sanguis non solum normalem plasticitatis gradum pro parte deperdit, ac venosam magis contrahit indolem, sed etiam majori phlogisticorum copia onustus secretiones ita modificare juvat, ut latices omnes de eorum natura magis participant, per eminentiam vero illorum organorum intendatur energia, quae ex proprio instituto sanguini dephlogisticando sunt dicata.

1260. Pulmones, hepar et cutis palmaria sunt organa, quae fraterno vinculo juncta ad hocce summe momentosum oeconomiae animalis munus

explendum incumbunt; ea tamen, ut videtur differentia, quod eorum quodvis diversae naturae recrementis educendis sit destinatum. Diversam proinde relationem dynamico-chemicā erga diversa phlogisticorum genera tum simplicia, tum composita habeant oportet; quam ob rem saepe saepius potentiae nocivae ejusdem, vel saltem consimilis naturae, pro diversa ad hoc illudve organon adsinitate, pro diversa organorum ipsorum praedispositione, et circumstantiarum lateralium concursu, varias dyscrasiarum species movent, inflammatoriam, septicam, biliosam, aliamve.

1261. Pulmones hyeme, jecur aestate, atque cutem vere et auctumno magis actuosa esse, cereberrimamque morborum scaturiginem et sedem largiri, quotidiana experientia extra dubitationis aleam ponit; compertum enim habemus brumam et regiones hyperboreas morbis pulmonum (inflammatoriis), aestivos contra dies et clima torridum morbis jecinoris (biliose) excellere, et quidem tanto magis, quanto major fuerit coeli ac temperaturae constantia; aegritudines tandem e systematis dermatici munere laeso provenientes (catarrhos, rheumata, erysipelata et intermitentes) illo anni tempore, ac illis globi terrauei plagis familiares esse, in quibus temperaturae et atmosphaerae vicissitudines continuae rapidaeque vigent, pari constat ratione. Solstitia igitur, ceu poli e diametro oppositi evolutionum cosmicarum et telluricarum, centralibus imperant organis, et

quidem speciatim gelida bruma pulmonibus, ardens syrius jecinori; aequinoctia vero periphæriae corporis insidiantur, atque mox istius, mox organorum sympathice nexorum passionibus favent.

1262. Hocce anni temporum et climatis dominium, constantibus naturae universae legibus innixum, nemo mortalium effugere potest; unde nil mirum, si organismus vivus (in suis ad tempus et spatium relationibus) anni temporum nutui obtemperando, periodicas subit metamorphoses, atque climatis influxu gubernatus perennem quamdam adipiscitur temperiem. Priorēs efficiunt diatheses epidemicas annuas, posteriorēs diatheses endemicas; ambabus origo et ingenium morborum popularium optime dilucidatur, praesertim si reciproca relatio chemica et dynamica inter hominem et macrocosmum pro cardinali sumitur investigationis fundamento. — Cur eadem prophas, v. g. refrigerium, aliam hyeme, aestate aliam, ac tempore aequinoctiorum denuo aliam inferat aegritudinem, ex sola diathesēs epidemicā differentia comprehendi poterit.

1263. Praedominium hepatis tempore aestivo e continuato caloris intensi influxu, atque e languidiori processu respirationis explicatur, unde fit, ut transmutatio sanguinis venosi in arteriosum lento magis procedat passu, ac tota proin sanguinis massa ad venosum inclinet cha-

racterem, illisque redundet elementis (phlogisticis), quae ad bilis formationem requiruntur. Aestate ergo in omnibus hominibus diathesis biliosa plus minusve viget. Tantum vero constitutionis hujus aestivae imperium est, ut vix non omnes morbi, febriles et chronicci, sporadici et populares de polycholia plus aut minus participant; inde insignes illae emeticorum et purgantium laudes, a Cel. Stollio et Hamiltonio fors nimis exaggeratae, in morbis, qui ex sua natura, et alio anni tempore longe diversam postularent medendi rationem; inde nimia illa febrium biliosarum amplitudo, quam Mertens, Flachsland, Pearson et Schröder praedicarunt, fortuitas complicationes biliosas cum morbo primario commutantes.

1264. Quamprimum organismo, sive per causas sporadicas, sive per epidemicum ingenium ea inducitur conditio, qua sanguis excessiva phlogisticorum copia onustus jecur, ut ab illis privetur, pleniori rivo et rapidiori impetu pertransire cogitur, primum quoque ponitur plethorae in eodem viscere, ac incitationis auctae rudimentum, sine quo vividior sanguinis defaecatio, et promptior superfluorum et facile nocivorum elementorum in bilem conversio cogitari nequit.

1265. Si nunc stante erethismo hepatico, positivi accedant stimuli (sufficiunt saepe naturales et alias indifferentes), sive immediate super hepar agant, sive, quod multo crebrius obtinet,

cutis aut primarum viarum atriis suscepti per consensum illic dirigantur (Tom. III. §. 772), necessario status irritationis induci debet, qui in casu leviori ad solum systema cholopoium limitatur, (*policholia apyretica*), in graviori super partes contiguas et reliquum organismum diffunditur, ac febriles una concitat turbas (maliattia universale per diffusione dell' eccitamento parziale, *Tommasini*). Ipse autem latex biliosus majori, quam par est, copia secretus, vel et qualitate alteratus (*cacocholia*) non solum promptuarium sibi a natura dicatum (vesiculam felleam) replet et infarcit, sed etiam, continuo per coledochum depluens ductum, intestina ipsumque ventriculum inundat, **bilio**sam parans **saburrām**, cui insuper mucus et humor intestinalis uberior allicitus unitur. Residua portio, quae vasis cholophoris educi nequit, in massam circuli resorbetur; atque **dyscrasiam** **bilio**sam producit. Non quidem bilis immutata sed pigmentum saltem sanguinem aliosque humores secretorios tingit, cui adsimilando vires coctrices impares fuere.

1266. En triplex inter febrem et statum biliosum relatio: 1) Vel stimulus morbidus localem prius parit systematis cholopietici irritationem, cui febris ocyus seriusve ceu effectus suboritur. 2) Vel plethora biliosa, hepatis irritatio, et febris contemporalem unius ejusdemque causae effectum praebent. 3) Vel demum febris irritativa, va-

riis ex causis oriunda in organismo praedisposito delitescentem erethiseos hepaticae favillam sufflammat, bilem, ut ajunt, movet, atque saburrae biliosae efficiens fit causa.

1267. Conditionem pathologicam visceris cholo poetic, quae febrium biliosarum essentiam constituit, in statu **irritationis**, seu vitalitatis auctae fundari, comprobare juvant: 1) Causae excitantes omnes e classe stimulorum positivorum. 2) Symptomata tam localia, quam consensualia, videlicet calor urens, et dolor obtusus ad hypochondrium dextrum, vel saltem regio, cui hepar respondet, valde patibilis, turgor vitalis auctus, pulsus veloces, pleni, fortes, aut suppressi. 3) Autopsia cadaverum febribus biliosis peremptorum, in quorum hepate manifesta turgoris et congestionis sanguineac indicia reperta fuere. 4) Utilitas therapiae debilitantis et refrigerantis.

1268. Speciale **irritationis substratum** illa tantum largiri poterit jecinoris sphaera organica, cui, docente anatome, bilis secretio per eminentiam incumbit, nimirum **sistema venae portarum**. Hoc admisso etiam concipitur, cur organicae labes viscerum illorum, quorum rami venosi ad truncum venae portae eformandum concurrunt, constanter in polycholiam disponant, ut haemorrhoides et lienis emphraxes diurnae.

1269. Quemadmodum simplex irritatio, sive congestio activa a vera phlogosi (Tom. II. §. 212),

ita morbidus ille hepatis status, qui biliosas comitatur febres, ab hepatide discrepat; quapropter Weinhold (1), Tommasini (2), et Meli (3), qui ejusmodi distinctionem negligunt, atque febrem biliosam cum hepatide commiscent, a nobis hoc intuitu arguuntur. — Status phlogoseos semper sublatum aequilibrium inter sphaeram arteriosam et venosam, inter incitationem et vegetationem supponit, unde abnormes dependent productiones organicae; at systema vena portae arteriosa caret antithesi, atque morbosis productis efficiendis, etsi notabiliter irritetur, non est idoneum, quatenus haecce proprietas unice vasis capillaribus arteriosis competit. Interim non inficiamur, febribus biliosis veram suboriri posse hepatitidem, ea quidem ratione, qua status irritationis et turgoris a vena portae super arteriosam jecinoris sphaeram diffunditur. Hocce tamen in casu, acutissimo Ra imanno (4) rite advertente, secretio bilis, quae prius larga copia per ductum choledochum libere defluxit, vel cystidem felleam infarsit, imminuitur, vel saltem ejus delatio impeditur, unde per vasa lymphatica et venas hepaticas absorpta altiorem auriginis gradum producit, quem in simplici febre biliosa vix unquam observare licet.

(1) Weinhold, de inflammatione viscerum hypochondriacorum in febribus biliosis. §. IV.

(2) Tommasini, sulla febbre gialla. Parte seconda. §. 59. et seq.

(3) Meli, sulle febbri biliose, §. 89. et seq.

(4) Raimann, Handbuch der speciellen Therapie. 1. Bd.
§. 139.

1270. Ex hacce disquisitione nosogenetica polycholie et febrium biliosarum sine negotio comprehendi poterit, quid de opinione Sydenhami, Senacii, Reilii, aliorumque sentiendum sit, qui biliosum fomitem in sanguine praeformatum ut causam febris proximam, secretionem bilis in organo chlopoio autem jam ut speciem criseos declararunt. Polycholiam, nullatenus bilem jamjam efformatam, sed bilis elementa solum ultra mensuram in sanguine coacervata, vel ad summum pigmenti portionem resorptam et non ex integro adsimilatam supponit, quae non tantum hepate, sed etiam aliorum organorum ope e sanguinis massa separari possunt, per secretiones utpote vicarias.

TERMINATIONES.

1271. Quandoque febris biliosa sine ullis phaenomenis criticis in salutem abit, quod quidem in illis tantum obtinere solet casibus, ubi merum symptoma labis hepaticae fuerit. Per vomitum, alvifluxum spontaneum, vel per lysin inconspicuam, copiosis potibus acidulis promotam, morbus oxyus seriusve evanescit. Si autem gravior in hepatre exstiterit congestio, et biliosus latex resorptus etiam secundas inquinaverit vias, febris incenditur vere critica, quae faustum salutis exitum non permittit, nisi praefinitum absolverit cyclum,

— Vomitu et diarrhoea primae viae ipsumque hepar bile turgens maximo cum levamine repurgantur; processus febrilis et dyscrasia biliosa simul urinas hypostaticas, et sudores profusos movent, iisque solvuntur. Neque desunt casus salubris hepatirrhoeae, vel epistaxeos, aut haemorrhoidum cum emolumento fluentium. — Omnes hasce evacuationes criticas praevia perturbatione febrili communiter die septima aut nona, rarius undecima aut decima quarta suboriri videmus, cum levamine plus minusve solemni, quod p[ro]p[ter]ea caeteris somnus tranquillus indicare solet.

1272. Quae sub adversis circumstantiis decurrit febris gastro-hepatica, diversimode mutari poterit. Characterem alienando in febrem inflammatoriam, nervosam, putridam, aut intermittentem, plerumque tertianam vertitur, quarum metaptosium ratio in epidemiae dominantis genio, morbi negligentia, vel prava medela invenitur. — Mutando formam in varias degenerat febrium comitatarum species (§. 1250), quarum origo denuo vel in mox dictis causis, vel in metastasi, sive decubitu humoris biliosi ad varias partes, Stollio docente, erit quaerenda.

1273. Consectaria potiora modo e classe cachexiarum sunt, uti viscerum emphraxes, icterus, hydrops, tabes; modo e familia nevrosium, uti dyspepsia, hypochondriasis, vertigines, mutitas, amaurosis, apoplexia, palpitatio cordis, ar-

thralgia diutina; modo ex ordine eccrisium, quas inter diarrhoeae pervicaces creberrime occurunt; lienteria et fluxus coeliacus raro observantur, ac plerumque immedicable hepatis vitium supponunt.

1274. Febris biliosa mortem parat: 1) Virium vitalium lapsu plus minusve repentina, cui epidemiae nefastum ingenium, medela prava, imprimis neglecta saburrae biliosae, aut putridae, male medicando inductae, evacuatio, vel specifica et quasi venenata bilis cysticae qualitas praecacteris farent. 2) Metastasi ad encephalon, pulmones, aut pericardium. 3) Irritatione hepatis et intestinorum in veram phlogosin, et hac in gangrenam versa. 4) Posthumis insanabilibus organicis, aut dynamicis.

PROGNOSIS.

1275. Aegrotantis constitutio, causae effientes, climatis et anni temporum ratio, circumstantiae accidentales, vehementia et numerus symptomatum, decursus simplicitas vel anomalia, atque complicationes cum alio charactere praecipua praebent momenta, quae in febribus biliosis aequae, ac in aliis morbis pyreticis diversum periculi gradum determinant, ac ideo in praesagienda vita et morte summum merentur respectum.

1276. Praecipui canones prognostici ad sequentes restringi possunt: Quo diuturnior systematis cholopoietici labes, et quo crebrius haec in eodem subjecto recurrit, eo gravior, quae se-

quitur, febris biliosa esse consuevit, eoque difficilius pristinam restituere sinit salutem. — Moderatus virium vigor quidem optima spe consolatur; minori tamen metu terret status exorbitantiae, quam verae debilitatis, quapropter etiam febres bilioso-inflammatoriae, caeteris paribus, minus funestae; quam bilioso-nervosae, et putridae. — Continuus influxus circumstantiarum, quae genesi febris biliosae opitulantur, simulque vires prosterunt, ac systemati nervoso diversas insidias struunt, uti aestas fervida, clima torridum, habitualis quorundam hominum iracundia, perennem fovendo diathesin, sanationi plurimum obstant, ac majus universim portendunt discrimen. Inter febres biliosas anomalas pessimae sunt illae, quae cum contagioso collidunt fomite, et quae jam in exordio male tractantur. — Neglecta emeto-catharsis, usus intempestivus stimulantium et adstringentium invincibiles saepe anomalias gignunt, atque mox improvisum invitant lethum, molimina critica protinus sufflaminando, mox secundariis malis chronicis lentam parant perniciem. — Febres biliosae sporadicae, quae hyeme intercurrunt, libenter in inflammatorias degenerant, vel topicis phlogosibus stipantur. — Biliosae aestivae in characterem nervoso-septicum vergunt, vel etiam in febres intermittentes defatiscunt, praesertim si jam sub decursu periodicas exacerbationes, quotidianas aut semiteridianas ostenderint. — Cholera semper ominosum praे-

bet symptoma, quod, maligno quasi dente, aegroti vires devorat, et salutem gravissime pericitatur.

THERAPIA.

1277. Causas morbum gignentes removere, vel saltem obtundere, statum polycholiae et cacocholiae corrigere, irritatum jecur placare, effusam in primis viis bilem excutere, vires vitales moderari, operationes criticas prudenter conducere, convalescentiam adjuvare et recidivam averruncare, principes sunt indicationis curativae cardines, quibus apto remediorum delectu satisfieri debet.

1278. Directa cura, quae in removendis fundatur causis, nonnisi rarissime locum habet, et concesso etiam casu plerumque irrita manet, ob secundarios ac permanentes effectus in organismo eousque superstites, donec maturationis culmen adtigerit febris. Per quantum duntaxat fieri licet, occasiones iram moventes vitare, atmosphaeram nimis aestuosam arte refrigerare, irritamenta localia diluere oportebit.

1279. Quamquam colluvies biliosa proximam febris causam non praebet, plurimum tamen febriles motus fovere juvat, simulque digestionis et chylificationis officinam infestat; quare sedula illius eductio singularem meretur respectum, nunc per vomitum, nunc per alvum, nunc utraque via per emeto-catharsin perficienda.

1280. Emetica, dummodo morbus recens

et simplex sit, atque saburra, ut ajunt, sursum turgescat, adeo salubres in febri biliosa exerunt vires, ut nullo alio suppleri possint remedio. Praestant autem multiplici titulo : 1) Sordes biliosas e ventriculo et intestino duodeno directe evacuant. 2) Ob violentam concussionem, quam hepar tanto magis experitur, cum diaphragmatis et preli abdominalis influxui immediate subjaceat, bilem in ductibus biliferis et cystide fellea coacervatam exprimunt, jecur veluti emulgent; talique pacto non solum incommoda idiopathica, sed etiam passiones sympathicas uno quasi ictu dissipant; febris, licet non juguletur, ad notabilem tamen reducitur lenitatis gradum. 3) Ob alienum stimulum, quem stomacho impertiunt, vires suppressas liberant, earum aequabiliorum dispensationem efficiunt, tumultus nervosos sedant, torpidum intestinalium statum corrigunt, et imminentem haud raro astheniam tuto praevertunt. 4) Simile beneficium toti systemati reproductive conciliant, stases reserant, activitatem vasorum lymphaticorum et capillarium expediunt, pepasmum humorum promovent, ac salubres sudores cient. 5) In casu diarrhoeae profusae, virium jacturam minitantis, motum peristalticum invertendo, ulteriori obstant humorum deorsum ruentium nisi. — 6) Id emolumenti habent, quod vires vitales longe minus, quam purgantia prosternunt; imo rato tempore exhibita vere analeptica dici possunt.

1281. Usui emeticorum diluentes sorbitiones praemittere convenit, ut saburra biliosa, pathologorum idiomate utendo, mobilis reddatur. — Quod vomitoria subministrandi modum et cautions necessarias adtinet, e generalibus therapiae regulis, atque specialibus praeceptis in praecedenti capite expositis facile intelligitur. Ante omnia vero venam secare non omissittat medicus, prius quam vomitum ciere proponat, ubi sanguinis congestio in capite, hepate, aliove viscere per violenterem succussionem detrimentum ferre posset.

1282. Bile deorsum turgente, alvum ducendi imminet casus, cui catharticis blandioribus, eccoproticis, maxime acidulis satisfacere studemus; eis enim non solum status irritationis in hepate componitur, verum etiam phlogisticorum dominium refraenatur, ac biliosi laticis exuberantia et acrimonia optime emendatur. — Crémor tartari et pulpa tamarindorum votis plerumque et ad amussim respondent; si tamen pigriori alvo reseranda non sufficerent, infusum sennae cum sale quodam medio et manna, acidis potibus interpolatis, propinetur. Nonnullis mercurius dulcis arridet; et revera salubriter operatur in casibus viscerum simul infarctorum, vel icteri saturioris, ubi tardigradum motum bilis per ductus cholophoros promovere juvat. Requiruntur vero perfectiores calomelanos doses, ut, salivationem abdominalem tumultuarie ciendo, alvus tanto se-

enrius reserari , atque hepatis labes pancrate ex-stimulato dilui possit.

1283. Quatenus modo larga, modo parca dejectio in votis est, commodum erit fere ubique refractis potius catharticorum dosibus alvum ducere ; tali enim modo aptissime rata dejectionum copia obtineri , alvus vero , statim ubi opus est, constipari poterit. Quodsi intestina torpidiora purgantium stimulo minus obediunt , satius erit clysteribus laxantibus optatas elicere evacuationes, quam priorum doses nimis augere , vel plane draconicorum tentamine aegrotantis statum periclitari.

1284. Reliquum adparatum medicamentosum componunt potiones diluentes , saponaceae , refrigerantes , et prae aliis acidulae , uti decocta radicis graminis , hordei , prunorum cum oxymelle simplici , serum lactis tamarindatum , succus limoniorum aqua temperatus , vel fructuum acidorum conservae dilutae ; quae omnia virium reactiones exorbitantes compescunt , aestum febrilem leniunt , ardensem sitim sedant , simulque biliosam dyscrasiam egregie corrigunt.

1285. Vena e sectiones in febribus biliosis simplicibus non solum superfluae , sed et facile damnosae evadunt , praesertim si , aestivo anni tempore dominante , praevalens in debilitatem nervosam et septicam liquationem nisus continuum funestae metaptoscos metum incutit. Quapropter unice in febribus bilioso-inflammatoriis (Causo Veterum) , sive simplices fuerint , sive

topicis organorum nobilium phlogosibus stipatae, venam tundere licebit, praesertim si emetici necessitas urget, ac sanguinis versus caput congestio ejus usum ambiguum redderet.

Appel, de phlebotomiae, imprimis in febribus biliosis recta administratione. Helmst. 1779.

Bode, Diss. de recto usu sanguinis detractionis in morbis biliosis. Goett. 1782.

1286. Qui conditionem pathologicam febrium biliosarum, statum quippe irritationis in systemate cholopoio, et colluviem biliosam in tubo gastro-enterico perpendit, summas remediorum stimulantium, narcoticorum et adstringentium noxas facile perspiciet. Maxima igitur medicis commendari debet in virium statu dijudicando circumspectio, ne fallacem virium vitalium languorem, sola redundantis bilis eductione, vel pravae ejus qualitatis correctione tollendum, cum vera debilitate confundant.

1287. Si tamen reapse sub decursu febris biliosae vigor vitalis prosterni incipiat, simulque ordinarii characteris nervoso - asthenici prodromi sese insinuent, remediorum stimulantium necessitas quidem exsurgit; nunquam tamen character morbi primitivus negligatur oportet. Ejusmodi in febribus bilioso - nervosis mixturas nervinas cum tinctura rhei commiscere, alvum clysteribus bis, terve in die eluere, regionem hepatis vero fomentis aromaticis cooperire, vel linimento quodam aethereo, ammoniacali perficere summe pro-

ficum erit, vesicantium ope contemporalem re-vulsionem ciendo. Nisi saburra deorsum turgens obstet, imminens character nervosus emetico optime discutitur.

1288. Exitialis febris gastro-hepatica in putridam conversio promptum antisepticorum usum depositit, quae inter acida mineralia et camphoracea cortici peruviano palmam praeripiunt, quatenus ventrem non stipant, ac proinde optato sordium congestarum et bilis continuo depluentis exitui non obstant. Si vero colluviei symptomata prorsus disparuerint, et inducta ex adverso in diarrhoeam proclivitas vires fundat, cortex chiae in connubio cum substantiis amaris et aromaticis, ipsumque opium suppetias ferunt.

1289. Aptum vitae regimen, indoli morbi rite adcommodatum, non solum ad sanationem tutius adsequendam, sed etiam ad vires saevitie mali fractas refocillandas plurimum confert. Victus parcus, vegetabilis, e materia facili, olera cocta, poma furnis assata, juscula et potus acidulatus sub decursu febris sufficiunt, donec subintrans convalescentia alimoniam magis nutrientem et analepticam jubeat. Ante omnia vero illas, per quantum fieri potest, corrigere et avertere oportet aëris atmosphaericci conditiones, quae ad polycholiae genesin contribuunt, quod eventilatione solerti, inspersa saepe pavimento aqua frigida, suffimigiis acidis, ac temperaturae moderamine quodammodo obtineri poterit.

1290. Relate ad curam symptomaticam incommodorum molestorum, aut periculosorum, quae specialem quemdam postulant respectum, uti essent vomitus, diarrhoea, dysenteria, cholera, meteorismus, tormina, positivae regulae stabiliri nequeunt; nunc enim ea symptomata a statu phlogistico hepatis, aut tubi intestinalis, nunc a spasmodica eorundem organorum affectione pendent, quapropter juxta casus diversitatem evacuantibus, antiphlogisticis, vel antispasmodicis nervinis erunt oppugnanda. Rectus remediorum selectus vero unice in recta morbi notione fundatur, unde scrupulosa medici in expiscandis circumstantiis, quae diagnosin illustrare valent, solertia nunquam in vitium vertitur.

1291. Scopo curam confirmandi, et systematis cholopoietici labem, quae saepe perennem diathesin biliosam fovet, eradicandi, praestant remedia amara, et saponacea refractis dosibus rheinupta; interpositus usus calomelanos cum magnesia; frictiones unguento mercuriali, et ammonia pura juxta hypochondrium dextrum, vel lotiones sapone communi facienda; balnea tepida; equitatio modica; ambulacra; rusticatio.

3. FEBRIS PITUITOSA SIVE GASTRO-ENTERICA.

Roederer et Wagler, Tract. de morbo mucoso. Goett.

1762.— Edit. Wrisberg i. Goett. 1783.

Strack, Diss. de febre pituitosa. Mogunt. 1781.

Elsner, animadversiones in febres pituitosas. Regiom. 1789.

Canz, Beschreibung einer Schleimfieberepidemie. Tüb. 1796.

1292. *Syndrome symptomatum gastrorum et febrilium*, quae cum colluvie pituitac, majori, quam par est, copia secretae, vel etiam qualitate abnormis, ac primas vias infarcientis incedit, ideam *febris gastricae pituitosae* (*Schleimfieber*) suppeditat, quae Baglivio *messengerica*, Sarconio et Selleo glutinosa, aliis *phlegmatica* et *lymphatica*, Pinelio *meningo-gastrica*, Swediauero *phlegmapyra* nuncupatur. Cum autem diversa sit inter pituitam primarum viarum morbose collectam et febrem relatio, ipsiusque *saburrae pituitosae* diversa origo, sequentes distinguere oportet febrium pituitosarum varietates.

1293. *Catarrhis faucium et bronchiorum* tam acutis, quam chronicis enormis haud raro seceruntur muci copia, quae ab aegris incaute degluttita, stomachum polluit et gravat, atque praeter communia sordium sursum turgentium phaenomena, febriles concitat turbas, vel praesentem febrem exasperat. — Hocce in casu *pituita febris gastricae causam* largitur, qua remota et illa cessat, quum nulla in primis viis supponatur labes; unam igitur e multifariis formis febris *saburralis* constituit (§. 1206); de qua nil amplius subjungendum restat.

1294. *Longe crebrius pituitosa illuvies productum secretionis morbosae*, ac proinde effectum status abnormis in membranis mucosis ventriculi et intestinorum

sistit, quem denuo bifariam distinguimus, prouti vel a praecurrente labe chronica vegetationis organicae secundario scaturit modo, atque febrem secundariam incendit; vel vero una cum turbis febrilibus immediate e potentibus nocentibus originem trahit.

1295. Peculiaris in praxi occurrit cacotrophiae species, quae haematosi et lymphopoiesi abnormi, partis rubrae inopia, albuminosi principii evolutione imperfecta, seri abundantia, lymphae lentore, solidorum atonia, atque morbosa secretione phlegmatis in toto regno membranarum mucosarum, maxime vero in velamentis ventriculi et intestinorum stipatur, ac a practicis nomine *status pituitosi*, *polyblenniae* (*Verschleimung*), in leviori gradu *diatheseos pituitosae*, in altiori *cachexiae pituitosae*, seu *blennoseos* insignitur. — Huic non raro febriles suboruntur turbae, quae, in gratiam pituitae primas vias infarcientis, symptomatibus gastricis copulantur, et febrem gastrico - pituitosam constituunt. Quatenus vero primus febris fons in vegetatione morbosa delitescit, quae persistit febre etiam dissipata, ipsiusque gastrismi phaenomena haud raro prorsus deficiunt, quivis facile intelliget, hancce febrim pituitosam potius ex hepticarum genere esse.

1296. Alteram scaturiginem saburrae pituitosae largitur irritatio subinflammatoria tunicae muciparae primarum viarum (absque generali poly-

blennia), quae quidem in gradu mitiori etiam absque febre subsistere potest; plerumque tamen jam in exordio febriles tumultus comites habet, quos igitur ceu coeffectum ipsius conditionis pathologicae tractus gastro - intestinalis considerare licet. — Hance solummodo febrem gastrico - pituitosam primariam hic loci penitus exponere praefixus jubet ordo, prioris mentionem in capite de febribus hecticis non ommissuri. — Praeplacuit tamen illi febris gastrico - entericae nomen impertire, quia non tantum eminentem passionem tubi alimentaris, quae morbi essentiam efficit, clarus exprimit, sed, uti magis genericum, ad illam quoque extendi potest febris speciem, quae non pituitae, sed succi gastrici et enterici morboso secreti colluvie stipatur.

HYPOTYPOSIS.

1297. Praevia opportunitate diversae duratio-
nis morbus orditur horripilationibus vagis cum ca-
lore alternantibus, quae mox paucas post horas
in febrilem abeunt aestum, mox per plures re-
deundo dies, intermittentis subcontinuae referunt
specimen. Pari tempore gastrismi phaenomena
evolvuntur, plus minusve manifesta. Cephalea
frontalis acerba cum photophobia, oculorum ru-
bore, et pervigilio; sapor oris fatuus aut limosus,
sensum gustatus eadem ratione hebetem esse in-
dicat, quemadmodum in coryza odoratus torpet;
anorexia plenaria; lingua albo et in filos ductili

muco tecta; salivae uberior adfluxus; ructus inodori; vomituritiones inanes, sensus anxietatis et oppressionis in praecordiis, quae interdum adeo patibilia sunt, ut rudiorem recusent contrectationem; borborygmi et levia tormina; alvus inconditæ, modo stricta, modo diarrhoica cum secessu muci tenuis, olidi, faecibus dilutis commixti, acreidine sua haud raro tenesimum, ardorem et ani excoriationem efficientis; abdomen parum elatum.

1298. Febris comes calore urente, siti tamen non admodum intensa, inquietudine summa, jactatione continua, pulsibusque acceleratis, plenis, moderate fortibus, vel etiam contractis stipatur; senescente die notabiliter ingravescit, per totam noctem urget, atque versus auroram complacatur. Lotium crudum, limpidum, aut jumentarium parca excernitur copia. Cutis aret, vel inaequali, transitorio, nullum levamen adferente sudore madescit, qui a minimo aëris adflatu denuo supprimitur. Nullius alias organi passiones adparent, nisi accidentalis concurrat complicatio. Exanthema sudaminosum, miliare, et hydroa ad labia haud infrequentes, et mere parasiticos comites praebent.

1299. Quandoque obscura tantum, et vix animadvertenda colluviei saburrallis signa adparent; lingua ut in sanis esse solet, bonus adsumptorum sapor, nullum circa ventriculum incommodum, et nihilo tamen minus vomitu ex industria excitato ingens moles materiae liquidae rejicitur, mox mucosae et insipidae, mox serosae, acris, pauca bile

tinctae, acerbae potius quam amarae, fauces exurrentis, ac dentes stupefacentis, saporis veluti metallici; et admirationem ciet, quomodo fieri possit, ut tanta copia circa praecordia moretur, quin luculentius suae praesentiae signum det.

1300. Communissimam febris gastro-entericae formam exhibet dysenteria, quam praeter symptomata superius adlata emens intestinorum crassorum affectio abunde distinguit; nimurum dolores colici lacinantes; murmura ventris; desidendi cupiditas irrita et continuus ferme tenesmus, sub qua alvi difficultate pauca tantum exprimitur muci acris, interdum cruore remisti copia; alias vero abundantiores esse solent secessus mucoso-serosi, ac foetidissimi, quos pro momento aliquod terminum lenimen sequitur. Quo magis irritationis focus intestinum rectum occupaverit, eo minus sensibilis evadit febris comes, unde morbus a symptomate praevalente dysenteria mucosa, sive catarrhalis denominatur.

1301. Decursus plerumque acutus est, ita ut intra quinque vel septem absolvatur dies; quo quidem critrica molimina, eisque productae evacuationes per diarrhoeam, sudores copiosos, et urinas hypostaticas suam contribuunt partem, utut plerumque tanto minus efficacia observentur, quanto tenuior fuerit febris, et quanto magis morbus ad localem potius intestinorum irritationem reducitur, cuius evidentissimum exemplum diarrhoeae et dysenteriae aestivae praebent.

C A U S A E.

1302. Quamquam sporadicos hujus febris gastro - entericae casus negare velle experientiae contrarium foret; multo tamen crebrius ex epidemicō scaturit fonte, estque vernali imprimis tempore adeo frequens, ut aequinoctialem constitutionem efficiat; quapropter etiam momenta proēgumena potius in anni temporis variata conditio-ne, ac mutata inde omnium hominum diathesi (§. 1261), quam in singulorum individuorum speciali proclivitate essent quaerenda. Tempus vernum atque aestatis primordia, maxime si atmosphaera humida, pluvia, et rapidis vicibus obnoxia est, non minus quam loca uda, depressa et paludosa febrium pituitosarum origini favent.

1303. Inter causas occasionales refrigerium si non unicam, certe principalem esse, ex observationibus quotidianis compertum habemus, ac ideo superficiem cutis pro eminenti morbi atrio agnoscimus. — Rustici, qui solis ardoribus perusti copioso sudore madent, atque incaute perfrigentur, et si mera propemodum vegetabili diaeta, ea que parcissima vivunt, prae caeteris hac febre corripiuntur; illi vero, qui victu vinosiore et carneo utuntur, dummodo se soli subducant, ac refrigerium caveant, ob eadem plurimum manent immunes. Hujusmodi experientia Stollium ad audax illud (nostra saltem sententia) effatum seduxisse videtur: febrem gastro - pituitosam nunquam accidere, nisi si corpori sudore mananti incaute admissum frigus fuerat.

1304. Non inficiamur etiam irritamenta localia, ingesta acria, et maxime fructus immaturos febri gastro-entericae producendae idonea esse; non applaudimus tamen nimiam vulgi, imo et plurium medicorum, errores diaeteticos criminandi, facilitatem, ac si febres gastricae non aliter quam ex ingurgitatione oriri possent. Ubi de morbis popularibus agitur, originis causa altius, quam in domesticis et privatis noxis quaerenda. Quidquid auctores devictu farinaceo, glutinoso, leguminoso, de pathematis deprimentibus, vita sedentaria, aëre inclusa, aliisque causis procatarcticis proferrunt, ad febrem pituitosam hecticam, propria diathesi phlegmatica stipatam (§. 1294), nullatenus vero ad febrem gastro-entericam, quam hic perstringimus, spectant.

1305. Negandum praeterea non est, quod jam Werlhoffius notavit, post superatas febres intermittentes, imo sub earum decursu non raro copiam humorum inertium in tubo intestinali secerni et colligi. — Sporadicas febres hujus generis producere possunt ipsa remedia, quae tractum gastro-entericum specifica ratione ex-stimulant, et secretionem muci, aut humorum serosorum promovent, uti præparations mercuriales et purgantia; re enim penitus considerata, medicamenta cathartica non aliter agunt, quam peristalticum motum sollicitando, primaque vias humoribus uberioris allicitis perluendo.

NOSOGENIA ET THEORIA.

1306. Ortum febris gastro - entericae e refrigerio concipere et explicare nemo cunctabitur, si peculiarem consensum inter cutem (morbi atrium), et membranas mucosas fistulae cibariae (morbi substratum) e physiologiae praeceptis erutum, et experientia abunde confirmatum paulo curatius perpenderit. Ea ratione, qua refrigerium super aestuantem allidit cutem, non solum perspirationis munus supprimit, sed etiam aequabili imponderabilium conductioni renititur. Membranae mucosae, cum dermate intime connexae, ejus vices agere, superflua eliminare, atque requisitum commercium cum natura externa conservare moliuntur, quod quidem sine incitata systematis vasorum capillarium vitalitate praestare nequeunt. Tali pacto ponitur status irritationis et secretionis auctae mox in ventriculo, mox in variis intestinorum locis.

1307. Cur autem membranae mucosae viscerum abdominis vicarium illud suscipiant manus, in periodica systematum organicorum evolutione, anni temporum nutui obtemperante, facile inventur. Quemadmodum labente auctumno, hysteme, et primo vere respirationis organa, ceu irritabilitatis focus, majorem energiae gradum adipiscuntur, ac ideo sub minimo injuriarum influxu vividiores opponunt reactiones; ita vere adulto et aestate, qualiscunque generis noxae in organis systematis reproductivi, et maxime in cen-

tralibus (hepate et tubo gastro-enterico) palmarias concitant reactiones.

1308. Ea ratione, qua vernus tepor plantarum gemmas protrudit, decalvatas arbores viridescente amictu ornat, animalium hyemalem lethargum discutit, eorum vigorem acuit, incrementum et perfectionem omnium entium organicorum promovet, ac universae naturae novam quasi vitam inspirat; — eadem, inquam, ratione etiam homo beneficum redeuntis solis influxum experitur, ac reviviscentis undiquaque naturae nutui obtemperando majorem in cunctis organis plasticae vitae dicatis vigorem recuperat. — Inde fit, ut facilius emergant morbi reproductio-
nis organicae, ipsaeque febres populares focum in systemate splanchnico agnoscant, inde fit, ut eaedem prophases, quae prius pulmones offenderunt, nunc officinae formativae instrumen-
tis praecipuis, ventriculo et intestinis insidias struant, hinc materies, quae alio anni tempore aut odontalgias fecerat, aut coryzas, anginas, tusses, aestate ad intestinorum membranas projecta, ventris coryzam, et intestinorum catarrhum facit.

1309. Quatenus nullum anni tempus vicissitudinibus prorsus immune evadit; eatenus etiam aegritudines inde originem ducentes, catarrhi, rheumata, et erysipelata, stationaria veluti mala constituunt. Variant vero eorum formae juxta mutatas anni temporum rationes, ac mutatas ideo hominum diatheses; quare adolescente vere ra-

rescunt catarrhi pulmonales ea proportione, qua febrium gastro-entericarum frequentia crescit, harum contra vestigia protinus evanescunt subintrante bruma. — Quo mollior est cutis, et quo major in transpirationem prona, eo facilius refrigerium repentinum exhalantia ostia claudit, atque antagonisticas reactiones in aliis organis provocat, hinc adeo periculosae noctes frigidae in medio aestatis.

1310. Character itaque gastro-pituitosus e laeso cutis munere oriundus, seu quod idem est, character catarrhosus cum eminenti affectione fistulae gastro-entericae, constitutionem epidemicam anniversariam veris et aestatis ordientis efficit, quae in principio de praegresso ingenio inflammatorio hyemis, sub finem de subsequo charactere bilioso, aut nervoso-asthenico aestatis adultae participat. Id discriminis, ait Stollius, inter morbos vernos et aestivos observatur, quod illi saepe phlogisticum quid sibi junctum habent, aut excussis sordibus in inflammatorios migrant: hi vero septici quid, malignique ferunt, aut in malignos facillime mutantur.

1311. Tempore aequinoctii purissima animadvertisit febris gastrico-pituitosa, ad neutram quasi vergens naturam, nisi venti aquilonares redivivae faveant epidemiae inflammatoriae, aut praecoces fervores biliosae constitutionis ortum praecipitent. Quoad typum febres pituitosae

vernales mox continuae remittentes sunt, mox intermittentes, et quidem plerumque quotidianae. Nemini quidem parcunt, caeteris tamen paribus homines laxos, phlegmaticos, pueros et feminas facilius adgrediuntur, quam viros robustos et athletas.

1312. Ipsa demum forma febrium gastro-entericarum notabiliter variat (1) secundum sedem specialem irritationis, et (2) secundum humoris morbose secreti indolem. — Prima specimena febris gastricae vernalis vix non semper plus minusve conspicuam affectionem organorum spiritalium comitem habent, ac ideo plerumque iniqua tussi stipantur. Ingruente vero aestatis fervore nullam amplius labem concipiunt instrumenta corporis pneumatica, sed omnem irritationis et secretionis morbosae tyrannidem experitur tunica villosa ventriculi, intestinalium, vel amborum, unde mox consueta incommoda saburrae sursum turgentis, ipseque vomitus, mox diarrhoea et dysenteria, mox cholera eminentem praebet morbi formam.

1313. Secundam diversae febrium gastro-entericarum formae rationem suppeditat laticis secreti et primas vias innundantis varia natura. E physiologia notum est, duplarem in ventriculo et intestinalis contingere secretionem, mucosam utpote et serosam; prioris productum est pituita sive mucus gastro-intestinalis, posterioris vero latice serosi, peculiari acredine et oxygenii ex-

cessu distincti, in ventriculo succus gastricus, entericus in cloaca intestinali. Pituitam in glandulis muciparis separari, humorem contra gastricum et entericum vasis capillaribus arteriosis exhalari, ac speciem sudoris intestinalis sistere, a modernis passim defenditur physiologis. — Ergo etiam febrium gastro-entericarum duas dari debere species, rationi consonum est, easque reapse existere observatio testatur; — quippe febrem gastro-entericam cum saburra pituitosa, et febrem gastro-entericam cum saburra seroso-biliformi. — Quatenus autem utrumque secretionis intestinalis genus ad unum idemque refertur substratum organicum, ad membranam videlicet mucosam, ac inseparabili modo unitur; eatenus praemissa distinctione nonnisi eminentiorem unius, vel alterius laticis separationem indicare volumus.

1314. Febris gastrica cum saburra pituitosa e cunctis signis, quae muci uberioris secreti, tenacis, viscidii, aliave ratione a normali qualitate aberrantis colluviem indicant, facile dignoscenda, communissimam formam febrium vernalium offert; decursum mitiorem magisque lentum observat, libenter in febrem intermittentem, maxime quotidianam abit, nisi ipsa jam intermittentis productum sit; ac sub concursu circumstantiarum sinistrarum in febrem nervosam lentam vertitur. Non defuerunt etiam febris pitui-

toso-nervosae lentae, populariter debacchantis, exempla (1).

(1) Curdt, Diss. sistens febris nervoso-pituitosae obser-vat. Jen. 1795.

1315. Febris gastro-enterica cum saburra biliformi illa est, quae cum ubere secretione humoris gastrici, aut enterici incedit, non semper tamen certis signis a priori dignoscenda, nisi ipsa materies peccans per emesin aut diarrhoeam evacuata, inspici possit. Hancce saburram, Stollio antesignano (1), biliformem compellare ex eo placuit, quod illius characteres physici magis obvii, color subflavus et sapor acris, remotam quamdam cum bile analogiam demonstrant. — Differt a verabile, quod productum secretionis intestinalorum, et non hepatis sistit; quod saporem acerbum, adstringentem, fere metallicum, et dentes stupefacentem, a bilis amaritudine diversum sub vomitu excitat; quod mira saepe copia, ventris volumine parum indicante, excutitur, ita ut suspicandum sit, sub ipsis vomendi conatibus uberiorem secretionem sollicitari; quod demum absque ullis systematis $\chi\alpha\lambda\alpha-$
 $\pi\alpha\tilde{\imath}\tilde{\imath}$ et polycholiae signis adesse potest, licet utriusque secretionis vitiatae consortium haud infrequens esse soleat, ipsaque materies serosa intestinalis verae bilis permixtae vestigia prodit, cuius ratio ex intimo hepatis et tubi intestinalis consensu facile concipitur.

(1) Stoll, Ratio medendi. Tom. I. p. 24. Ticini 1788.

1316. **Saburra pituitosa** potius temporis verni, saburra biliformis ex adverso aestatis fervidae productum esse consuevit; unde jam conspicua inter febres gastricas vernales et aestivas elucet differentia, quamvis utraque ex iisdem scaturiat causis, et quidem potissime e cutis munere laeso, quod vicaria intestinalorum actio supplere adnititur. Cur autem urente syrio humor seroso-entericus potius, quam pituita uberiori secernatur copia, in majori totius superficiei externae (proinde etiam membranarum mucosarum tubi intestinalis) ad perspirationem et sudorem proclivitate quaerendum esse videtur.

1317. Febris gastro-enterica cum **saburra biliformi** acutum magis praediligit decursum, peculiarem nisum in characterem nervosum versatilem, in profluvia ventris effraenia et summe debilitantia, dysenteriam utpote et choleram, nec non in febres intermittentes tertianas ostendit, quo intuitu febribus biliosis proxime accedit, quarum contemporalem sistit socium.

1318. **Quemadmodum simplex refrigerium** cuti admissum primas vias acriter offendere valet; ita tubus intestinalis non minus patitur, si precedens quaedam systematis dermatici, aut aliarum partium, cum cute sympathice connexarum, passio derepente supprimitur; uti v. g. erysipelas, impetigines habituales, ulcera chronica, rheumata, arthrodyniae, catarrhus pulmonum, quorum malorum metachoreses aestivis diebus

haud raro funestissimae adfectiones gastro - entericae sequuntur. Ipsa diarrhoea, quae morbillos adeo frequenter excipit, similis est originis; vicarius utpote exanthematis, incondite decurrentis, vel praecociter evanescens, effectus.

1519. Ex hacce disquisitione nosogenetica febrium gastrico - entericarum, rationalis physiologiae praeceptis et experientiae innixa, qua simul origo morborum epidemicorum pro parte illustratur, sine negotio concipi poterit, proximam illarum causam in statu irritationis sub - inflamatoriae velamenti mucosi fistulae alimentaris (entzündungsähnlicher Zustand), ac secretionis inde citra normam auctae consistere, quae interdum a stimulis localibus (idiopathica), saepissime vero a suppressa cutis perspiratione (sympathica et vicaria) ortum dicit.

1520. Hancce naturae congruam febrium aestivarum theoriam Sydenhamus jam, licet verbis nostrac aetati minus arridentibus, professus est, materiam perspirabilem ad intestina trajec tam criminando. Liquet inde febres gastro - entericas strictiori in sensu nil, nisi febres catarrhales cum topica adfectione membranae mucosae ventriculi aut intestinalium esse, quae ab enteritide catarrhosa solummodo minori irritatio nis localis et febris irritativa comitis gradu, uberiori contra humorum secretionem et coacervationem distinguuntur. Omni igitur jure catarrhi in-

testinalis sive coryzae ventris nomine dignae fiunt, si profuso simul stipantur alvi fluxu. Epitheto rheumaticae in hisce casibus uti, quemadmodum Stollio placuit, vetat discrimen, quod inter catarrhum et rheuma, habito substrati respectu, facere oportet. — Charactrem gastricum, qui febres contagiosas in exordio et decursu comitatur, ejusdem originis et naturae esse, e complexu rerum expositarum absque negotio eruitur.

1321. Quandoque illa conditio pathologica, quae essentiam febris gastro-entericae efficit, ceu productum universalis cujusdam evolutionis, ac virium naturae, morbosos fomites per intestinorum viam excutere molientium, considerari meretur; diarrhoeae criticae enim, nisi materies peccantes forinsecus susceptae exitum hacce via inveniant, non aliter, quam e statu irritationis membranae mucosae, et secretionis uberioris concipi possunt.

E X I T U S.

1322. Coadjuvantibus naturae moliminibus, et artis adminiculis aegri pristinam adipiscuntur salutem die mox quinta, aut septima, mox decima quarta. Quatenus neque saburra pituitosa, neque biliformis causam febris praebet, sed eam unice sustinere, vel graviorem reddere juvat; eatenus etiam materiae peccantis eductione, utut ab omni initio tentata, morbus quidem levior

magisque regularis redditur, nunquam tamen ex templo truncatur. — Excretiones criticae salutem advehentes, sunt vomitus spontaneus, diarrhoea, et sudores profusi, sub quorum eruptione non raro hydroa ad labia comparet. — Quae ad finem secundi cycli septenarii non solvit febris gastro-enterica, libenter decursum lentum, et formam febris pituitosae hecticae induit.

1323. Hujus generis febres mortem indirecto tantum modo machinantur, mutato quippe charactere, topicis nobiliorum organorum adfectionibus, metastasi funesta, vel consectariis diversae naturae. Febres vernales characterem inflammatorium, aestivae nervosum, aut septicum contrahunt; priores in febres intermitentes quotidianas defatiscunt; posteriores sub urente sidere in perniciosas larvatas aut comitatas, emeticas, dysentericas, et cholericas degenerare sunt visae. — Inter topicas labes insigni saepe periculo terrent gastritis et enteritis, gangraenae exitum petentes. — In metastases rarius nituntur, quam febres biliosae.

1324. Post huma potiora plurimum dependent a vitiato officinae digestoriae munere, unde cardialgia, dyspepsia, flatulentia, alvi inordinata excretio, diarrhoea, et similia originem repetunt, quibus etiam devictis insignis in relapsum proclivitas relinquitur. Febris pituitosa cum statu polyblenniae consociata in varias abit ca-

chexiarum species, plerumque difficulter eradicandas, uti essent leucophlegmatica, hydrops, chlorosis, scrofula mesenterica, helminthiasis et atrophia.

MEDENDI RATIO.

1325. Nemo quidem inficias ibit, in cunctis febribus gastricis eductionem fomitis peccantis singularem mereri respectum, ea tamen sola omnem curationis paginam nullatenus absolvit, quivis sine negotio perspiciet, qui nosogeniam et causam proximam febrium gastro-entericarum adtento considerat animo. — Morbosa conditio parietum tubi alimentaris continuam largitur colluviae mucosae, aut seroso-biliformis scaturiginem, quapropter illam ante omnia dissipare, vel saltem ita moderari oportet, quo criticis naturae conatibus rato tempore tanto facilius superari possit. Quum autem et ipse status irritationis intestinorum, aut ventriculi, secretionisque abnormis nonnisi rarissime idiopathicus esse soleat, sed longe crebrius e cutis ministerio laeso per sympathiam oboriatur, sponte liquet, qualis esse debeat rationalis tractationis scopus.

1326. Emetica, praesertim sub initio morbi, atque deficientibus, quae graviorem irritationis gradum indicarent, signis propinata, etiam in hacce febrium gastricarum specie praesentissimum suppeditant medicamentum, cuius efficacia non solum in saburrae evacuatione, sed maxime

in salubri concussione systematis nervei, et dia-phoreseos restitutione fundatur. Si una non suf-ficeret emesis, eam pro casus necessitate repe-tere licebit. Neque ab hoc eximio remedio abhor-rendum, si primis morbi diebus neglectum fue-rit; saepius enim post infructuosum cathartico-rum tentamen, die quinta morbi vomitum cum emolumento citum fuisse recordamur.

1527. Alteram evacuationis viam aperiunt purgantia, e quibus, habito semper irritatio-nis intestinalis respectu, seligenda erunt mitio-ra, eccoprotica, seu antiphlogistica dicta. Eminent sales neutri, sulfas magnesiae, sal mirabile Glauberi, arcanum duplicatum, aquae Sedlitzenses, vel tartarus emeticus in refracta dosi, quae tenacem mucum pari tempore resol-vunt, adtenuant, incident. Quae ad indolem bili-formem inclinant, saburrae, acidulis, vel acidodulcibus tamarindis, prunis, manna, cassiae pulpa et similibus corrigitur et excutitur. — Quodsi vero in casu delitescentis polyblenniae ipse tubus inte-stinalis certum quemdam atoniae offerat gradum, sennae infusum et tinctura rhei, salibus supra lau-datis nupta, vel pulvis rhei cum mercurio dulci suppetias ferunt. Lotiones siphonis ope supter immissae, alvo reserandae summe idoneae, in-ternorum remediorum qualitati respondeant oportet.

1528. Quis autem non perspiciet, nimis ge-nerosa et protracta catharsi in febribus gastro-

entericis manifesta parari damna? — Quatenus purgantia, qua talia, causam morbi proximam non levant, non solum curae perficiendae per se sola imparia sunt, sed etiam suo stimulo secretionem humorum entericorum continuo sollicitando semper recentem alliciunt colluviem, atque energiam virium infringendo debilitatis ortui opitulantur. Notabilem igitur restrictionem postulat empiricorum axioma: »ubi saburra, ibi purgandum.«

1329. Praemissa sordium evacuatione modesta, cutis functionem laesam restituere studemus tempore lecti aequabili, potu egelido florum sambuci, vel chamomillae per epicrasin sorbillando, atque balneis, vel lotionibus tepidis, praesertim si cutis pertinaciter aret et urit. — Si vero cunctis hisce adminiculis cutaneum colatorium pervium reddi recusat, vel jam aliqua imminent debilitatis signa, vesicantium stimulo opus est, quo cutis perspiratio provocatur, et characteris nervosi evolutio impeditur. Ast pari tempore ab ulteriori catharsi desistendum, imo alvo fors nimis profusae clysteribus mucilaginosis et refract's pulveris Doweri dosibus prospiciendum.

1330. Reliquas indicationum paginas absolvunt potiones diluentes, refrigerantes, resolventes, uti decocta hordei, althaeae, graminis cum oxymelle, aceto, succo limoniorum, acido tartarico, nitro, terra foliata tartari, syrupis aci-

dulis, quibus omnibus status irritationis intestinalis compescitur, ac morbosae secretionis ubertas infringitur, abnormis qualitas emendatur. Quo magis modestia febris et phaenomena polyblenniae laxitatem intestinorum suspicari sinunt, eo magis necessarius evadit usus remediorum solventium amarorum, leniter roborantium, vel et acrium, quae inter taraxacum, cichoreum, fumariam, saponariam, salem ammoniacum, pulverem Plumeri, gentianam, quassiam, squillam, aloen nominasse sufficit.

1331. Chimaericis Galli reformatoris Broulos-sais ideis de gastro-enterite, ceu universalis omnium morborum matrice, delusi, etiam in febribus gastricis aestivis curam venaesectionibus et hirudinibus abdomini impositis absolvi posse sibi credunt, ac alta voce proclaimant. Ast merito sunt irridendi et increpandi; qui enim ad lectum aegrorum ephemeris et labantibus hypothesibus litant, semper damnosam faciunt praxin. — Recte jam monet immortalis Stoll, methodo nimis antiphlogistica febres lentas nervosas, languores chronicos, hypochondriasin et phthisin pituitosam, calefaciente autem medendi ratione viscerum inflammaciones, et febres perniciosas induci. Quare, ut periculose vitetur medicinae tumultuariae bivium, potius blandioribus remediis insistendum, quibus benefica naturae molimina adamussim sustinentur, ac pristinum inter systemata organica aequilibrium tutissime restitui-

tur. Limitandum tamen esse credimus Baglivii praeceptum : — » in nullo morborum genere tanta opus est patientia , expectatione , cunctationeque ad bene et feliciter medendum , quanta in febribus mesentericis « — ne nimia medici oscitantia opportunam negligat impedimenta sanationis removendi occasionem .

1332. Cura dysenteriae aestivae , quae a subinflammatoria irritatione membranae mucosae intestinorum crassorum , et maxime intestini recti dependet , secundum praemissa principia erit suscipienda . Ab initio eccoprotica mitiora , tamarindi , manna , tremor tartari , fomenta calida abdomini superhabita , et clysteres mucilaginosi princeps suppeditant praesidium , iisque solis haud raro morbus abigitur . Si vero tenesmo et torminibus placatis alvi dejectiones continuant , ad lichenem islandicum , flores chamomillae , radicem columbo , ac pulveres Doweri confugiendum . Stimulantia et aromatica potentiora nunquam conducere experti sumus , atque in casu profluvii pertinacis , vires conficientis , potius tonica simplicia , adstringentia , et plenas opii doses tentare lubet .

1333. Complicationes febris gastro - entericae cum charactere nervoso , septico , inflammatorio , vel manifesta , quae sub earum decursu evolvitur in periodicos accessus proclivitas , ac variae , quae inde fluunt , anomaliae , speciales deposita curae modificationes , quas aliis jam locis indica-

vimus. — Ita etiam moderamen symptomatum urgentium, diaeta et apotherapeusis e tractatibus febris catarrhosae, saburralis et biliosae facile intelliguntur.

1334. Illam tantum breviter adtigisse juvabit febris gastro-entericae anomaliam, quae, subschemate **c h o l e r a e**, rapidissimo cursu jam intra unius alteriusve nycthemeri spatium aegrotantes e medio tollit. Hujus morbi exempla sporadica quidem ab omni aevo observata fuere, rariora in climate moderato, frequentiora in terris tropicis. Peculiarem vero adattentionem dirissima haecce labes, quae passim **C h o l e r a m o r b u s** seu **C h o l e r a o r i e n t a l i s** dicitur nostra excitavit aetate, varias Indiae orientalis et provinciarum limitorum plagas mira crudelitate longe lateque depopulans. Circa annum 1817 speciatim in Bengala ad Gangis ripas omnium primo illam exercere cepit saevitatem, qua paucorum annorum intervallo millions hominum trucidavit. Decursus acutissimus, interdum paucis horis morte terminatus, artis operam plerumque eludit; unica tamen auxilia, secundum observatorum: Titler, Gilbert, Chisolm, Stewart, Boyle, Johnson, et Corbin, relationes e classe remediorum leniter antiphlogisticorum, refrigerantium, et antispasmodicorum essent de promenda. Calomel et opium audaci manu adhibita, atque nonnisi in casu summae virium prostrationis et imminentis lethi aromatibus pe-

nentrantissimis nupta, inter cuncta reliqua remedia prioratum tenent.

Julius, Mittheilung über die morgenländische Brechruhr.

Im Journal der ausländischen Literatur; und in *Omodei Annali universali di Medicina* An. 1823. p. 185.
An. 1824. p. 350.

4. FEBRIS VERMINOSA.

Luther, Diss. de febre verminosa. Erf. 1787.

Musgrave, Essay on the nature and cure of the so called wormfever. Lond. 1776.

Philites, Diss. febrium verminosarum pathol. Goettingae 1785.

1335. Latiori in sensu quaevis febris e stimulo vermium proficiscens, qualicunque demum loco isti hospites iniqui nidulentur, **vérminosa** (Wurmfeber) dici deberet. Quatenus vero vermes intestinales, interque eos lumbrici frequentissimi esse solent, etiam febris verminosae conceptus plerumque a practicis ad huncce solum limitatur casum.

1336. Vermes intestinales in intestinis sanis nunquam nascuntur, sed morbosam semper presupponunt conditionem, quae, testante experientia, in abnormi secretione et coacervatione pituitae, nidum seminii verminosi efficiente, consistit. Nulla itaque datur febris verminosa absque colluvie mucosa, quare hoc intuitu ceu varietas febris gastro - pituitosae esset consideranda.

1337. Si vermes mole sua, aut reptatu intestina vehementius irritant, febriles concitari posse tur-

bas, praesertim in subjectis sensilioribus, vel chronica quadam labe confectis, nemo negabit. Ecquis autem non comprehendet hancce febrem simpliciter irritativam, et mere symptomaticam esse, ut jam Frid. Hoffmannus recte docuit? — symptoma quippe accidentale specificae illius cacotrophiae, seu vegetationis abnormis, cuius productum ipsi vermes sunt. Phaenomena morbosa, quae a nonnullis auctoribus febri verminosae tribuuntur, non ad febrem, sed ad morbum primitivum, cachexiam utpote helminthicam spectant; persistunt enim, etsi febrile incendium omnino exstinctum fuit.

1338. Haud raro accidit, sub decursu febrium acutarum et gravium, praesertim in catarrhosis, gastrico - pituitosis et nervosis lentis unum alterumve lumbricum vomitu rejici, vel per alvum secedere. Hocce jam phaenomenon mere accidentalem febris complicationem, vel potius epigenema efficit, quin febris primitivae character et forma mutetur, et cuius gratia febrem illico verminosam nuncupare velle, absurdum foret.

1339. Qualiscunque jam inter vermes et febrim vigeat relatio, sive haec priorum effectus, sive causa fuerit, febris utpote helminthiaseos symptoma, vel contra vermes febrilis morbi epigenema, sponte liquet neutrum horum casuum pyretologiam spectare; prior enim inter morbos cacheticos, aut eccentricos suum sibi vindicat locum, alter, ceu accidens, particularem respectum non

meretur, sed singulis febrium, quibus suboritur,
speciebus esset inserendus. Corruit tali pacto ni-
mia illa amplitudo, quam Trinacella, Bo-
netus, Boschius, ac vermivomus Buccel-
lati febribus verminosis dicare voluerunt.

GENUS V.

FEBRIUM CONTINUARUM.

FEBRES CHARACTERE HECTICO.

- Curtius**, Animadversiones in febrem hecticam. Dresd. 1781.
Fournier, Beobachtungen über das schleichende oder auszehrende Fieber. Leipz. 1782.
Trnka de Krschowitz, historia febris hecticae omnis aevi observationes continens. Vindob. 1783.
Benefeld, Dissert. de origine et reditu febris hecticae. Jenae 1793.

1340. Cunctae quidem febres criticae, tamquam morbi vitae organicae, functiones reproductionis plus minusve alteratas supponunt; modus laesionis tamen ejus generis esse solet, e quo peculiaris non emergat cachexiae forma, ejusque levitatis et durationis, ut praefinitum tempus non egrediatur. Quamprimum vero unacum febrilibus turbis processus plasticus adeo eminenti et singulari, ne dicam specifica, ratione a norma deflectit, ut determinata exsurgat cacotrophiae et pravi habitus ($\varepsilon\xi\iota\varsigma$) forma; quae etiam summe efficacibus conaminibus naturae exemplo discuti nequeat, sed gradarium tantum admittat decrementum, febris hecticae, cachecticae, sive cachexiae febrilis ideam concipere licet.

1341. Quemadmodum febres gastricae functiones primarum viarum, nempe officinae digestionis,

chylificationis, et copropoieseos alienatas offerrunt; ita in hecticis viarum secundarum labes, sive organorum adsimilationi, lymphopoiesi, sanguificationi, nutritioni et secretionibus famulantium laesiones multifariae aegritudinis essentiam constituunt.

1342. Febres hecticae vix non omnes e familia symptomaticarum sunt, criticis moliminibus quidem non defectae, iis tamen solis nunquam solvendae, quatenus a perenni statu morboso, causae vices agente, foventur; inconspicuo fere modo, ac doloso saepe passu subintrant; quare non solum a medico, sed quoque ab aegrotis facile praetervidentur; — pedetentim ingravescunt, citra ordinem ullum et constantiam mox per menses, mox per annos integros durant, et in corpore quasi delitescunt, quare medicis etiam febres lenta e (schleichende Fieber) audiunt; — nunc communia tantum febris irritativae phaenomena offerunt, nunc peculiaribus, secundum cachexiae matricis naturam et formam variatis, symptomatibus stipantur.

1343. Quamvis decursus febrium hecticarum summe proteiformis, innumerisque vicissitudinibus obnoxius sit, ac ideo difficulter generalem admittat nosographiam, sequens tamen symptomatum series morbique imago ceu magis constans statui potest, quam Cel. Richter tribus complectitur stadiis, essentiali quamquam, ut nobis videtur, differentia destitutis, nisi in morbi vehementia et

gravitate , in dies crescente , discrimen quaerere velimus.

1344. Initio aegri nihil queruntur , nisi languorem post pastum , et calorem modicum volarum et genarum , qui satis fugax est , nec pulsus valde concitat ; imo interdiu meliuscule valent , et officiis funguntur . Ob huncce insensibilem et dolorum incessum hae febres jam *Aretaeo ἀλαρπέες* vocabantur , quod idem ac occultas , sive obscuras significat . Recurrit tamen is calor omnifere vespere , praeeuntibus haud raro horripilacionibus , praesertim si suppuratum aliquid est in corpore . Febris per integrum noctem manet ; malae circumscripto tinguntur rubore ; pulsus veloces et pliores fiunt ; cutis arida et urens evadit ; sitis intenditur ; caput obtuse dolet somnolentia aut vertigine gravatum ; lotium redditur parcus et saturius . Matutino tempore sudores viscidii et aciduli febriles motus quidem tenuant , vel et proressus dissipant , aegrosque levaminis quadam specie fallunt , ut lectum libenter custodian , ne suppri mantur ; quo saepius autem redeunt , tanto evidentius vires exhauriunt . Interpositae inter accessus febriles , fixo ordine quotidie recurrentes , induiae in principio facile pro intermittente impo nunt . — Ciborum cupiditas et digerendi facultas parum labefactantur ; alvus mox dura , mox liquida est . Frequentissime observatur mentis morositas , ac in iracundiam proclivitas , plerumque autem periculi imminentis inscitia , et omnium de valitudine adversa augriorum derisio .

1345. Quo magis morbus trahitur et ingravescit, eo majori cum vehementia redeunt accessus febriles, quatiente horrore orsi, eumque in modum porriguntur, ut alterius finis cum sequentis primordio concidat, nullo intercalari tempore relicto, quod ab omni febris umbra liberum foret. Jam nunc habitus aegrorum indies magis cachecticus fit, denutritionis et liquationis instantis indicia patefacit. Facies lurida pallet et squalet, genis per vices circumscripte rubentibus; nasus acutius prominet, oculi halone livido cincti intra orbitas reconduntur; corpus pedetentim gracilescit, cutis et tela cellularis vigore pristino amisso collabuntur, muscularum compages flaccescit. Interea sudores increscunt, viresque avide consumunt; alvus frequenter relaxatur; urina horis antelucanis missa turbida est, cuticula obducitur versicolore, arachnoidea, aut pingui, et annulum ad matulae parietes relinquit. Quandoque tussicula sicca post pastum molestat, quin a pulmonum labe repetenda sit.

1346. Postquam plures septimanas aut menses tali sub rerum statu transegerunt aegri, colliquationis et corruentis virium roboris signa undique emicant. Exacerbationes febriles, quae omni vespera certo recurrent, tantam adipiscuntur vehementiam, ut aegri soporentur, vel desipient, donec sub profusis, frigidisque sudoribus mane expurgiscantur summopere delassati, pristinam recuperantes mentis serenitatem, quam adulti-

mum usque vitae momentum mira saepe ratione conservant; imo quo magis ad extrema ventum est, eo plenior spei esse consuescit animus. Alvi profluvia cum die magis augentur; capilli defluunt; corpus per omnem ambitum, skeleti instar, exarescit et extenuatur; cutis mox sicca est, mox viscido et frigido rore madet; vox raucisona serius obmutescit; accedit pedum et manuum oedema; loca prominentiora, quibus continuo incumbunt aegri, horrida macie confecti, excoriantur, ac dolenti decubitu malorum catervam augent. Interdum miliaria, aut furunculi in cute, vel aphthae in ore prorumpunt. Tandem sub involuntario lotii, faecumque secessu aegri ultimum obeunt diem, animam sine doloris sensu efflant, et lucis modo, cuius ellychnium oleo caret, extinguntur.

1347. Multiplex omnia esse potest febrium hecticarum origo, ac infinitus ferme causarum producentium numerus, quorum modus agendi diversus efficit, ut non solum diversa inter processum febrilem et vegetationem abnormem vigeat relatio, sed etiam ipsius hecticae febris diversae nascantur formae. Fontes cardinales febrium hecticarum largiuntur: 1) Febres intermittentes. 2) Febres continuae acutae aliorum characterum. 3) Cacochymiae, earumque producta, seu processus plasticus in qualitate diversimode alteratus. 4) Status denutritionis et colliquationis tabificae, sive processus plasticus quantitate infractus.

1348. Febres intermittentes, imprimis quar-

tanae, erraticaæ, autumnales, endemicae, recidivae, diuturnæ, eandem, quam produxere, cachexiam crebro comitantur, in subcontinuas vertuntur, hocque in casu hecticae nomen omni jure sibi vindicant (Tom. II. §. 138).

Boehmer, Diss. de febrium lentarum ortu ex intermittentibus. Hal. 1769.

1349. Interdum febres hecticae e febribus criticis alias characteris pullulant, atque istarum veluti postprincipia constituunt. Hisce in casibus libenter de charactere primitivo febris genitricis plus aut minus participant, ac ad sequentes quatuor reduci possunt species: febres hecticae inflammatoriae, putridæ; nervosæ et gastricae.

1350. Febris inflammatorio-hectica mox immediate ex stimulis positivis varii generis proficiscitur, qui super cachecticum allidentes individuum, phlogisticam quidem in systemate vasorum suscitant reactionem, modificatam tamen a diverso cachexiae præexistentis ingenio, mox lenta phlogoses viscerum comitatur, ac ideo innumeras exhibet formas, quarum potiores in decursu pyretologiae specialis explanare non omissimus. Communissima vero febris inflammatorio-hecticae species illa est, quae chronicis adhaeret catarrhis, febris lenta catarrhalis, tristi plerumque omne in phthisin purulentam degenerans.

Ludolf, Diss. sistens catarrhos tamquam causas frequentissimas febris lentæ. Erford. 1752.

1351. *Febris putrido-hectica* ferme nil aliud, nisi scorbutum febricula symptomatica sociatum refert, atque e notis humorum pansonrum et adtenuatorum signis, profluviis colliquatibus, haemorrhagiis, petecchiis, solidorum atonia, stomachace, etc. facile dignoscitur. Hujus quoque generis esset febris lenta, quam ulceræ gangraenosa ampla producunt et fovent.

1352. *Febris nervoso-hectica* contemporalem systematis nervosi ac reproductivi labem supponit, et prouti vel unius vel alterius passio eminuerit, modo ad febres nervosas lentas, jam supra prolixius descriptas (§. 1097); modo ad hecticas erit referenda. Puellis chloroticis, feminis hysterics, viris hypochondriacis, omnibusque individuis chronica nevrosi affectis, vel animi pathemate rodente agitatis ejusmodi febricula lenta haud raro suboritur, quam antiqui ob incessum tardigradum, minoremque intensitatem, febrem pusillam (§. 1088), recentiores autem, pro varia morbi primitivi natura, febrem amatoriam, hystericalm (1), hypochondriacam (2) vocarunt.

(1) *Mannigham*, the symptomes, nature, and causes of the febricula, commonly called the nervous or hysterical fever. Lond. 1776.

(2) *Hilscher*, Diss. de febre hectica ex hypochondriaco malo orta. Jen. 1747.

1353. *Febris gastrico-hectica*. Quatenus tractus alimentaris primam praebet repro-

ductionis organicae officinam, qua substantiae altiles recipiuntur, elaborantur, ac pro ulterioribus finibus disponuntur,— nil mirum est, si febres gastricae graves, diurnae, maxime vero anomala, neglectae, vel perperam tractatae in hecticum characterem degenerant. Varias contrahit formas pro diversa sordium in ventriculo hospitantium ac ad secundas vias transvectarum indole, quapropter etiam ad febres splanchnicas proxime accedit.

Arnold, Diss. de hectica stomachica. Altdorf. 1743.

1354. Alteram febrium hecticarum scaturiginem largiuntur varia vitia vegetationis abnormis, quae sive in singulis delituérint organis, sive per totum organismum diffusa fuerint, haud infre-
quenter symptomaticas excitant febres; viscerum enim degenerationes non minus, ac diversae ca-
cochymiarum species, sufficientem subministrant stimulum, quo sistema vasculare per omnem am-
bitum (in arteriis, venis, et vasis lymphaticis) ad
justo vividiores, aliave ratione abnormes reactio-
nes excitantur. Potiores hujus febrium hecticarum
prosapiae species sunt: **febris atrabilaria**,
pituitosa, **verminosa**, **mesenterica**,
quae omnes a nonnullis medicis generico nomine
febrium splanchnicarum subsumuntur,
atque **febris suppuratoria**. Illae febres,
quae vitia chronica systematis lymphatici, et oriun-
das inde cachexias, scrofulam, rhachitidem, hy-
dropem, syphilidem comitantur, particularem
formam non offerunt.

1355. **Febrem atrabilariam** Cel. Richter eam vocat, ubi venae totumque abdominis glandularum systema colluvie scatent et distenduntur, quae a febre haud progenita ad primas vias tendit, et ad illas pedetentim descendit. Tales aegri cachecticum offerunt squalorem, cibos fastidiunt, et minima eorum copia gravantur, somno inquieto fruuntur, animo languent, moarent, ad melancholiam vergunt, iisque omnibus vexantur affectibus, qui malo hypochondriaco proprii sunt; oculorum sclerotica flavid, vel plumbeo tingitur colore; praecordia inflata angores molestos, ac breves spiritus producunt; quandoque dolores colici infarctum pervadunt abdomen; inturgescunt venae haemorrhoidales, per vices cruorem plorant, tenesmum fovent, liberoque faecum in scybala concretarum secessui gravia impedimenta ponunt, serius tandem vel sponte, vel catharticorum auxilio materies ejiciuntur tenaces, foetidae, piceae, sanguini atro simillimae, quae probabiliter ex sordibus mucoso-biliosis, nec non ex sanguine per vasa brevia spleni suffurato, vel e vasis haemorrhoidalibus ad intestina delato conficiuntur; rarius vomitus cruentus per intervalla redit. — Haecce valetudo atrabilaria persaepe a longiori jam exstat tempore, antequam febris superveniat, haecce fugatur superstite labore primitiva, cuius causa proxima in stasis chronicis sanguinis lenti, totum systema ve-

nosum abdominis infarcentis, ac imperfecta ideo adsimilatione latere videtur.

Nicolai, de febre lenta haemorrhoidalii feliciter curata.

Jen. 1765.

1356. *Febris hectica pituitosa*, quae a pluribus auctoribus fors non omni jure inter gastricas collocata invenitur, haud raro quidem colluvie i pituitosae in primis viis collectae indicia praebet, ast et sine illis subsistere potest, quatenus pro causa proxima potius universale vegetationis vitium agnoscit, *cachexiae pituitosae* nomine notum (§. 1294). Pallor; leucophlegmatia; debilitas et pigritia ad motum; torpor mentis; lingua, dentes et gingivae tenaci mucotectae; infarctus glandularum lymphaticarum; profluvia mucosa diversi generis, coryza, vomitus, diarrhoea, fluor albus, urina cum sedimento mucoso; abdomen plenum; febris adsidua, ad speciem mitis, cum pulsu parum alterato, et exacerbationibus obscuris, praecipua sistunt phænomena, e quorum praesentia ad febrem hecticam pituitosam concludere licet.

1357. *Febris verminosa* meram prioris varietatem constituit, quae in gratiam vermium, evitiato mucointestinali genitorum, adhuc peculiaribus quibusdam stipatur symptomatibus, triplex tali pacto polyblenniae, helminthiaseos et pyrexiae connubium, offerens. — Utraque pueros laxos, atrophicos, scrofulosos, rhachiticos, aëre et victu pravo fruentes, seniculos, obesos, ca-

tarrhis pulmonum chronicis adfectos p^{rae} caeteris infestat.

1358. Quae recentiori aevo a quibusdam Gallis diligentius descripta invenitur, febris entero-mesenterica, pariter febris hecticae pituitosae modificationem sistere videtur, e sequentibus phaenomenis eruendam. Febriles motus interdiu obscuri, ad vesperas increbescentes, cum levi delirio, ac peculiari conjunctivae rubidine; sitis multa; lingua tegmine muculento, cinerascente cooperta; dejectiones alvi biliososerosae; abdomen molle et indolens, nisi circa umbilicum ruidus contrectetur, quo facto dolores queruntur aegri, eosque non raro involuntaria muscularum faciei contractione manifestant; languor virium insignis et molestia; in altiori gradu cuncta febris nervosae lentae signa. Causam, mali proximam in lenta phlogosi mesenterii et membranac mucosae intestinorum, nec non in glandularum mesaraicarum infarctu latere extispicia evicerunt; unde liquet scrofulam mesentericam morbum primitivum esse, cui febris velut symptoma suboritur. — Imago febris mesentericae a Baglivio tradita nimis vaga, et incompleta est, quam ut ad unicam tantum, ac determinatam febris speciem referri posset.

Hoffmann, Diss. de febribus mesentericis. Hal. 1728.

Petit (M. A.), Traité de la fièvre entero-mésentérique, Paris 1814.

1359. Pus et ichor, stimuli vitae summe ini-

mici , non solum organicam partium compagem destruunt et dissolvunt, sed etiam in systemate vasorum abnormes reactiones movent, eamque febris hecticae speciem incendunt, quam practici purulentam sive suppuratoriam appellant (Eiterungsfieber). Quo nobilius fuerit organon quod suppurat, quo vastior exulcerationis processus, quo malignior puris aut ichoris secreti qualitas, et quo diutius morbidus hicce fomes proprio sacco recluditur , eo vehementior, funestiorque esse consuevit febris inde scaturiens. Diversa febris suppuratoriae mora , et multifaria, quibus stipatur, symptomata non solum a diversa liquationis indole et gradatione , purulenta, ichorosa , canceratica, osteophthorica, sed etiam a diversa exulcerationis sede determinantur. Id tamen ubique sibi privum habet, quod in principio semper inflammatorium redolet characterem, qui pedetentim in colliquativum defatiscit, et quod vespertinis sub accessibus plerumque valido horrore orditur, cuius causa facile intermittentis fucum facit.

1360. Ultima tandem, habito originis et formae respectu, febris hecticae species in labascente per omnem ambitum processu plastico, sive in universali massae organicae colliquatione et corporis marcore radicatur; febris tabifica, depascens, colliquativa syntecopyra, et marasmopyra Swediaueri (Zehrfieber); in quam omnes febres hecticae supra enu-

meratae ocyus seriusve ruunt. Quidquid alterum nutritionis momentum directe aut indirecte deficit, adpositionem minuit, ablationem auget, atque nisum in liquationem promovet, remotiori intuitu occasionem praebere poterit. Causa proxima vero latet vel in statu debilitatis directae, et auctae sensilitatis, qua posita incitamenta alias indifferentia morbidi euadunt stimuli; vel vero in peculiari illa dyscrasia, quae sub corruente processu plastico constanter evolvitur; quare vix ullum exstat atrophiarum genus, cuius lethiferi passus saltem in ultimis labantis vitac momentis colliquativa hacce febre non accele- rentur.

1361. Hactenus generales duntaxat febrium hecticarum notiones perstrinximus, quas minutatim explanare superfluum credidimus opus; quae-dam enim diversis hujus operis tractatibus insertae inveniuntur, potiores vero ad speciales pertinent illarum aegritudinum monographias, quarum eminens tantum symptoma efficiunt febres ipsae.

1362. Tali pacto vastae pyrexiarum doctrinae finem adsecuti sumus, praestabilitum fideliter observantes ordinem, nec aliquid omisisse recordamur, quod singulari adtentione dignum foret. Pari tempore ultimum hocce febrium genus opportunam, ac veluti a natura designatam nobis paravit viam, quae ad secundam morborum traducit classem. Intelligimus trophopathias,

scu morbos vitae plasticae, quorum doctrinam suo tempore tironum usui dicare, ac publici juris facere non desperamus, si Deus haec otia dabit.

F I N I S.

SYLLABUS OPERIS.

Febres exanthematicae et exanthemata acuta.	pag.
Generalia	— 3
Nosographia	— 5
Varietates	— 14
Substratum morbi	— 16
Causae	— 18
Nosogenia	— 21
Terminationes	— 28
Prognosis	— 36
Ordinatio exanthematum	— 37
Exanthemata communia	— 43
α) Maculae	— 43
Roseola	— 43
β) Papulae	— 46
a) Strophulus	— 46
b) Urticaria	— 48
γ) Vesiculae	— 53
a) Eczema. Epinyctis. Terminthus	— 53
b) Miliaria	— 58
c) Pemphigus	— 66
d) Zoster	— 69
δ) Pustulae. Ecthymata. Jonthi. Furunculi	— 74
Exanthemata specifica. Vide: Inflammationes miasmatico-contagiosae.	
Therapia exanthematum summatim	— 75
B. Febres et Inflammationes specificae quoad causam	— 84
I. Febres et Inflammationes miasmatico-contagiosae	— 85

A. De Contagiis et Febribus contagiosis

summatim	pag. 85
Physiologia contagiorum	— 89
1) Contagii notio, ejusque proprietates et differentiae ab analogis fomitibus	— 89
Mephites	— 89
Venena	— 94
Contagia pag. 96 { perfecta . .	— 99
imperfecta . .	— 103
2) Evolutio primigena contagiorum	— 109
3) Modus communicationis et diffusionis	— 119
4) Diffusio contagiorum super populum (Pestes)	— 125
5) Dispositio in morbos contagiosos	— 132
6) Atrium infectionis	— 137
7) Infectio	— 143
8) Quomodo contagiorum actio super organismum explicatur	— 146
9) Processus morbosus, quem contagia in organis periphericis concitant	— 155
10) Processus morbosus, quem contagia in organis centralibus producunt	— 158
Natura contagiorum et quae inde fluit theoria infectionis	— 167
Nosographia generalis febrium contagiosarum	— 188
Opportunitas	— 188
Invasio	— 190
Incrementum	— 190
Acme	— 192
Crisis	— 193
Decrementum	— 194

SYLLABUS OPERIS.

Convalescentia	pag. 195
Decursus anomalus	— 195
Terminationes	— 197
Prognosis	— 200
Therapia	— 201
Prophylaxis	— 206
1) Impedienda contagiorum evolutione	— 207
2) Arcenda contagiorum exoticon introductio	— 209
3) Separatio infectorum	— 210
4) Tutela sanorum	— 214
5) Destructio contagii	— 218
B. De contagiis et febribus contagiosis speciatim	— 223
A. Contagia pustulantia	— 225
1) Variola	— 225
Antiquitates	— 225
Hypotyposis	— 231
a) Variolarum decursus regularis	— 232
b) Variolarum anomaliae	— 238
Substratum morbi	— 247
Aetiologya et Nosogenia	— 249
Terminationes	— 259
Prognosis	— 261
Therapia	— 265
Prophylaxis	— 273
2) Variolae spuriae	— 277
Antiquitates	— 278
Hypotyposis	— 280
Causa et Nosogenia	— 286
Cura	— 289
3) Variola tutoria	— 290
Iter et fata	— 291
Hypotyposis	— 293
a) Variolae vaccinae primigenae	— 298

b) Variolae vaccinae homini insitae	pag. 300
α) Vaccina vera	— 300
β) Vaccina spuria	— 305
Probabilia de prima origine variolae tutoriae	— 311
Κρίσεις equorum	— 314
Variolae ovillae	— 318
Proprietates variolae tutoriae genuinae	— 327
Insitio valiolae tutricis	— 331
Praestantia fomitis inserendi	— 331
Conservatio lymphae tutoriae	— 333
Delectus individui et temporis	— 335
Modus insitionis	— 336
Cura variolae insititiae	— 340
Insitio variolae tutricis ceu objectum Hygienes publicae	— 340
B) Contagia phoenicistica	— 341
4) Morbilli	— 341
Antiquitates	— 343
Hypotyposis	— 345
a) Morbillorum decursus regularis	— 345
b) Morbillorum decursus anomalous	— 349
Substratum morbi	— 354
Diagnosis	— 355
Causae et Nosogenia	— 356
Terminationes	— 360
Prognosis	— 362
Ratio medendi	— 364
Prophylaxis	— 369
5) Scarlatina	— 371
Antiquitates	— 371
Hypotyposis	— 374

SYLLABUS OPERIS.

a) Scarlatinae decursus regularis	pag. 374
b) Scarlatinae decursus anomalus	— 378
Substratum morbi	— 383
Diagnosis et differentia ultima	— 384
Causae et Nosogenia	— 385
Posthuma et mortis ratio	— 392
Prognosis	— 395
Therapia	— 397
Posthumorum cura	— 407
Prophylaxis	— 409
6) Rubeola	— 412
Γ) Contagia methystica. Typhi	— 420
7) Typhus contagiosus exanthematicus	— 420
Antiquitates	— 421
Divisio praevia	— 425
Hypotyposis	— 426
a) Typhus in decursu regulari	— 426
b) Typhus in decursu anomalo	— 434
Diagnosis et ultima differentia	— 438
Aetiologya	— 440
Nosogenia et theoria	— 443
Terminationes	— 445
Prognosis	— 448
Therapia	— 449
Prophylaxis	— 457
8) Typhus pestilentialis, seu anthracicus	— 457
Historia	— 459
Hypotyposis	— 462
Causae et natales	— 468
Prognosis	— 474
Ratio medendi	— 474
Prophylaxis	— 478
9) Typhus icterodes tropicorum	— 480

Hypotyposis	pag. 483
Exitus	— 487
Aetiologya et morbi theoria	— 489
Cura	— 495
II. Inflammationes toxicae	— 498
Generalia de venenis, eorumque ad organismum vivum relatione	— 498
De venenis inflammantibus, eorumque effectibus in sp̄cie	— 511
Cura inflammationum toxicarum	— 532
C. Inflammationes specificae quoad diathesin	— 542
Genus secundum febrium continuarum. {	— 543
Febres charactere putrido	— 543
A. Febris putrida simplex	— 547
Hypotyposis	— 547
Aetiologya	— 553
Nosogenia et theoria	— 562
Terminationes	— 570
Prognosis	— 573
Therapia	— 574
B. Febres putridae comitatae. — Inflammationes septicae et Sepses locales .	— 583
1) Stomacace	— 586
2) Angina gangraenosa seu maligna .	— 590
3) Anthrax; Pustula maligna	— 596
4) Gangraena nosocomialis	— 601
5) Necrosis sicca	— 608
Genus tertium febrium continuarum. {	— 613
Febres charactere nervoso	— 613
Notiones generales	— 613
1) Nevrostenia	— 617
2) Nevrasthenia cum stupore	— 618
3) Nevrasthenia cum erethismo . . .	— 620
4) Nevrasthenia cum paralysi	— 622
Hypotyposis	— 625
Discrimina febris nervosae	— 630

SYLLABUS OPERIS.

α) Febris nervosa acutissima, seu magna	pag. 634
β) Febris nervosa acuta	— 637
γ) Febris nervosa lenta	— 637
Aetiologya et Nosogenia	— 641
Terminationes	— 655
Praesagium	— 658
Ratio medendi	— 660
α) Cura febris nervosae cum stupore	— 661
β) Cura febris nervosae cum erethismo	— 665
γ) Cura febris nervosae cum debilitate torpida	— 668
Cura symptomatica	— 676
Regimen diaeteticum	— 677
Genus quartum febrium continuarum.	
Febres charactere gastrico	— 680
Notiones generales	
1) Febris saburralis	— 687
Hypotyposis	— 688
Aetiologya et Nosogenia	— 692
Terminationes	— 699
Prognosis	— 701
Therapia	— 702
1) De saburris evacuandis	— 702
2) De saburris corrigendis	— 706
3) De febre moderanda	— 707
4) De primis viis firmandis	— 708
Diaeta	— 709
2) Febris biliosa, seu gastro-hepatica	— 711
Hypotyposis	— 714
Varietates	— 718
Differentiae a morbis consimilibus	— 720
Causae	— 721
Theoria morbi	— 724
Terminationes	— 731
Prognosis	— 733

Therapia	pag. 735
3) Febris pituitosa, seu gastro-enterica	— 741
Hypotyposis	— 744
Causae	— 747
Nosogenia et theoria	— 749
Exitus	— 757
Medendi ratio	— 759
4) Febris verminosa	— 765
Genus quintum febrium continuarum.	
Febres charactere hectico	— 768
Nosographia generalis	— 768
Febris inflammatorio-hectica	— 773
— putrido-hectica	— 774
— nervoso-hectica	— 774
— gastrico-hectica	— 774
— atrabilaria	— 776
— hectica pituitosa	— 777
— hectica verminosa	— 777
— entero-mesenterica	— 778
— suppuratoria	— 779
— tabifica	— 779

VIENNAE AUSTRIAEC.

TYPIS HAEREDUM VAN GHELEN.

1825.

E r r a t a.

Pag.	5	lin.	5	loco dermatis	lege dermatitidis
"	31	"	30	" metaphoreticus	" metachoreticus
"	69	"	14	" Fellegrini	" Pellegrini
"	85	"	2	" identica	" autonoma
"	114	"	21	" infrigant	" infringant,
"	173	"	24	" Fodoré	" Foderé
"	254	"	6	" Rector	" Lector
"	255	"	14	" identicum	" autonomum
"	303	"	3	" potiatur	" patiatur
"	303	"	4	" patiores	" potiores
"	343	"	23	" nos	" nobis
"	367	"	28	" leniter	" lenitur
"	437	"	27	" ultimarum	" ultimorum
"	469	"	24	" hac contagiorum . . .	" hae a contagiorum
"	474	"	10	" recuperatae	" recuperandae
"	504	"	10	" contingere posse . . .	" contingere non posse
"	525	"	14	" annum	" anum
"	528	"	15	" annum	" anum
"	549	"	29	" comparant	" comparent
"	592	"	17	" dignoscere	" dignosci
"	717	"	8	" cruem	" cruori
"	747	"	25	" ob	" ab

Bey dem Verleger dieses Werkes, dem Buchhändler
J. G. Heubner in Wien,
sind nebst vielen andern, auch nachstehende empfehlenswerthe
Verlagswerke erschienen.

Die Preise sind in Conventions - Münze.

Beck, Dr. J. N., Baden in Nieder-Oesterreich. In topographisch-statistischer, geschichtlicher, naturhistorischer, medicinischer und pitoresker Beziehung. Mit 1 Titelk. 8. 1822. 1 fl.

Beer (G. J.), Ansicht der staphylomatösen Metamorphosen des Auges, und der künstlichen Pupillenbildung, mit 1 illum. K. gr. 8. 1815. 1 fl. 30 kr.

— Nachtrag zur Ansicht der staphylomatösen Metamorphosen des Auges etc., mit 1 Kupfert. gr. 8. 1816. 30 kr.

— das Auge, oder Versuch, das edelste Geschenk der Schöpfung vor den höchst verderblichen Einflüssen unsers Zeitalters zu sichern; für jedermann, dem die Gesundheit seiner Augen lieb ist. Mit schwarzen und illum. Kupfern. gr. 8. 1813. brosch. 3 fl. 30 kr.

— Lehre von den Augenkrankheiten, als Leitfaden zu seinen öffentlichen Vorlesungen entworfen. 2 Bde. m. schwarzen und illum. Kupf. gr. 8. 1813 — 1815. 15 fl. 30 kr.

Chladni, E. F. F., über Feuer-Meteore, und über die mit denselben herabgefallenen Massen. Nebst 10 Steindrucktafeln und deren Erklärung von C. R. v. Schreibers. gr. 8. 1819. 8 fl.

Erdelyi, M. v., Grundlinien der Knochenlehre des Pferdes, mit Berücksichtigung der Abweichungen bey den übrigen Haussäugethiern; nebst einer vollständigen Anweisung zur Beurtheilung des Alters aus den Zähnen. Als Handbuch für angehende Thierärzte und Oekonomen. gr. 8. Mit 3 Kupfertafeln. In Folio. 1821. 3 fl. 24 kr.

— Grundlinien der Eingeweidelehre der Haussäugethiere, insbesondere des Pferdes. Als Handbuch für angehende Thierärzte bearbeitet. gr. 8. 1819. 2 fl.

— Grundlinien der Nerven- und Gefässlehre der Haussäugethiere, insbesondere des Pferdes. Als Handbuch für angehende Thierärzte bearbeitet. gr. 8. 1819. 1 fl. 30 kr.

Filippi, D. A., italienische Sprachlehre, oder practische und theoretische Anweisung zur italienischen Sprache. Eilste von neuem sorgfältig durchgeschene und verbesserte Original-Auflage. gr. 8. 1823. 1 fl. 45 kr.

Hager, M., über die Erhaltung der Augen und den zweckmässigen Gebrauch der Brillen und Augengläser. gr. 8. 1823. 30 kr.

Handbuch der italienischen Sprache nach ihren Redetheilen bearbeitet, vorzüglich für diejenigen, welche diese Spra-

- che ohne Lehrer erlernen wollen. Drey Abtheilungen in zwey Bänden. gr. 8. 1822. 2 fl. 30.
- Hildenbrand, Val. Nob. ab, *Institutiones practico-medicae*, edidit, reedit, ac propriis lectionibus adcommodavit filius Fr. Nob. ab Hildenbrand. Tom. I., II., III. 8. maj. 1820. 11 fl.
- Hink, J. A., über Arsenik, in oryktognostischer, pharmalogischer, chemischer und medicinisch-gerichtlicher Hinsicht. gr. 8. 1821. 1 fl.
- Lewenau, J. v., über das Selen. gr. 8. 1823. 54 kr.
- Lippich. Fr. Guil., *Observata de metritide septica in puerperas grassante*. 8. maj. 1823. 1 fl.
- Reichertzer, Fr., Anleitung zur Geognosie, insbesondere zur Gebirgskunde. Nach Werner für die k. k. Berg-Akademie bearbeitet. Zweyte verbesserte und vermehrte Auflage. gr. 8. 1820. 3 fl.
- Rust, J. N., *Arthrokaklogie* über die Verrenkungen durch innere Bedingungen und die Anwendung des Feuers bey diesen Krankheitsformen. Mit Kpfrn. gr. 4. 1817. 8 fl.
- Schreibers, Dr. C. v., Beyträge zur Geschichte und Kenntniss meteorischer Stein und Metallmassen, und der Erscheinungen, welche deren Niederfallen zu begleiten pflegen. Als Nachtrag zu Hrn. Dr. Chladni's neuestem Werke über Feuer-Meteore und die mit denselben herabgefallenen Massen. Mit 8 Steindrucktafeln, einem Meteor-Eisen-Autograph und einer Karte. gr. Fol. 1821. 4 fl. 30 kr.
- Schwarzer, Dr. A. Cl., Handbuch der Geburtshülfe für Hebammen. gr. 8. 1822. 2 fl. 30 kr.
- Stoll, Maxim., *Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus*. Editio secunda. 8. 1822. 1 fl. 30 kr.
- Stransky, Dr. C. J., *Tractatus de St. Viti Chorea*. 8. maj. 1822. 1 fl.
- Synodus botanica omnes familias, genera et species plantarum illustrans. Editore Leopold Trattinnik. Tomus I.—IV. Etiam sub titulo: *Monographia Rosacearum*. IV Tomi. 8. 1823. 10 fl.
- Trinius, C. B., *Fundamenta Agrostographiae, sive theoria constructionis floris graminei; adjuncta synopsis generum graminum hucusque cognitorum, cum tab. aer. III.* 8. maj. 1820. 2 fl. 30 kr.
- Venus, M., das k. k. Taubstummen-Institut in Wien, dessen Entstehung, Erweiterung und Zustand. Mit dem Grundrisse des Gebäudes und dem Hand-Alphabete für Taubstumme. 8. 1823. 30 kr.

